NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
12 — C
31
ROMA

COLLATIO DOCTRINÆ CATHOLICORVM AC PROTESTANTIVM CVM EXPRESSIS S. SCRIPTVRÆ VERBIS,

duobus libris comprehensa.

IN QVA

AD OCVLVM OSTENDITVR, IN PLVSQVAM DVCENTIS QVINQVAGINTA DOGMATIBVS CONTROuersis, Catholicos cum expresso verbo Dei & sensu & verbis etiam conuenire, Protestantes autem & sensu & verbis ipsis eidem directè contradicere, & modi quibus Scripturæ verba ac sensum sibi aduersantia deprauant, deteguntur.

QVÆ SVMMA CONTROVERSIARVM MERITO censeatur, ac Concionatoribus, & Controuersiarum seu conuersionis Hæreticorum studiosis perutilis.

Per RICHARDVM SMITHEVM LINCOLNIENSEM, S. Theologiæ Doctorem.

ACTORVM IV.

SI IVSTVM EST IN CONSPECTV DEI VOS potius audire quàm Deum, iudicate.

S. Augustinus lib. 1. *de Peccat. meritis.* Cap. 20.

IN DEI REBVS DOMINVM AVDIAMVS, NON coniecturas suspicionesque mortalium.

PARISIIS,

Ex Typographia IOANNIS LAQVEHAY, via Diui Stephani des Grecs, antè Patres Dominicanos, iuxtà Collegium Lexoueum.

M. DC. XXI.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione.

ARGVMENTVM PRIMI LIBRI.

QVi in plusquam ducentis quinquaginta dogmatibus controuersis, aut iisdem omnino verbis aut æquiualentibus loquuntur cum S. Scriptura, quando illa de iis rebus expresse & ex professo loquitur, & in eo sensu quem verba Scripturæ ex seipsis absque omni commentatione humana manifeste præ se ferunt, & in quo talia verba ab hominibus dici & intelligi solent, ij de illis rebus & verbis & sensu cum S. Scriptura conueniunt: Qui verò & verbis contrariis, & in sensu etiam qui prædicto sensui opponitur, de illis rebus loquuntur, ij & verbis & sensu à S. Scriptura dissentiunt. At Catholici illud faciunt, Protestantes istud: Ergo. Maior est satis per se nota, & fuse probatur lib. 2. cap. 1. Minor ad oculum ostenditur in toto primo libro.

ARGVMENTVM SECVNDI LIBRI.

QVi non solùm in plusquam ducentis quinquaginta dogmatibus controuersis & verbis & sensu modo iam dicto à S. Scriptura dissentiunt: sed etiam coguntur quædam eiusdem verba negare, quædam eradere, alia in dubium vocare, aliorum ordinem inuertere, penè omnia propositionum illius genera mutare, & simplicia verba per diuersa, disparata, & opposita exponere, vnanimem Patrum expositionem reiicere, ac fateri q̃uædam ipsorum dogmata fuisse olim damnata, quædam blasphema, & reuera S. Scripturæ contraria, ij vero Scripturę sensui cōtradicunt. Protestantes autem ita faciunt: Ergo. Maior est per se nota: & minor ad oculum ostenditur in toto secundo libro.

REVERENDISSIMO

DOMINO D. ARMANDO

IOANNI PLESSÆO DE RICHELIEV

Episcopo & Baroni Luzonensi, &c.

COllationem hanc doctrinæ Catholicorum ac Protestantium cum Scriptura sacra (Præsul amplissime) qua ostenditur in plusquam ducentis quinquaginta dogmatibus controuersis Catholicos cum expressis Scripturæ verbis, iisque ex professo de iis rebus dictis, & in sensu quem illa ex se ipsis absque omni expositione seu commentatione humana manifestè exhibent, & iuxta quem eiusmodi verba ab hominibus dici et intelligi solet, prorsus conuenire: Protestantes verò penitus dissentire, ac repugnare: et modi, quibus hi expressa Scripturæ verba, eorumque manifestum sensum, quando ipsis aduersantur, deprauare solent, deteguntur, vt tuæ Amplitudini dicarem, tot talesque causæ extiterunt, vt nisi prætermisso officio secus facere non potuerim. Ea enim sunt tua in me, cœtumque Anglorum in quo dego, beneficia: ea in gentem nostram vniuersam beneuolen-

tia, vt publicam aliquam grati animi testificationem exigant: Ea etiam in Ecclesiam Gallicanam promerita, quam, erecto in tua Diocæsi tyronum seminario, contra inferorum portas armasti: quam instauratis ædibus Episcopalibus, hæreticorum furore exustis, ornasti: quam, scriptis libris doctissimis, instruxisti: quã ab illicito iuramento, quod in Comitiis Regni quidam ei imponere conabantur, liberam conseruasti, In quo quidem certamine tu ita eminebas, vt et iuramenti illius acerrimum defensorem ad publicam disputationem palam prouocaueris, atque ita præclarè te gesseris vt legatus quidam, præcipuus forte illius iuramenti fautor, dixerit, quod nisi per te & quosdam alios stetisset, simile iuramentum illi quod Angliæ impositum est, Gallia subiisset. Ea tua in Controuersiis fidei peritia, vt viri doctissimi te celeberrimi Cardinalis Perronij in dimicationibus cũ hæreticis successorem, & in triumphis gloriæ hæredem designent. Illud demum in huius scientiæ propagationem studiũ, vt perpetuam cathedram ad controuersias fidei explicãdas, in Academia Parisiensi Regia munificentia erigendam procuraueris. Quæ quidem eiusmodi sunt, vt Opusculum hoc ab homine Anglo Controuersiarum fidei studioso in Gallia elaboratum, tali tantoque Episcopo Gallicano tam præclare de Ecclesia atque hac scientia merito, tamque fæliciter in eadem versato, non posset non esse summo iure debitum.

Et quanquam nihil horum esset, tu tamen talis

tantusque Antistes es, talis pietatis cultor, tantus literarum amator ac literatorum fautor, tantus Catholicæ fidei pugil, vt Opus hoc literarium ad Catholicæ fidei defensionem & hæresum confutationem institutum, tuæ Amplitudini non posset non esse aptissimum. Illud verò operis ipsius singulare ornamentum erit, quod sub illius Episcopi clarissimo nomine in publicum exeat, cuius in amplissima fortuna nobilissimum ingenium, nec voluptatum spurcitie fœdatur, nec auaritiæ sordibus maculatur, nec ignauo otio torpet, sed, vt excelsum et ad maxima natum pectus decet, in vtilitatum Reipublicæ procuratione, in Catholicæ fidei propagatione, in hæresum extirpatione assidue occupatur. Cuius tam flagrans est in literas ac libros studium, vt nec in adolescentia, frequenti librorum, matris iussu, exustione, neque modò imbecillitate valetudinis ac negotiorum mole ab eisdem abduci queat. Cuius tanta est in controuersiis fidei scientia, tamque acre iudicium, vt quod à te probatum fuerit, alij facile improbare non audeant: Quem demum nobilissima natum familia, naturæ ac gratiæ dotibus ornatissimum, in rebus agendis prudentissimum singularis morum comitas ac suauitas, omnibus gratissimum efficiunt. Accipe igitur (Antistes optime) ea, qua soles omnia, benignitate, literarium hoc munusculum, quod iure tuum (si quid forte in eo te dignum fuerit) dixeris, vtpote non solùm ab homine tibi addictissimo, sed etiam libris tuis aliisque subsidiis à te li-

beraliſsime ſuppeditatis, adiuto, contextū: qui Deum Optimum Maximum precari non ceſſabit, vt te Eccleſiæ ſuæ tuiſque omnibus quàm diutiſsime incolumem ac florentem conſeruet. Ex Collegio Attrebatenſi Pariſiis 20. Septembris 1621.

Reuerendiſſimæ Dominationi
vestræ addictiſſimus
RICHARDVS SMITHEVS.



APPROBATIO.

NOs infrascripti sacræ Theologiæ Doctores Sorbonici testamur nos legisse librum ita inscriptum. Collatio doctrinę Catholicorum ac Protestantium iuxta expressum verbum Dei, Authore Richardo Smithæo S. T. Doctore, in quo nihil inuenimus Catholicæ fidei aut bonis moribus contrarium, sed Protestantium doctrinam per expressum verbum Dei planè confutatam, eorumque modos deprauandi S. Scripturam detectos, ac proinde valdè vtilem censemus ac dignum qui edatur.

G. BISHOPVS.

I. MVLOT.

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pagina 7. linea 7 *contentis*, corrige *contextis*, p. 8. lin 18 *sum*, cor. *cum*, p 10. lin. 25. *quantum*, cor. *quanti*, p. 12. lin. 20 *ex*, cor. *de*, p. 14 lin 4 *obuiam*, cor. *obuium*, p. 25. lin 30. *impii*, cor. *impius*, pag 42. lin. 10. *filius*, cor *filios*, p. 52. lin 8. *mani*, cor. *manie* p. 71. lin. 34. *natura sua*, cor. *naturane*, p 77 lin. 10. *tamen*. cor. *tandem*, p 95 lin. 4. *eorum*, cor. *eruum*, p 115. lin 3 *tot*, cor. *toti* p. 218 lin. 12. *extracta*, cor *extructa*, p 248. lin 5. *tam* cor. *cave*, pag 279 lin 8. *vitro*, cor *vino*, p 299 lin 15 *corpus*, cor *opus*, p 311. lin 20 *sese*, cor *sole*, pag. 318 lin 2 *charitate* cor. *charitas*, p 329. lin. 18 *fides*. cor. *fide*, p 330 lin. 10 *sic* cor *sit*, p. 372. lin 25. *nam*, cor *nos*, p 410 lin. 32 *reluctantes*, cor. *reluctantes*, p 435. in margine. *sicut* Deus, cor *sicut* & Deus, p 501 lin. 22 dele &, pag 510 lin. 1 *certa erit*, cor *incerta erit*, p. 578. lin. 7. *incomparate*, cor. *comparate*, p. 680. lin. 11. *verbo*, cor. *verba*.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

IN QVA SCOPVS, ET vtilitates huius operis explicantur.

CVM tres ſint (*Chriſtiane Lector*) Eccleſiæ partes eſſentiales, ſine quibus ipſa, prout à Chriſto conſtituta eſt, nec eſſe nec intelligi poteſt; nempe ipſiſſima doctrina quam Chriſtus docuit; populus, qui eam amplectatur; & legitimus Paſtor, qui iuxta eam populum erudiat: tria etiam ſunt generalia capita ex quibus ſingulis Eccleſiam Proteſtanticam non eſſe Eccleſiam Chriſti perſpicuè oſtendi poteſt: Videlicet defectus doctrinæ Chriſti, defectus populi, & defectus Paſtorum, tùm omnium omnino antequam Lutherus emergeret, tum etiam nunc verorum ac legitimorum. Atque ex defectu populi ac Paſtorum, nuper oſtendimus Proteſtantes non eſſe Chriſti Eccleſiam in opuſculo de Authore Proteſtanticæ Eccleſiæ & Religionis, in quo ex plurimis & diſertiſſimis primariorum Proteſtantium Confeſſionibus monſtrauimus eos nullum omnino populum qui eorum doctrinam ſequeretur, nullum Paſtorem qui eam docèret, ante Lutheri ortum habuiſſe. Et ſi Deus dederit, ſeparatim in alio opere oſtendam, eos quos nunc pro Paſtoribus habent, nihil eorum obtinere, quæ ad eſſentiam huius muneris requiruntur.

Tria generalia capita impugnandi Proteſtantiſmum.

Supereſt, vt etiam ex defectu doctrinæ Chriſti, idque per ſolam Scripturam (quia eam ſolam totius doctrinæ Chriſti normam ac regulam Proteſtantes eſſe contendunt) penes eos Chriſti Eccleſiam non eſſe commonſtremus. Cæterùm quia hoc duplici ratione fieri poteſt, vna accuratiori atque operoſiori, ex ipſis cuiuſque loci Scripturæ circunſtantijs, & eiuſdem cum alijs locis collatione, adhibita Eccleſiæ praxi ac traditione, Conciliorum etiam decretis, ac Patrum expoſitione: alia faciliori ac breuiori, ex ſola verborum Scripturæ cum Proteſtantium verbis collatione, ac horum innumeris & incredibilibus, tum verborum, tum ſenſus ſcripturæ (quando ipſis aduerſantur) deprauationibus; ac prior via à multis Catholicis ſcriptoribus iam pridem trita eſt, eáque doctis potius quàm populo eſt accommodata, poſteriorem, à nullo quod ſciam hactenus initam, & captui etiam populi qui prætextu Scripturæ ſeducitur, accommodatiſſimam, perſequar, ac productis Scripturæ, celeberrimorum Catholicorum, ac Proteſtantium Scriptorum verbis, oſtendam Catholicos in pluſquam ducentis quinquaginta articulis penè in vnaquaque materia hodie controuerſa, & verbis, & ſenſu cum Scriptura conſpirare: Proteſtantes verò & verbis, & ſenſu quàm fieri poteſt apertiſſimè diſſentire, & ne eorum diſſenſio cum Scriptura appareat, verba quædam Scripturæ negare, alia mutare, alia expungere, aliorum ordinem inuertere, omnia genera propoſitionum Scripturæ mutare, demum verba quæ relinquūt per omnia genera troporum, per diuerſa, diſparata, & contraria interpretari. Quæ quiſquis intuebitur, clariſſimè videbit, non ſolum Catholicos, etiam quoad Scripturam multis partibus ſuperiores eſſe Proteſtantibus, verùm etiam illos germanos Scripturæ diſcipulos, hos verò inanes illius oſtentatores, reuera autem apertiſſimos hoſtes, imò contemptores, atque irriſores eſſe.

Duplex ratio probandi doctrinam Proteſt. non eſſe doctrinam Chriſti.

Scopus huius operis.

Duæ conditiones probandi per ſolam Scripturam notandæ. Prima, per ſola verba ſcripturæ.

Quoniam autem, vt Proteſtantibus ſatisfacerem, per ſolam Scripturam rem tantam demonſtrandam ſuſcepi, par eſt, vt his æquiſſimis conditionibus, quas ipſi non poſſunt non approbare, id mihi facere liceat. Prima eſt, vt ſola Scripturæ verba pro regula ſeu iudice huius cōtrouerſiæ ſtatuantur; nulla autē Proteſtantium verba, ſed ea omnia amoueantur; tum quia, vbi ſolū

verbum Dei iudicat, æquum est, vt omne verbum hominum sileat. Præclarè enim S. Augustinus: *In Dei rebus dominum audiamus, non coniecturas suspicionesque mortalium.* Item, *credo illa quæ in Scripturis sanctis leguntur, non credo ea quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Et iterum: *Nata est controuersia, veniamus ad iudicem, iudicet Propheta, imò iudicet Deus per Prophetam, ambo taceamus.* Et rursus: *non audiamus: Hæc dico: Hæc dicis, sed audiamus. Hæc dicit Dominus.* Tum etiam, quia vbi Protestantes, Ecclesiæ, Concilijs, Patribus, Catholicis, silentium indicunt, impudens est postulare, vt ipsi loquantur: tùm præterea, quia si Protestantes miscere volunt sua verba cum verbis Scripturæ, non sola Dei verba, sed partim etiam sua verba iudicem faciunt, seu vnum integrum iudicem ex suis & Scripturæ verbis constituunt: Tum demùm, quia Protestantes clamare solent, se *extra verbum ne tantillum quidem velle sapere, Scripturam esse vnicam & perfectissimam regulam fidei, nihil aliud quàm purum putum verbum Scriptum docendum, nihil credendum nisi quod expresso Dei verbo continetur.* Audiant ergo ipsi in his ducētis quinquaginta articulis vnicam Scripturam, meram Scripturam, nec tantillum extra illam sapiant, verba eorum omnia seponantur. Sola scripturæ verba ostendant, vtrum nostra vel Protestantium doctrina ipsi consentanea sit.

Lib. de peccat. merc. 20.
De vnitate. c. 13.
Sermon. 27 de verbis Apost.
De vnitate. loc. cit.
2.
3.
4.
Beza cont. Heshus. p. 275.
Daneus contr. 3. p. 244. contr. 6. p. 1185. Contr. 7. p. 1350.
Hospin. part. 2. fol. 23. videl. c. 4. art.

Secunda conditio est, vt vbi verba Scripturæ non sunt ambigua, aut obscura, nempe vbi ex professo dicuntur, vt sensum scripturæ de re aliqua patefaciant, ibi omnis expositio, commentatio, collatio, aut argumētatio Protestantium conticescat, ac ille solus sensus admittatur, quem eiusmodi pura puta Scripturæ verba ex se ipsis præ se ferunt ac suppeditant. Quia, aut Scriptura per sola sua verba sensum suum de re aliqua sine cuiusquam (maximè vnius partis litigantium) expositione, clarè exprimit, ijs in locis, in quibus ex proposito eum vult exprimere, aut nusquam per se ipsam solam sensum suum clarè explicat. Si autem nusquam per se solam, (maximè si non absque ope vel expositione alterius partis litigantium,) sensum suum explicat, nunquam per se solam erit idoneus iudex, vt satis manifestum est: quia is tantummodo idoneus est per se solum de re aliqua iudicare, qui per se solum potest mentem seu sententiam suam de-

Secunda, per solum sensum verborum Scripturæ.
1.

clarare; Addo etiam, quia si non ille solus sensus, quem verba ex professo à Scriptura dicta vt sensum suum patefaceret, ex se ipsis prę se ferunt, iudex admittatur, sed alius longè diuersus imò oppositus, quē ea exposita, collata, ac torta per alteram partem litigantium exhibent, quis certos nos faciet, quòd sensus verborum Dei, & non potius sensus hominum, (quorum, & non Dei, est ea expositio, collatio, & torsio verborum scripturæ,) iudex statuatur? *Cedant* (inquit Augustinus) *coniecturæ rationis humanæ, assumantur arma diuina. Item: Hæc argumentatio est humana, non authoritas diuina*, Rursus: *Argumenta, quæ profertis, humana sunt: Hæc munimenta diuina sunt.* Et alibi: *Non afferamus stateras dolosas vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, Hoc graue, Hoc leue est, sed afferamus diuinam stateram ex Scripturis sanctis, & in illa quid sit grauius appendamus: Immò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.* Cedant paulisper coniecturæ, & suspiciones humanæ de collatione, aut expositione huius aut illius loci Scripturæ; Non afferamus stateras dolosas expositionis, collationis, argumentationis, aut consequentiæ humanæ, maximè (vt dixi) ab altera parte litigantium confectas, quibus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro appendamus, dicentes, Hoc sentit, Illud non sentit; Hoc verum, illud falsum, hoc sequitur, illud non sequitur, quibus licebit illa Augustini verba opponere: *Hæc argumentatio, coniectura, aut suspicio humana est, non authoritas diuina*; sed afferamus diuinam stateram verborum Scripturæ, & in illa, verba ac

3. doctrinam vtriusque partis appendamus, imò non appēdamus, sed à Domino appensa recognoscamus: Præterea, quia vbi expositio, collatio, aut consequentia facta ab Ecclesia, Concilijs, Patribus, aut nobis, de verbis Scripturæ, reijcitur, iniquissimum est, vt Protestantium expositio, collatio, aut consequentia admittatur. Accedit, quod Protestantes doceant, tum quòd Scrip-

4. tura in omnibus articulis, saltem in omnibus, qui fundamentales & necessariò credendi sunt, facillima & clarissima sit, ita vt nulla cuiusquam interpretatione egeat, quorũ verba referemus lib.1.cap. 4. Tum etiã quod Scriptura claritate omnes omnium Patrum commentarios superet. Lutherus præfat. in assertionem articulorũ t.2.f.95. ait verba diuina esse *apertiora, & certiora omniũ*

Serm. 14. de verbis Apost.

Tractat. 2. de Cant. nono c.7. to.9. l.6. cont. Iuliã. c.5. l.2. de Baptismo. c.6.

hominum verbis, vt pote quæ non per hominum verba, sed hominum verba per ipsa doceantur, probentur, aperiantur, & firmentur. Et Vvitakerus cont. 2. qu. 2. cap. 7. *Scriptura, luce, claritate, omnes omnium Patrum libros superat.* Si autem Scriptura in omnibus articulis necessarijs per seipsam clarissima sit, si interpretatione cuiusquam non egeat; ipsi ab interpretatione aut collatione illius abstineant. Si Scriptura apertior sit omnium hominum verbis, si hominum verba per ipsam aperiantur, si luce, & claritate omnes omnium Patrum libros superet, quidni etiam & Protestantium? Facessant igitur Protestantium libri, sileant eorum cōmentarij, conticescat omnis corū collatio seu collectio, maximè vbi Scriptura & expressis verbis & ex professo de articulis fidei loquitur, eius lucem & claritatem intueamur ac sequamur, eaque sola contenti expositionum Protestantium tenebras, seu erraticum lumen, quale est ignis fatui, quod homines in voragines ac præcipitia ducit, relinquamus. Præterea maximum preiudicium 5.
suæ causæ afferunt, si fateantur, quod ea in ducentis quinquaginta articulis controuersis sustineri nequeat, nisi & expressa Scripturæ verba, & ea ex professo dicta, vt sensum eius de ijs articulis patefacerent, per ipsorum interpretationem, à natiuo, *Nota.*
obuio, & quem verba manifestè præ se ferunt, sensu, in alienum, violentum, imò & oppositum sensum torqueantur. Quod vnum vtinam plebi, quam sub prætextu Scripturæ miserè seducunt, notum esset, non (opinor) eam tam facilè hoc fuco deciperent. Demum, quia si & expressa Scripturæ verba postulent, 6.
& tamen nec ijs in ducentis quinquaginta articulis velint acquiescere, etiamsi dicta sint ex professo, vt Dei mētem nobis declararent, (cùm non sit alius manifestior modus declarandi nobis Dei mentem per Scripturam, quàm per eiusmodi expressa verba) planè ostendunt, quòd nec Deo ipsi velint cedere, sed Gigantum more cum ipso bellum gerere. His ergo duabus æquissimis conditionibus si Protestantes iudicium Scripturæ in his ducentis quinquaginta articulis, in omni penè genere materiæ controuersæ subire velint, manifestè victi sunt, vt ex hoc opusculo constabit: Sin autem nec sub his conditionibus Scripturæ iudicium velint admittere, apertè produnt, quòd nec hominum quorumcunque, nec Dei ipsius sententiæ velint

acquiescere, nisi ipsis eius verba, quantumcunque clara, & ex professo dicta vt mentem suam clarè patefaceret, prout ipsis videbitur, exponere, conferre, torquere permittatur, quod reuera est Dei iudicium ad eorum calculos reuocare. Atque hic istius opusculi finis, ac scopus est.

Modus agendi in hoc opusculo.

Modus autem quo eum prosequor, iste est. Primùm materias controuersas iuxta illarum ordinem distribuo, deinde in quaque materia plures articulos controuersos distinguo, eosque in quæstionis forma propono, postea Scripturæ expressa verba de quoque articulo refero; His subiungo Concilij Tridentini de eadē re decreta, aut Catechismi ad parochos institutiones, & vbi non occurrunt D. Thomæ Aquinatis, vel certè Stapletoni, aut Bellarmini dicta, quibus oppono vnius aut plurium celebrium Protestantium verba directè contradicentia; ac demum summam verborum Scripturæ & Catholicorum cum summa verborum Protestantium confero, vt inde clariùs eorum inter se pugna appareat. Et quia Protestantes non contenti expressis Scripturæ verbis contradicere, audent etiam eadē teterrimorum & horrendorū criminum impiè condemnare, summam quandam huiusmodi eorum condemnationum quæ sparsim per totum primum librum habentur, collegi, eamque cum alia summa suarum magis pugnantium contradictionum contra Scripturam libro ipsi præfixi. Quod ad Scripturæ verba attinet, non affero omnia quæ de quouis articulo afferre potuissem, quia id nec meo instituto necessarium erat, cū Deo æqualis authoritas in vno ac in multis verbis insit, & par fides à nobis habenda sit ei aliquid semel dicenti, ac sæpius repetenti; & tędiū forte alicui generasset: sed ea tantùm, quæ verbis Protestantium maximè opposita videbātur: Neq; probo ea vel clara esse vel ex professo dicta vt Dei mentem ea de re exprimerent, vel manifestè præ se ferre sensum illum, in quo Protestantes eis contradicunt, quia hæc omnia intuenti illa satis per se nota erunt, & effugia, quæ Protestantes ad ea eludenda excogitant, eadem manifestè probant. Neque etiā probo, quòd Protestātes in plerisque articulis controuersis proferre nequeāt eiusmodi Scripturæ verba, quæ & ex professo de ijs rebus dicta sint, & iuxta propriū ipsorū sensū vel etiam videantur immediatè ac directè pro ipsis

Lutherus de Verbis Cœnæ. t. 7. fol. 387. Molineus in Scuto. p. 67.

pronuntiare; tum quia, cùm hoc sit quid negatiuum, illud non mihi probandum, sed Protestantibus, qui contrarium affirmant, improbandum est: tum etiam, quia id perspicuum erit intuenti eorum probationes, quæ in paucissimis materiis ex solis scripturæ verbis, quæ id quod Protestantes volunt, directè videantur asserere, sed plerumque ex ipsorum ratiocinationibus iisque ex altero saltem principio humano contentis ac consequentiis suis constant: Quod vnum si ipsimet aduerterent, facile viderent in plerisque controuersijs tantum discrimen esse inter nostras & ipsorum probationes, quantum inter expressum Dei verbum & humanam rationem intercedit. Neque est quod excipiant, non teneri se probare ea in quibus nobis aduersantur, propterea quòd in iis partem negatiuam sustineant, quæ probatione opus non habet; tum quia in nonnullis ex articulis hîc commemoratis ipsi partem affirmatiuam tenent, vt cum de Deo dicunt, quòd vult & facit peccatum, quòd homines tentat ac prædestinat ad peccata, & similia: de Christo, quòd fuerit verè peccator, timuerit de sua salute, subierit pœnas Inferni, & eiusmodi. Cùm ergo Catholici in his & similibus probent suam negationem per expressa Scripturæ verba, multò magis deberent Protestantes per eadem suam affirmationem probare: tum etiam, quia aliud est simpliciter negare affirmationem Catholicorum esse veram, seu veritatem diuinam [quod Iudæus, Turca, aut quilibet Infidelis facit] aliud, non tantùm eam negare, verùm etiam eam vt falsitatem doctrinæ Christi ac Scripturæ aduersam condemnare, & negationem oppositam tanquam Christi ac Scripturæ doctrinam astruere, prout Protestantes faciunt: Tametsi autem simplici negationi non sit opus vlla probatione, huiusmodi tamē negationi mixtæ, quatenus affirmat seipsam esse doctrinam Christi ac Scripturæ, atque affirmationem oppositam eisdem repugnare, probatio maximè necessaria est. Addo etiam, quòd huiusmodi negationes sunt articuli fidei Protestantium, ac velut tales in ipsorum Confessionibus insertæ; aut igitur eos non secus ac alios suæ fidei articulos ex Scriptura probent, aut fateantur se maximam partem fidei suæ, quæ ex negationibus consistit, ex scriptura probare non posse.

Si Heretici de Scripturis Solis quæstiones suas sistant stare non poterunt, Tertul. de Resur. c. 3. Lutherus de verbis Cœnæ to. 7. fol. 389. Nō decet Hæreticos omnia Scripturâ probare.

Quare Protestantes tenentur probare per Scripturam ea in quibus nobis contradicunt.

1. Expostulātes Scripturæ patrocinium in parte diuersa præiudicant suæ quoque parti Scripturæ patrocinium adesse debere. Tertul. de Corona. c. 2.

Ex Catholicis etiam, plerumque vnum tantùm aut alterum ex authoribus prædictis loquentem facio; eò quod Catholicorum inter se in rebus fidei consensus satis exploratus sit. Potuissem ego, vel catholicam doctrinam in quouis articulo ijsdem omnino verbis efferre, quibus suam sententiam effert Scriptura: vel forte in vno aut aliquo scriptore Catholico reperisse eam propositam iisdem verbis quibus Scripturæ sententia proposita est: Verùm ne Protestantes exciperent, mirum non esse, si Catholica sententia explicetur ijsdem verbis quibus sententia scripturæ à qualicunque scriptore Catholico, aut quãdo id data opera fit, ideo eam non nisi celeberrimorum Catholicorum verbis volui referre, ijsque non tunc dictis, quando ex proposito sermonem suum scripturæ phrasi attemperabant, sed quando ex instituto eam quàm poterant distinctissimè definiebant, explicabant, ac propugnabant. Vt vel hinc pateat, quòd Catholica sententia, quando distinctissimè exprimenda est ab ijs qui eam optimè norunt, ex sua natura postulet ijsdem aut æquiualentibus verbis eum Scriptura explicari. Quod vnum (vt infra ostendam) satis arguit, eam vnam eandemque esse cum Scripturæ sententia.

Lib. 2. c. 1.

Quare plura Protest. dicta referuntur.

Simili etiam ex causa, non nisi celebrium Protestantium verba commemoraui, ne quisquam ea ignorantiæ scribentium attribueret; varia tamen cùm eiusdem, tum diuersorum dicta nonnunquam retuli, tum ne quis putaret ea ipsis fortuitò excidisse: tum etiam, vt ex vario & multiplici modo quo scripturæ verbis contradicunt, eorum pugna cum Scriptura manife-
1. stior euaderet. Aliquando enim tot tamque diuersis loquendi formulis Scripturæ repugnant, vt videri possint data opera ita sermonem suum variasse, ne illius cum scriptura oppositio quenquam lateret. In quo Dei prouidentia mirificè elucet,
2. dum permittere voluit, vt Protestantes tam manifestè totque diuersis modis Scripturæ contradicerent, ne quisquam eorum contradictionem ignoraret. Tum præterea id feci, vt Catho-
3. licus Lector ex pluribus Protestantium dictis seligere posset, quænam ipsius iudicio Scripturæ verbis apertiùs repugnent. Neque tamen vereor ne eorum multitudo vlli infirmo Catholico scandalum aut offendiculum pariat, quia cum antea viderit, Scriptu-

Scripturam eis directissimè & apertissimè aduersari, hac antidoto præmunitus non magis ea æstimabit, quàm tot latratus canum aduersus Cœlum, tot clamores Iudæorum contra Christum, tot damnatorum hominum voces contra Deum. Præterea pleráque eorum tam blasphema sunt in Deum, tam abhorrentia à ratione, tam inimica virtuti, vt ea recitasse refutasse sit, eaque nosse, salus sit Catholicorum. Accedit, quòd cum Catholici Scriptores & in latina & in vulgaribus linguis, non tantùm hæreticorum dicta, verùm etiam argumenta, rationes, ac fundamenta cum magno Catholicorum fructu referant ac refutent, puto me citra cuiusquam periculum nuda Protestantium pronuntiata relaturum; præsertim cùm (vt dixi) pleráque eorum eiusmodi sint, vt ea retulisse confutasse sit, & oppositione Scripturæ omnia quasi cœlesti fulmine dissipentur & euanescãt. Si cui autem Catholico tædio sit vel horrori omnia blasphema Protestantium dicta percurrere (prout certè ego non sine horrore ea scripsi) vel summam tantùm ipsorum contradictionum ac condemnationum verborum Scripturæ, quam priori libro præposui, percurrat; vel ex notis quas in margine libri apposui, se ligat quæ potissimùm sibi legenda videbuntur, vel demum collationem à me factam legat, in quam plerumque summam omnem verborum ipsorum congessi. Atque hic est Scopus & agendi modus quem in priori libro obseruo.

Si cui verò ex nuda recitatione verborum Scripturæ, Catholicorum, & Protestantium in tot tantisque materijs, earumque inter se collatione non satis appareat, Protestantes sensui Scripturæ contradicere, id in secundo libro ex varijs generalibus capitibus, potissimùm verò ex innumeris modis quibus sẽsum Scripturæ coguntur deprauare, clarissimè demonstro, vbi & fædissima effugiorum genera, ad quæ excogitanda adiguntur, & multiplices eorum fraudes, quibus & verba & sensum Scripturæ quando eis premuntur, corrumpere solent ac deprauare, multis allatis exemplis detego: quæ tot talesque sunt, vt eas recitasse, refutasse sit, eosque non tantùm corruptores ac deprauatores verbi Dei, verùm planè contemptores atque irrisores eiusdem esse ostendant.

Scopus secundi libri.

Vtilitates huius operis.

Vtilitas vero huius opusculi multiplex est. Prima eaque

B

potissima, quòd ex sola Scriptura (quam solam Protestantes iudicem ferunt) per viam breuem ac facilem, nempe per nudam recitationem verborum Scripturæ, Catholicorum, ac Protestantium, eorumque inter se collationem, ac horũ multiplicium Scripturam deprauandi modorum detectionem, finis omnibus controuersijs imponi posset. Si enim constiterit Catholicos in plusquàm ducentis quinquaginta articulis controuersis (idemque in multo pluribus ostendi potuisset, si opus fuisset) cum Scriptura & verbis & sententia conuenire, Protestantes verò in eisdem articulis & cum verbis & cum sensu Scripturæ pugnare, omnibus constabit totam Protestantium doctrinam, quâ à Catholica dissentit, tãquam Dei verbo aduersã
2. respuendam ac damnandam esse. Secunda vtilitas est, quòd ad manum erunt loca Scripturæ eaque iuxta materiæ ordinem in certas Classes digesta, quæ in plusquam ducentis quinquaginta articulis controuersis Catholicam fidem directè confir-
3. mant, ac Protestanticam doctrinam condemnant. Tertia est, quòd in promptu erunt celebrium Protestantium, in quouis materiæ controuersæ genere, dicta eiusmodi, quæ non modò cum expressis Scripturæ verbis ex diametro pugnent, verùm etiam plurima eorum tam blasphema sint in Deum, in Christum, in Sanctos, in Ecclesiam, in Sacramenta, in fidem, in bona opera: tam inimica fidei, pietati, religioni: tam amica vitijs omnique licentiæ: tam repugnantia rationi, vt putem multos Protestantes vix credituros esse, quòd ipsorum magistri tam infanda ac horrenda vnquam euomuerint. Quos precor, vt inspectis libris ac locis quos signo, oculis suis credant; ego enim non solùm eorum verba ex ipsorummet libris excerpsi, sed etiam ea-
4. dẽ iam excerpta & nitidè descripta, ab alio adiutus iterum cum ipsorum libris diligenter contuli, ne quicquam, secus quàm ipsimet scripsissent, referrem. Quare, vt pro se aiebat Caluinus in explicat. perfidiæ Gẽtilis. *Nullus erit color cur se calumnijs grauari querantur quando ex meris ipsorum verbis de eorum impietate iudicium ferri postulo.* Norunt autem ij qui rem cum Protestantibus habuerunt, quantum intersit eos conuincere quòd ea docent quæ reuera docent, cum in eo magnam victoriæ partem sitam esse experti sint. Quarta vtilitas est quòd hinc constabit

Catholicos penè in omnibus controuersijs hodie inter ipsos & Protestantes agitatis, verbis Scripturæ firmiter adhærescere, & literam ac loquendi formam ipsius sanctè obseruare: Protestantes verò saltem à verbis ac forma loquendi Scripturæ quàm lõgissimè discedere, imò planè oppositam ac contrariam formam inducere. Neque est quòd leue hoc crimen esse arbitrentur, tum quia cùm purum putum & expressum Dei verbum iactitent, hinc eos aliud iactare, aliud facere manifestum erit: tum etiam, quia Deus ipse per Apostolum præcipit vt *vitemus prophanas vocum nouitates, & habeamus formam sanorum verborum quam ab ipso didicimus*, quod certè non obseruant ij, qui formam ipsam loquendi Scripturæ omnium maximè sanam reijciunt, & nouitates vocum ipsius vocibus oppositas vsurpant: tum præterea, quia cùm eum non solùm sensus, sed etiam verba & loquendi forma Scripturæ à Spiritu S. prodierint, sacrilega audacia est Dei verba aut Dei loquendi formam reijcere, & verba hominis & contrariam loquendi formam substituere, ac si vel Spiritus Sanctus nostræ ferulæ subijciendus esset, ac docẽdus quòd alijs verbis & opposita sermonis forma mentem suam exprimere debuisset, vel certè ipse aliter quàm olim per Prophetas & Apostolos loquutus est, modò per nouos hos Euangelistas loqui instituisset. Minimè itaque ferenda est impietas eorum, qui cum Spiritus Sanctus in Scriptura sæpissimè ac disertissimè credulitatem impiorum seu reproborum vocet fidem, & nusquam neget esse fidem, ausint tamen dicere, quòd sit *indigna fidei appellatione*: cum sæpe pronunciet Eucharistiam esse corpus Christi, & nusquam id directè neget, ausint tamen asserere, quòd non sit corpus Christi: atque ita in alijs quam plurimis, in quibus, si non mentem, saltem linguam S. Spiritus corrigendam, & ad normam suæ doctrinæ reformandam susceperunt: Longè autem aliter S. Patres ac veri verbi Dei cultores. Nota est Sancti Spiridionis reprehensio Triphylij, quòd legendo Euangelio vocem *grabati* in *lecti* mutasset. Nota illa præclara Sancti Basilij M. vox ad Præsidem Arianum: *Qui sunt in Sacris literis educati, ne vnam syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed pro eorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur*: Nota grauissima illa S. Augu-

Catholici adhærent litteræ Scripturæ, Protestantes eam deserunt.

1. *Tim.* 6.

2. *Tim.* 1.

Cal. 3. *inst.* *ca.* 2. *§§.* 10. *vide §.* 5.

Sozomenus lib. 1. *c.* 11.

Theod. l. 4. *cap.* 17.

Lib. 10. *de ciuit. c.* 23.

ſtini admonitio: *Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt: nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.* Quin imò Proteſtantes ipſi aliquando videri volunt acres defenſores & vindices verborum ac modi loquendi Scripturæ. Sic enim Caluinus 1. inſtitut. c. 13. §. 3. *Petenda eſt certa ex Scripturis & cogitandi & loquendi regula, ad quam & mentis cogitationes omnes, & oris verba exigantur.* Item: *Negamus fas nobis eſſe diſcedere à certis Chriſti verbis.* Et Beza ad defenſ. Caſtel. pag. 432. *Video omnes pios & eruditos Theologos ſemper exiſtimaſſe, Spiritum Sanctum non animum tantùm, ſed etiam linguam & calamum gubernaſſe, adeo vt περὶ τῶν τοῦ θεοῦ μεγαλείων*, non modò nihil veriùs aut ſanctiùs, ſed etiam nihil tam grauiter, tamque propriè dici à quoquam mortali poſſit. Et de Prædeſtinat. pag. 359. *Et vos ita eritis circumſpecti, vt ſanctiùs etiam vos poſſe loqui exiſtimetis, quàm ipſe Spiritus Sanctus ſit locutus?* Bucerus etiam in præfat. comment. in Matthæum: *Nulla ſapientia carnis valet ad hæc myſteria regni Dei pertingere. Tunc ergo maximè luculenter, & perſpicuè, & certò ex his fidei rebus loquemur, cùm loquemur ad regulam formamque Scripturæ.* Et apud Hoſpinian. part. 2. hiſtor. fol. 189. *De omni negotio quid ſentiendum & loquendum ſit, ex Scripturis petendum eſt, & à Spiritu Sancto. Non ſunt ergo formæ loquendi Spiritus Sancti corrigendæ pro noſtræ rationis iudicio.* Hæc illi in ſua & ſuorum capita pronunciant.

De vera Eccl. Refor. p. 326.

5. Vtilitas.

Quinta, eaque non exigua vtilitas eſt quòd hoc pacto detrahetur Proteſtantibus prætextus ille Scripturæ & verbi Dei, quo perpetuò clamantes Catholicam fidem dumtaxat verbis & authoritate hominum niti, ſua autem placita omnia expreſſa Scriptura fulciri, ſimplicibus imponunt, eoſque ſic à Catholica fide ad ſua dogmata amplectenda abducunt, *Papa*, (inquit Lutherus) *cùm nullã Scripturã habeat quã ſe defẽdere poſſit, hoc vnico ac perpetuo argumento contra nos vtitur, Eccleſia, Eccleſia.* Item *Noſtra ſententia his verbis diuinis traditur, aduerſaria verò verbis hominum humanaque opinione*, Et iterum, *Vniuerſa Scriptura à nobis ſtat per ſingulos apices & literas.* Et Caluinus: *Papiſtæ nihil armorum in Scriptura reperiunt, imò ipſam totam ſibi aduerſam eſſe vi-*

In 1. Gal. fol. 275.

Tom. 2. in aſſert. ar. 2.

Ibid. fol. 475.

In act. 9. v. 22.

dent. Et alibi; *Ego habeo totam Scripturam mihi suffragantẽ*, Sadeel etiam. *Nostra doctrina expresso Dei verbo nititur.* Et alio in loco *Professi fuimus ipso etiam 5. Confessionis Gallicæ articulo, fidem nostrã duntaxat, omnino, & expresse, fundatam esse in verbo Dei prout in sacris literis comprehenditur.* Eademque est cæterorum omnium cantilena & gloriatio. Hic autem inanissimus eorum prætextus manifestè in hoc opusculo refellitur, in quo ostensum est Catholicos in plusquam ducentis quinquaginta articulis controuersis apertissimam Scripturam habere quâ se defendant, eosque abundè armorum & plusquam Protestantes vellent in Scriptura reperire: & in eisdem Scripturam Protestantibus directissimè repugnare, eosque cogere vt partes nonnullas Scripturæ negent, alias expungant, alias mutent, alias fictitiis, violentis expositionibus ac tropis eludant, ipsosque suis glossis, suis consequentijs, & effugijs contra expressa Dei verba ac diuina fulmina niti.

In antidot. sess. 6. c. 8.

De vocatione Minist.

Ad art. 1. abiur.

Sexta huius opusculi vtilitas est quòd si cui non videatur ex eo euidenter conuinci, quòd Scriptura in his ducentis quinquaginta articulis cum Catholicis consentiat, & à Protestantibus dissentiat, illud saltem euidentissimè ex eo apparet, quòd Catholici, & quoad verba & quoad sensum etiã Scripturæ Protestantibus longè superiores sint. Quod vnum vtinam imperiti Protestantes aduerterent. Etenim quod ad verba spectat, in plusquàm ducentis quinquaginta articulis, aut ijsdem omnino, aut similibus cum Scriptura verbis sententiã nostram efferimus, vt vbi illa negat, nos negemus, vbi affirmat, affirmemus: Protestantes verò, quoad verba saltem ac genus propositionis, contrarium omnino faciunt, affirmando quod Scriptura negat, & negando quòd affirmat. Præterea Catholici, vt sua dogmata tueantur, nullum omnino librum, qui vnquam ab Ecclesia habitus est pro parte Scripturæ, reijciunt, nulla eius verba eradũt, aut in dubium vocant, vel eorum ordinem inuertunt, prout Protestantes coguntur facere vt sua placita defendant. Et quod ad sensum attinet: Catholici in his ducentis quinquaginta articulis sensum illum amplectuntur, quem expressa Scripturæ verba, eáque clara, & dicta ex professo vt sensum Scripturæ eis de rebus exprimerent, manifestè præ se ferunt: Protestantes verò

6. Vtilitas.

Catholici superiores Protestantibus.

Quoad verba Scripturæ. 1. 2.

Et quoad sensum Scripturæ.

hunc ſenſum huiuſmodi verborum coguntur reſpuere, & oppoſitũ ſupponere. Præterea Catholici in pauciſſimis ex his ducentis quinquaginta articulis ad aliquid adigũtur, quod vel ſpeciem effugij habeat, eò quod (vt dixi) in ijs obuiam & fluentem verborum Scripturæ ſenſum amplectentur: Proteſtantes autem ad innumera eáque improbabilia ſubterfugia excogitanda cõ-
1. pelluntur. Deinde Catholici in his ducentis quinquaginta articulis expreſſa Scripturæ verba, & ſenſum quem illa ſine omni collatione aut commentatione humana manifeſtè præſe ferũt, pro iudice harum controuerſiarum admittent: Proteſtantes ve-
2. rò in his articulis expreſſum verbum Dei, niſi quatenus ab eis exponitur confertur aut torquetur, pro iudice admittere non audebunt. Demum Catholici in nulla omnino quæſtione ſen-
3. ſum illum, qui vnanimi conſenſu à Patribus Eccleſia & Concilijs generalibus traditur, reijciunt: Proteſtãtes verò eum in pluribus reſpuunt. Cùm ergo videamus Proteſtantes non ſolùm
4. quoad alia omnia, nempe quoad Eccleſiam, Patres, Concilia, &c. ſed etiam quoad ipſa expreſſa Scripturæ verba, & ſenſum eorundem, in pluſquam ducentis quinquaginta articulis controuerſis Catholicis inferiores eſſe, amentis plane eſt, rejectis Catholicis eos ſequi.

Si quis autem Proteſtantium ad tegendam aut minuendam, hanc ſuorum hominum infamiam de contradictione expreſſorum verborum Scripturæ, conetur oſtendere etiam Catholicos in multis rebus Scripturæ contradixiſſe. Primùm reſpondeo, quòd hoc ſit alios accuſare, non ſuos defendere. Purget autem ſuos ab hoc crimine antequàm idem in alios regerat. Si autem non poſſit aliter ſuos excuſare, quàm alios in eiuſdem criminis ſuſpicionem inducẽdo, manifeſtè prodit eos huius criminis reos eſſe. Demum ſi aut non velit, aut non poſſit aliter ſuos excuſare, quàm Catholicos eiuſdem criminis accuſando, has æquiſſimas conditiones obſeruet. Primùm non agat niſi de articulis inter Catholicos & Proteſtantes controuerſis. Secundò proferat in totidem articulis controuerſis tam directa tamque manifeſta Scripturæ teſtimonia, eáque tam quoad verba quàm quoad ſenſum cum ipſorum dogmatibus conſentientia, ac nos protulimus. *Probare tam apertè debebis* (ait Tertullianus) *quàm nos pro-*

Quid obſeruandum illi qui recriminari vult Catholicos. 1. 2.

Contra Praxeam. c. 11.

bamus. Exhibe probationem quàm expostulo meæ similem. Et S. Augustinus: *Legite tam aperta quàm sunt ista quæ vobis legimus.* Item: *Aliquid manifestum, quod interprete non egeat, à vobis flagitamus.* *De vnitate c.6.24.*
3. Tertio ostendat Concilium Tridentinum in tot articulis controuersis directè contradicere expressis verbis Scripturæ, in quot nos ostendimus eorum confessiones Fidei, *quibus* (vti scribunt) *tantundem ferè apud ipsos, quantum apud nos Concilio Tridentino defertur*, fecisse. *Vorstius præfat. in Antibell. Præfatio in syntagma Confessionum.*
4. Quartò ostendat, tot tantósque Catholicos Scriptores, in tot tantisque controuersijs, expressis Scripturæ pronuntiatis, ijsque ex professo dictis vt sensum Scripturæ exprimerent, aduersari, quot quantosque Protestanticos Scriptores nos ostendimus ijs aduersatos esse. Dixi autem pronunciatis, quia longè aliud est Scripturę pronuntiatis contradicere, quibus aliquid esse aut non esse pronuntiat, quàm à simplicibus eius verbis, quibus solum rem aliquam significat, discedere. Exempli gratia: longè aliud est negare Eucharistiam esse corpus Christi, quod Scriptura sæpiùs disertè affirmat, quàm negare eam esse propriè panem, quod Scriptura nusquam affirmat, etsi aliquando eam panis nomine nuncupet. Ab huiusmodi exemplis ergo desistat.
5. Quintò ostendat, Catholicos id fecisse, non vbi obiter, sed vbi ex professo aliquid tractabãt, prout fecerunt Protestantes.
6. Sextò ostendat, tot tantósque Catholicos Scriptores, in tot tantisque controuersijs, sensum expressorum verborum Scripturæ, eorumque in hunc finem dictorum vt sciremus quid Scriptura de re aliqua sentiat, obuium, fluentem, & quem illa manifestè præ se ferunt, reiecisse, ac nos ostẽdimus de Protestantibus.
7. Demum ostendat, tot tantósque Catholicos Doctores, in tot tantisque controuersijs, vt causam suam contra Protestantes tueantur, coactos esse partim Scripturę verba negare, eradere, aut in dubium vocare, partim tot tamque inaudita effugiorum genera excogitare, aut erubescat dicere, Catholicos in hoc crimine cum Protestantibus pares esse.

7. *Vtilitas.* Septima eáque permagna vtilitas est, quòd in hoc opusculo, aut omnia, aut certè præcipua, & Protestantibus maximè vsitata effugiorum genera, quibus testimonia Scripturæ sibi aduersantia deprauare aut eludere solent, deteguntur. Quod sanè

non minus vtile est, quàm hostium, quibuscum bellum gerendum est, stratagemata & dolos detexisse. *Et væ* (vt inquit Tertullianus) *qui non dum in hac carne est, cognouerit arcana hæretica.* Effugia autem hæc ac Scripturæ deprauandi modos sigillatim non refello: tum quia tot sunt, vt infiniti laboris esset ea omnia persequi; tum etiam, quia talia sunt, (prout ea intuenti facillimè patebit) vt ea recitasse, refutasse sit: tum præterea, quia si admittantur, clarissimum erit nihil fore in tota Scriptura certum, nullam esse hæresim tam Scripturæ contrariam, quæ ex Scriptura confutari queat: Atque hæ huius opusculi vtilitates sunt. Restat vt scrupulos quosdam amoueamus qui earum perceptionem impedire poterunt.

Lib. de resurrect. c. 19.

Ex scrupulis, quos inijcere possunt Protestantes, primus occurrit is quem mouent contra authoritatem vulgatæ versionis Latinæ, quam in Scripturæ verbis citandis sequor. Cæterùm vt omittam ea quæ pro authoritate huius versionis à Catholicis afferuntur (neque enim hac de re agendi locus nunc est) præsenti instituto sufficit id quod de illa Protestantes ipsi agnoscunt. Ita enim scribit Casaubonus exercit. 13. contra Baronium: *Equidem versionē latinam librorū sacrorū esse Scripturā diuinā agnosco, & de hoc vel dubitare inexpiabile nefas sentio*, aliaque eiusmodi Protestātiū encomia de vulgata versione legi possunt in Apologia Protestātiū pro Romana Ecclesia tract. 1. sect. 10. subdiuis. 4. Si ergo Latinæ versioni contradicant, ipsi Scripturę diuinę contradicunt. Præterea paucis in verbis & vix vllis in hoc opusculo citatis versio vulgata ab originali Scriptura discrepat: ac proinde cauillus de illius discrepantia cum originali Scriptura hac in re friuola & inanis tergiuersatio est.

Secundus eorum scrupulus esse potest, quòd Scriptura ipsa aliquando verbo tenus sibi contradicit, nec tamen vnquam quoad sensum sibi repugnat, ideoque nec tanti refert si Protestantes Scripturæ verbis aduersentur, neque inde inferri potest, quòd sensui eiusdem refragentur. Respondeo enim Scripturam nec toties, nec in tot tantisque materijs: neque tam manifestè & directè, verbo tenus sibi contradicere, ac illi contradicunt Protestantes; neque ad eius dicta inter se concilianda opus esse tot tamque incredibilibus subterfugiis, quot necessaria

ria sunt ad concilianda dicta Scripturæ & Protestantium. Præterea Deo fas est loqui prout ipsi videtur, adeoque ad fidem & studium nostrum exercendum speciem aliquam contradictionis verbis suis admiscere: Protestantes tenentur loqui ad præscriptum Dei, neque ei vel verbo tenus reluctari. Deinde non licet ex vlla oppositione quæ videtur esse inter Dei verba colligere, quòd sit vlla oppositio in sensu eiusdem, quia scimus eum à seipso nullo pacto posse dissidere: Protestantes verò non posse à Dei mente discrepare, non legimus, ac proinde ex ipsorum verborum cum Scripturæ verbis oppositione, maximè tam frequenti, támque directa, & manifesta, in tot tantisque materijs, iure eos cum Scripturæ sensu pugnare colligimus. Addo etiam, quòd cauillus hic non minùs alijs quibuscunque hæreticis, quàm ipsis subseruire possit, quandoquidem vix vlli fuerint, qui tam frequenter, tam directè, tamque manifestè Scripturæ verbis contradixerint.

Tertius eorum scrupulus seu cauillus esse potest, quòd fortè etiam Catholici aliqui verbo tenus Scripturæ aliquando contradicant. Sed hunc scrupulum supra amouimus. Addo etiam, quòd si probare possent (quod nunquam facient) parem hac in re esse quorundam Catholicorum atque ipsorum culpam, id tamen nullum Catholicæ Ecclesiæ præiudicium afferret, tum quia Catholica fides non est cuiusuis vnius aut plurium Catholicorum doctrina, sed communis omniũ: Protestantica verò fides multis in rebus quorundam Protestantium doctrina est, propterea quòd ipsorum Ecclesia in omnibus fidei rebus secum ipsa non consentiat: tum etiam quia si Catholica Ecclesia aliquid Scripturæ contrarium in suorum hominum Scriptis reperiat, illud nec approbat nec dissimulat, sed expungi & deleri mandat; Protestantica verò Ecclesia huiusmodi errata in suorum hominum Scriptis vel approbat, vel saltem dissimulat ac tacet.

Discrimina inter Catholicos ac Protestantes.

Huic affinis est alter seu scrupulus seu cauillus, quo ad tegendam suorum effugiorum turpitudinem, dicent etiam Catholicos aliquando ijs vti. Respondeo Catholicos hac in re à Protestantibus longè distare. Primùm enim, neque tot neque tanti Catholici Scriptores ijs vtuntur, quot quanti- 1.

que Scriptores Proteſtantici. Deinde, neque vlli omnino Catholici omnibus eorum effugijs vtuntur, quia ipſorum quædam manifeſtæ ſunt Scripturæ corruptiones ac deprauationes; neque etiam ea quibus vtuntur, toties adhibent quoties Proteſtantes. Accidere autem poteſt, vt quod ſæpius vſurpatum non niſi effugium habendum ſit, certo loco adhibitum pro legitima reſponſione accipi debeat: Neque etiam ferè in huiuſmodi materijs. Catholicj enim in paucis & vix vllis materijs inter ipſos & Proteſtantes controuerſis vllum eiuſmodi reſponſionum genus adhibent: Proteſtantes autem in nullo ex ducētis quinquaginta articulis hic commemoratis abſque alicuius ſubterfugij adminiculo poſſunt conſiſtere. Quæ omnia planè indicant latiſſimum eſſe inter cauſam Catholicam & Proteſtanticam diſcrimen, atque huic reuera Scripturam aduerſari, illi verò videri tantùm repugnare, idque (vt dixi) paucis in locis atque ad fidem & induſtriam noſtram exercendam. Perſpicuum enim eſt, quòd longè aliter Scriptura ſe habeat erga eam cauſam, quam in pluſquam ducentis quinquaginta articulis controuerſis verbis expreſſis ita iugulat, vt illius fautores ad eam quomodocunque ſuſtentandam, cogat & ſæpiſſimè & quamplurima effugiorum genera adhibere, quorum aliqua manifeſtæ ſunt Scripturæ corruptiones, quàm erga eam, pro qua in totidem articulis controuerſis apertè ſententiam pronuntiat, neque ei niſi in pauciſſimis rebus vel videtur aduerſari, neque id magis, quàm vt eos cogat quandoque illo reſpondendi modo vti, quo (vt alia argumenta omittantur) ipſorummet aduerſarij & ſæpius & in pluribus materijs vtuntur & approbant.

Vltimus ſcrupulus eſſe poteſt, quòd nec omnes contradictiones erga Scripturam, nec omnia effugiorum genera quæ in hoc opuſculo commemorantur, aut facta ſint aut approbentur ab omnibus Proteſtantibus, vel ab ipſorum Eccleſijs, ac proinde nec Proteſtanticæ Eccleſiæ, nec Proteſtantibus generatim attribuenda ſunt. Reſpondeo, quod etſi non omnes, tamen permultæ ex contradictionibus & euaſionibus hic recitatis reperiantur in ipſorum confeſſionibus fidei alijſque ſcriptis publico ipſorum nomine editis, quæ

Cur cōtradictiones Proteſt. aſcribendæ ſint eorum Eccleſiæ.

1.

proinde Protestanticæ Ecclesiæ ascribi debent, eæque solæ satis ostendunt fidem Protestanticam Scripturæ esse 2.
contrariam. Præterea, pleræque ex his contradictionibus atque euasionibus à primarijs Protestanticæ Ecclesiæ Ducibus nempe Luthero, Melãcthone, Zuinglio, Caluino, & similibus fabricatæ sunt, ideoque aut eas agnoscere debent Protestantes, aut primarios suos Duces tanquam diuini verbi hostes ac deprauatores damnare. Certè eæ satis indicant, huiusmodi Duces, eorumque doctrinam non à Deo, sed à Diabolo profectam esse. Deinde singulæ contradictiones euasionesque à nobis recensitæ, ab vno aut pluribus præcipuorum 3.
Protestanticorum Doctorum ortæ sunt, quorum doctrinam ipsorum Ecclesia, nec publico aliquo iudicio condemnat, neque illius Doctores ad eam reuocandam compellit, neque etiam eam ex ipsorum libris expungendam curat: sed & ipsos pro Magistris optimis habet, eorumque doctrinam, si non publico suffragio, saltem silentio ac dissimulatione approbat, 4.
ac proinde suam facit. Accedit, quòd Protestantes soleant obijcere Catholicæ Ecclesiæ, si vel vnus quãtumuis obscurus Catholicus Scriptor aliquid perperam scripserit.

Cæterùm siue contradictio aut deprauatio Scripturæ ab vno aut pluribus celebribus Protestantibus facta, nec ab Ecclesia Protestantica damnata, ipsi Ecclesiæ Protestanticæ ascribenda sit, necne, illud instituto meo sufficit, tum quod communis fides Protestantica in multis articulis controuersis, & verbis & sensui Scripturæ directissimè repugnet, vt liquet ex ijs quæ ex Protestantium Cõfessionibus fidei, & alijs publicis eorum Scriptis retulimus: tum etiam quòd primi, primarij, præcipui Protestanticæ doctrinæ prædicatores & defensores, quorum aliquos, Protestantes pro Apostolis, 1.
Prophetis, Euangelistis, viris extraordinariè à Deo missis & illuminatis, omnes pro verbi Dei ministris habent, in plusquam ducentis quinquaginta articulis controuersis doctrinã 2.
proferant verbis & sensui Scripturæ oppositam, atque vt eam quoquomodo tueantur, quam plurimis & fœdissimis modis Scripturæ verba & sensum negent, deprauent, corrumpant. Hinc enim clarissimè patebit Primarios Protestantium Du- *Nota.*

Institutum obtinetur, licet contradictio cuiusque Protestantis non ascribatur eorum Ecclesiæ.

ces non reformatores ſed deformatores, non verbi Dei, ſed verbi Diaboli miniſtros, non paſtores ſed lupos, non à Deo illuminatos, ſed à Diabolo occæcatos, non Apoſtolos, ſed Apoſtatas, non audiendos, ſed fugiendos ac deteſtandos eſſe, quippe qui ſub inani & falſiſſimo prætextu Scripturę, eiuſdē doctrinam apertiſſimè oppugnant, fideles à veritate Scripturę ad Diaboli mendacia, à Catholicę Eccleſiæ gremio, à certiſſima ſalutis via ad ſempiternam perniticm abducunt.

Denique admonitum velim Lectorem, quòd quæcunque aſperiùs in hoc opuſculo in Proteſtantes dico, ea duntaxat in eorum doctores ac ductores dicta eſſe intelligo, communi tamen Proteſtantium nomine vtor, vt cæteri intelligant crimina quæ illis obijcio, ab eorum doctrina proficiſci, ideoque eam ſibi fugiendam ac deteſtandam eſſe, ne eorundem criminum participes fiant. Voraginem ſcelerum, in quam ipſorum ductores eos præcipitatum eunt, ipſis ob oculos pono, ne mihi ſuccenſeant, quòd periculum ſuum ipſis oſtendam, ſed ſuis ſeductoribus, quòd ſub falſo Scripturæ prætextu eos in illud induxerint, Deumque ex animo precor & precabor, vt eorum oculos aperiat quo grauiſſimum præſentiſſimumque, in quo verſantur, periculum videant & fugiant; ac zelum, quo erga eius verbum feruntur, vero ſuo lumine colluſtret, ne ſimul cum eis, qui zelum Dei habebant, ſed non ſecundum ſcientiam, in æternum pereant.

Rom. 10. v. 2.

SVMMA QVARVNDAM MAGIS pugnantium Contradictionum inter expressa S. Scripturæ & Protestantium verba, signato Capite & Articulo vbi fusiùs legantur: Quæ ad meliùs intelligendum ac reminiscendum ea quæ sequuntur plurimùm conferet.

CAPVT PRIMVM DE DEO.

SCRIPTVRA. Non Deus volens iniquitatem, tu es.

Deus non vult iniquitatem.

Protestantes. Deus vult peccatum propter aliud. Voluit Adam peccare. Voluit, & ordinauit peccatum Adæ. Deus vult iniquitatem fieri. Deus vult improbitatem propter aliud. Deus vult iniquitatem voluntate beneplaciti. *Vide plura Cap.* 1. *Art.* 1.

Vult iniquitatem.

Non facit iniquitatem.

Scriptura. Dominus iustus in medio eius, non faciet iniquitatem.

Facit iniquitatem.

Protestantes. Proditio Iudæ fuit proprium opus Dei, sicut vocatio Pauli. A Deo potenti & efficaci manu fiunt mala culpæ. Non alio sensu Dei consilio ascribitur Pharaonis sæuitia, quàm gratia Egyptiorũ. Deus facit peccatum. Quoque modo operatur mala. Procurat ipsa peccata. *Vide plura Cap.* 1. *Artic.* 4.

Non mandat peccare. *Mandat peccare.*

Scriptura. Nemini mandauit (*Deus*) impiè agere.

Proteſtantes. Deus Sathanam compellans, iubet ire vt ſit ſpiritus mendax. Dat Sathanæ apertum fallendi mandatum. Sathan ad Achabum decipiendum expreſſo Dei mandato mittebatur. *Vide plura Art.* 5.

Non tentat ad mala. *Tentat ad mala.*

Scriptura. Deus intentator malorum eſt.

Proteſtantes. Deus flectit ad mala, Deus mouet ſontes ad peccandum. Deus author tentationis. Deus incitat diabolum ad mentiendum. Impellit voluntates in grauia peccata. Ad peccata tentando impellit. Eſt author tentationum. *Vide plura Art.* 7.

Odit omnes operantes iniquitatem. *Non odit omnes tales.*

Scriptura. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.

Proteſtantes. Deus non omnes odit in quibus eſt iniquitas. Deus electis, cùm peccant, iraſcitur, ſed eos nunquam odit, Deus iraſcitur peccantibus fidelibus, at non odio proſequitur. *Vide plura Artic.* 9.

Non iuſtificat impiũ manentem talem. *Iuſtificat impium.*

Scriptura. Qui iuſtificat impium, abominabilis eſt apud Deum.

Proteſtantes. Cùm Deus prohibeat iuſtificare impium, anne rectè facere dicitur, quod ipſe prohibet? Rectè. Quia omni lege ſuperior eſt. Homo quamuis impius ſit, pius tamen à Deo cenſetur. Iniuſti licet, pro iuſtis habemur. *Vide plura Articul.* 10.

Iraſcitur fidelibus cùm peccãt. *Non iraſcitur eis.*

Scriptura. Aduerſus Aaron vehementer iratus, voluit eum conterere.

Proteſtantes. Deus iram ſemper à fidelibus cõtinet. Deus non iraſcitur peccatoribus. *Vide plura Artic.* 11.

Delectatur bonis operibus. *Non delectatur.*

Script. Talib. hoſtijs promeretur (εὐαρεστεῖται delectatur) Deus.

Proteſtantes. Talis Deus nuſquam eſt, qui noſtris bonis operibus delectetur. Opera ille nihil curat. Noſtra opera non moratur. *Vide plura Art.* 13.

Colitur bonis operibus. *Non colitur eis.*

Scriptura. Ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens die, ac nocte.

Proteſtantes. Deo vero non ſeruitur operibus. Tantum vnus eſt cultus Deo placens, nempe vera fides. *Vide plura, Artic.* 14.

Placatur bonis operibus.

Scriptura. Stetit Phynees & placauit, & ceſſauit quaſſatio.

Protestantes. Nusquam est talis Deus, qui placari possit nostris bonis operibus. Opera quæ iuxta legem Dei facio, non placant iram Dei, sed irritant. *Vide plura. Artic.* 16. *Non placatur eis.*

Scriptura. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in Cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. *Vult sua præcepta seruari.*

Protestantes. Se nolle fieri (*præcepta*) testatur. An promissiones legales vult à nobis fieri? Nihil minus. Mandat aliquid, quod fieri non vult. Deus præcepta sua propriè loquendo non vult à nobis seruari. *Vide plura. Art.* 17. *Non vult ea seruari.*

Scriptura. Conclusit Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur. *Miseretur omnium.*

Protestantes. Conclusit omnes (*reprobos*) sub peccato, vt omnes illos iustè perderet. Deus non voluit omnium misereri. *Vide plura. Art.* 18. *Non miseretur omnium.*

Scriptura. Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. *Diligit omnes.*

Protestantes. Deus dici non potest, omnes diligere. *Vide plura. Art.* 18. cit. *Non diligit omnes.*

Scriptura. Deus omnes homines vult saluos fieri. *Vult omnes saluari.*

Protestantes. Non vult omnes seruari. Verum non est, Deum velle omnes saluari per Christum. *Plura. Art.* 19. *Non vult omnes saluari.*

Scriptura. Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur, & viuat. *Non vult mortem peccatoris.*

Protestantes. Deus vult mortem peccatoris voluntate imperscrutabili. Deus quosdam creat ad mortem. Deus quosdam creat in hunc finem, vt perdantur. *Vide plura. Art,* 22. *Vult eius mortem.*

Scriptura. Deus mortem non fecit. *Non fecit mortem.*

Protestantes. Deus author mortis. Ne hoc quidem simpliciter verum est, Deum non esse principium, seu causam damnationis. *Plura, Art.* 22. *cit.* *Fecit mortem.*

Scriptura. Non enim necessarij sunt ei homines impij. *Non sunt necessarij ei peccatores.*

Protestantes. Falsum est, Deum non opus habere peccatore. *Artic.* 22. *citat.* *Sunt ei necessarij.*

Scriptura. Discedite à me maledicti in ignem æternum, Esuriui enim & non dedistis mihi manducare. *Damnat propter peccata.*

Protestantes. Deus mera sua voluntate homines damnat. Inmeritos damnat. Causam hic nullam aliam esse dicimus *Non dam-*

nat propter peccata. damnationis hominum quàm merum Dei beneplacitum. *Vide plura. Art.* 23.

Omnia sunt ei possibilia. *Scriptura.* Apud Deum omnia possibilia.

Nõ omnia. *Protestantes.* Habet aliquam exceptionem tuum illud dictum: Omnia esse Deo possibilia. *Vide plura. Artic.* 24.

CAPVT SECVNDVM DE CHRISTO.

Christus est prędestinatus filius Dei. *Scriptura.* Qui (*Christus*) prædestinatus est Filius Dei.

Non est prædestin. *Protestantes.* Christum prædestinatum esse Filium Dei, est Arianiticum. *Articulo.* 2.

Tulit nouas leges. *Scriptura.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti. Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. *Item.* Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.

Non tulit. *Protestantes.* Quod Christus nouas leges tulerit, prorsus negamus. *Articul.* 7.

Euangeliũ noua lex. *Scriptura.* Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Item.* Iugum meum suaue est & onus meum leue.

Non noua lex. *Protestantes.* Euangelium nullo modo noua lex dici debet *Articul.* 7. *citat.*

Christus est iudex. *Scriptura.* Ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Non est iudex. *Protestantes.* Deus Filium suum ita tibi proponit, quod sit Seruator, & non Iudex. *Articul.* 8.

Sunt duo testamẽta. *Scriptura.* Hæc enim sunt duo testamenta.

Non sunt duo. *Protestantes.* Atqui cum duo testamenta non sint, hoc vnũ sit oportet. *Artic.* 9.

Christus sciuit quod nõ didicit àquoquam. *Scriptura.* Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?

Fuit erudi. tus ab alijs. *Protestantes.* Ita Christus ignorauit, vt disceret ipse, & erudiretur more hominum. *Artic.* 10.

Fuit innocens, nõ peccator. *Scriptura.* Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. *Item.* Qui peccatum non fecit.

Protestantes. Non debemus pingere Christum innocentem. Christus fuit verè peccator. Mortem refugiendo, mollitiem suam fatetur, desperatione obrutus ab inuocando Deo destitit. *Artic.* 11. *Fuit peccator, non innocens.*

Scriptura: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Fuit dilectus Deo.*

Protestantes. Deus fecit Christum reum, exosum Deo. *Art.* 10. *cit.* *Fuit exosus Deo.*

Scriptura. Hoc mandatum (*ponendi animam*) accepi à Patre. *Habuit præceptũ moriendi.*

Protestantes. Dicunt: Lex lata est, vt *Christus* moreretur; sed hoc est contra Scripturam. *Artic.* 14. *Nõ habuit præceptum moriendi.*

Scriptura. Dedit semetipsum redemptionem (*Græcè* ἀντίλυτρον) pro omnibus. *Erat sufficiens redẽptio pro omnibus.*

Protestantes. Errant docentes Christi mortem esse λύτρον sufficiens pro omnium & singulorum hominum peccatis. Ne sufficienter quidem, nedum efficaciter, pro omnibus mortuus est. *Artic.* 16. *Non erat sufficiens.*

Scriptura. Reconciliauit in corpore carnis eius per mortem. Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt. *Redemit nos per mortẽ corporeã.*

Protestantes. Nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus. Ratio ipsa dictat, mortem corporalem solam (*Christi*) eos redimendo esse non posse, qui mortem corporis & animæ meruerant. *Artic.* 17. *Non per mortẽ corpoream.*

Scriptura. Christus pro impijs mortuus est. *Item*. Eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. *Mortuus est pro impijs & dãnatis.*

Protestantes. Quomodo Christi carnem edant impij pro quibus non est crucifixa? Non pro impijs & damnatis effudit sanguinem. Reprobi non sunt redempti per Christum. *Articul.* 18. *Nõ pro impijs & dãnatis.*

Scriptura. Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium. *Est Saluator omnium*

Protestantes. Christus electorum solummodò, & nullorum præterea redemptor existit. *Artic.* 18. *citat.* *Non omnium.*

Scriptura. Pro omnibus mortuus est Christus. Dedit *Mortuus*

est pro omnibus. redemptionem semetipsum pro omnibus.

Non pro omnibus. *Protestantes.* Non pro omnibus, sed pro aliquibus mortuus est Christus. *Articul.* 19.

Pro peccatis totius mundi. *Scriptura.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Non pro peccatis totius mũdi. *Protestantes.* Perperam loquuntur, cùm aiunt: per mortem Christi fuisse redempta totius mundi peccata. *Articul.* 19. *citat.*

Descendit ad infernũ. *Scriptura.* Non derelinques animam meam in inferno.

Non descẽdit. *Protestantes.* Christi anima nequaquam ad Inferos descendit. Nunquam ad Inferorum sedes abijt. *Artic.* 21.

Intrauit ianuis clausis. *Scriptura.* Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.

Non clausis. *Protestantes.* An ianuis clausis relictis ingressus sit, incertum est: vel sponte patuerunt fores, vel ipsi parietes ei fuerunt peruij. *Artic.* 23.

Penetrauit cælos. *Scriptura.* Habentes Pontificem magnum qui penetrauit Cœlos, Iesum Filium Dei.

Non penetrauit. *Protestantes.* Ascendit Cælos absque dimensionum penetratione. Contradictoria est corporum penetratio. *Articul.* 24.

Orat pro nobis. *Scriptura.* Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Qui etiam interpellat pro nobis.

Non orat. *Protestantes.* Neque tamen Christum imaginemur tanquam supplicem pro nobis deprecari. *Artic.* 25.

CAPVT TERTIVM DE ANGELIS ET SANCTIS.

Angeli orant pro nobis. S*criptura.* Et respondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituũ vsquequò tu non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus est?

Non orant pro nobis. *Protestantes.* Scriptura non docet Angelos, intercedere. Negatur Sanctos Angelos, imprimisque animas Iustorum iam mortuorum, in specie pro nostris necessitatibus orare. Artic. 4.

Scriptura. Inualuit (Iacob) ad Angelum, fleuit, & rogauit eum. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. *Angeli orandi.*

Protestantes. Inuocatio Sanctorum Angelorum multò magis impia est. *Artic.* 8. *Non orandi.*

Scriptura. Vidit (*Balaam*) Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram. *Angeli adorandi.*

Protestantes. Cauendum, ne Angelos adoremus. Προσκυνεῖν ille Angelum non potuit, quin ex Dei gloria detraheret. *Articul.* 11. *Non adorandi.*

Scriptura. Ne auferas misericordiam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum. *Per Sāctorum merit Deus orandus.*

Protestantes. In Prophetis nulla huiusmodi fit compellatio: Exaudi me Deus propter Abraham. Per Sanctorum nomina Deus non obsecrandus. *Articul.* 9. *Non ita orandus.*

Scriptura. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *Sācti sunt imitādi.*

Protestantes. Nequaquam hæ næniæ hominibus occini deberent, vt Diuos imitarentur. *Articul.* 12. *Non sunt imitandi.*

Scriptura. Protegam vrbem hanc & saluabo eam, propter me, & propter Dauid seruum meum. *Sanctorum merita prosunt nobis*

Protestantes. Minimè ferendũ est, quòd ex Dei liberalitate Christíque gratia, merita Sanctorum prodesse nobis dicant. *Articul.* 10. *Nō prosūt nobis.*

Scriptura. Dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia. *Sancti habebant potestatē faciendi miracula.*

Protestantes. An Deus vlli creaturæ communicat vim edendi miracula? Negamus. In edendis miraculis, si opus ipsum spectes, sola Dei virtus agit ἀκοινονήτως, quam ne in Angelos quidem ipsos transfundit. Deus nunquam vlli homini dedit potestatem faciendi miracula. *Articul.* 15. *Non habebant.*

Scriptura. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Homines recipiunt nos in calũ.*

Protestantes. Non accipiendum est, quòd homines in æterna tabernacula nos sint recepturi. *Articul.* 13. *Non recipiunt.*

CAPVT QVARTVM DE SCRIPTVRA, SEV VERBO DEI.

In Scriptura sũt quædam difficilia.

SCriptura. Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu.

Nulla difficilia.

Proteſtantes. De tota Scriptura dico: Nullam eius partem volo obſcuram dici. Nihil prorſus relictum eſt obſcurum, aut ambiguum, ſed omnia ſunt per verbum in lucem producta apertiſſimam, & declarata toti orbi, quæcunqe ſunt in Scripturis. Quomodo Scriptura poteſt vlla ſui parte appellari obſcura? *Articul.* 1.

Euangeliũ prædicat pænitentiã agendam.

Scriptura. Cæpit Ieſus prædicare, & docere: Pænitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cælorum: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum.

Nihil prædicat agendum.

Proteſtantes. Euangelium non prædicat nobis hoc illudque faciendum, aut omittendum, aut exigit à nobis quicquam. Euangelium offert vitam, ſine conditione vllius operis. *Artic.* 3.

Euangeliũ nõ deſtruit legem.

Scriptura. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus.

Deſtruit legem.

Proteſtantes. Duo ſunt genera doctrinæ: lex & Euangelium, eáque per ſe ſuaque natura reuera contraria. Pugnat omnino per ſe lex & Euangelium. *Articul.* 5.

Lex Moyſi præcipit fidem in Chriſtum.

Scriptura. Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſis, & Prophetis, & Pſalmis de me. Quem ſcripſit Moſes in lege, inuenimus IESVM.

Non præcipit.

Proteſtantes. Neque enim lex Moſaïca præcipit fidem in Chriſtum. Fidem in Chriſtum mediatorem lex nunquam cognouit. *Art.* 6.

Traditiones tenẽdæ.

Scriptura. Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.

Non tenendæ.

Proteſtantes. Neque enim traditiunculas non ſcriptas moramur. Nihil credendum, quod non ſit expreſſum in Scriptura. *Artic.* 7.

CAPVT QVINTVM. DE S. PETRO, ET APOSTOLIS.

SCriptura. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Supr Petrum*

Protestantes. Christus non fundauit Ecclesiam suam super Petrum. *Artic.* 2. *Non super Petrum.*

Scriptura. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & tibi dabo claues Regni cælorum. *Petro datæ claues.*

Protestantes. Christus Petram fidem appellat, & cui Petræ, non Petro, dedit claues istas. *Artic.* 3. *Non datæ Petro.*

Scriptura. Ego rogaui pro te (Petre) vt non deficiat fides tua. *Petri fides non defecit.*

Protestantes. Somniat, cum ait fidem Petri fuisse indefectibilem. Blasphema vox est: Petrum abnegantem Christum, non amisisse fidem. *Artic.* 4. *Defecit.*

Scriptura. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. *Apostoli fundamenta Ecclesiæ.*

Protestantes. Ipsimet Apostoli non sunt fundamenta. *Artic.* 5. *Non fundamenta.*

CAPVT VI. DE PASTORIBVS ECCLESIÆ.

SCriptura. Si irritum potest fieri pactum meum cum die, &c. Et pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo Filius qui regnet in Throno eius, & Leuitæ & sacerdotes ministri mei. *Pastores semper.*

Protestantes. Sæculis aliquot Ecclesia Dei destituta fuit veris pastoribus. Ecclesia sæpe nullum habet Pastorem hominem. *Artic.* 1. *Nõ sẽper.*

Scriptura. Tu es Petrus, &c. Et tibi dabo claues Regni Cælorum. *Pastores habent authoritatem.*

Nō habēt.

Protestantes. Authoritas non in præpositis, sed in verbo est. Authoritas tota Dei est, eiusque verbi: Ecclesiæ nihil est, nisi purum ministerium. *Artic.* 2.

Singularis pastor potest excommunicare.

Scriptura. Tu es Petrus, &c. & Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis.

Nō potest.

Protestantes. Tenendum est, hanc potestatem (*excommunicandi*,) nulli certo homini attribui, sed toti Presbyterorum collegio. *Artic.* 3.

Pastores possunt ferre leges.

Scriptura. Perambulabat (*Paulus*) Syriam, præcipiens custodiri præcepta Apostolorum & seniorum.

Nō possūt.

Protestantes. Ecclesiæ non est tradita potestas condendarum legum. *Articul.* 4.

Sunt Rectores Ecclesiæ.

Scriptura. Vos Spiritus Sanctus, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Non sunt Rectores.

Protestantes. Vera ratio Rectoris (*Ecclesiæ*) neque est in vno puro homine neque in pluribus. *Artic.* 5.

Vocandi Sacerdotes.

Scriptura. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis.

Non vocādi sacerdotes.

Protestantes. Nemini inter ministros Sacerdotis vocabulum communicamus. *Artic.* 7.

Nō potest prædicari sine Missione.

Scriptura. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?

Potest.

Protestantes. Etiam non legitimè vocati fructuosè possunt prædicare verbum. Quiuis Christianus facultatē habet prædicandi Christum quibuslibet locis, vbi audiendi auidi fuerint. *Artic.* 8.

Moises erat Sacerdos.

Scriptura. Moyses & Aaron in Sacerdotibus suis.

Non erat Sacerdos.

Protestantes. Moyses nequaquam & Sacerdotij & magistratus politici munus habuit aut exercuit, sed munus duntaxat magistratus & Prophetæ. *Articul.* 9.

CAPVT SEPTIMVM DE ECCLESIA.

Ecclesiā vna tantum.

S*criptura.* Fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

Non vna tantum.

Protestantes. Duplicem esse Ecclesiam, Christus & res ipsæ docent. *Articul.* 1.

Scriptura. Vnus panis vnum corpus, multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus. *Mali vnũ corpus cum bonis.*

Proteſtantes. Num mali ad Eccleſiam Catholicam pertinent, & vnum Eccleſiæ corpus cum bonis conſtituunt? Nequaquam. *Articul.* 2. *Non vnum corpus.*

Scriptura. Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. Regni eius non erit finis. *Eccleſia nõ poteſt deſtrui.*

Proteſtantes. Falſum eſt Eccleſiam nunquam interruptum iri. Eccleſia olim tota corruit. Chriſti regnum fuit funditus deletum. *Articul.* 4. *Poteſt.*

Scriptura, Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Nõ poteſt abſcondi.*

Proteſtantes. Deus ſæpe vult nullam viſibilem Eccleſiam in his terris eſſe. Tota viſibilis Eccleſia poteſt deficere. *Articul.* 5. *Poteſt abſcondi.*

Scriptura. Eccleſia Dei viui eſt columna & firmamentum veritatis. *Nõ poteſt errare.*

Proteſtantes. Tota Eccleſia errare poteſt. Catholica Eccleſia errare quidem poteſt, & aliquando grauiſſimè. Eccleſia vera etiam in rebus neceſſarijs ad tempus errare poteſt. Etiam in fundamentis quibuſdam errare poteſt. *Articul.* 6. *Poteſt errare.*

CAPVT OCTAVVM DE TEMPLIS SEV ECCLESIIS MATERIALIBVS.

Scriptura. Non diſcedebat (*Anna*) de templo ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. *Tẽpla ad orandum priuatim.*

Proteſtantes. Neque hic legitimus templorum finis, vt fideles priuatim in eis precentur. *Artic.* 1. *Nõ ad orãdum priuatim.*

Scriptura. Duos Cherubin aureos & productiles facies ex vtraque parte Oraculi. *Imagines ponẽdæ in templis.*

Proteſtantes. Imagines in templis non eſſent collocandæ. *Artic.* 3. *Non ponẽdæ.*

Scriptura refert hæc verba Ethnici: Paulus hic ſuadens auertit multam turbam, dicens quoniam non ſunt dij, qui manibus hominum fiunt. *Ethnici credebant idola eſſe Deos.*

Nõ credebant esse Deos.

Protestantes. Mendacium est: Ethnicos credidisse imagines ipsas Deorum esse suos ipsos Deos. *Artic.* 4.

CAPVT NONVM DE BAPTISMO.

Aqua necessaria ad Baptismũ. *Non necessaria.*

SCriptura. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.

Baptismus præceptus à Christo. *Non præceptus.*

Protestantes. Desit aqua, & tamen Baptismus alicuius differri cum ædificatione non posset, ego certè quouis alio liquore non minus ritè quàm aqua baptizauerim. *Artic.* 1.

Scriptura. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c.

Baptismus necessarius ad salutẽ. *Non necessarius.*

Protestantes. Minoris est baptismus, quàm vt de eo magnopere Dominus aliquid præcepisset. *Artic.* 3.

Scriptura. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.

Simon Magus, baptizatus. *Nõ baptizatus.*

Protestantes. Seruantur Christianorum paruuli etsi pereant ante Baptismum. *Articul.* 4.

Scriptura. Tunc Simon (*Magus*) & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo.

Baptismus omnibus prodest. *Nõ prodest omnibus.*

Protestantes. Eundem baptismum integrum contigisse Simoni Petro, & Simoni Mago, falsissimum est. *Articul.* 5.

Scriptura. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Aqua Baptismi mũdat peccata. *Non mundat peccata.*

Protestantes. Illis qui non sunt electi, nihil prodest Baptismus. *Artic.* 6.

Scriptura. Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ.

Protestantes. Num aquam esse animæ lauacrum censes? Nequaquam. Quis nos aqua ista mundari dicat? Cauendum, ne aqua putetur animæ sordes purgare, *Artic.* 7.

Baptismus abluit. *Nõ abluit.*

Scriptura. Baptizare, & ablue peccata tua.

Protestantes. Non Baptismo ablutus est. *Artic.* 7. *cit.*

Omnes nati in statu dãnationis.

Scriptura. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, &c.

Prote-

Protestantes. Liberi fidelium nascuntur sancti. Peccatum originale nec ipsis imputatur. *Artic.* 9. Nō omnes.

Scriptura. In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: in Ioannis Baptismate. *Quidam baptizati Baptismo Ioannis.*

Prostantes. Demonstratur eos in Ioannis Baptismum externum baptizatos non fuisse. *Artic,* 11. *Non baptizati illo Baptismo.*

Scriptura. At illi dixerunt: sed neque si Spiritus Sanctus est audiuimus. *Quidā Iudæi nō audierant de spiritu S.*

Protestantes. Qui fieri potuit, vt homines Iudæi nihil de de Spiritu Sancto audierint? *Artic.* 12. *Audierāt.*

CAPVT X. DE EVCHARISTIA.

SCriptura. Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hic est sanguis meus qui pro multis effundetur. *Eucharistia est Corpus Christi.*

Protestantes. Ostenso Sacramento Eucharistiæ, non licet ipsis de eo toto pronunciare: Hoc est corpus meum. Non est verum & reale Corpus Christi panis ille Sacramentalis. Vocatur Corpus Christi, non quia sit. *Artic.* 1. *Nō est Corpus Christi.*

Scriptura. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Christus dedit suam carnem ad mādūcādū.*

Protestantes. Christus suum corpus ad edendum non dedit. *Articul.* 2. *Non dedit.*

Scriptura. Caro mea verè est cibus. *Caro Christi est verè edenda.*

Protestantes. Est longè alienum à corpore domini, vt verè comedatur *Articul.* 2. *cit.* *Non est verè edēda.*

Scriptura. Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti. *Christus dedit sāguinē testamenti ad bibēdū.*

Protestantes. Christus non præbebat sanguinem testamenti ad bibendum. *Artic.* 3. *Nō dedit eum ad bibendum.*

Scriptura. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. *Calix Eucharisticus est nouum testamentū.*

Protestantes. Poculum hoc non erat sanguis testamenti, neque ipsum testamentum. *Artic.* 4. *Non est nouū testamentum.*

Scriptura. In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. *Sacrificatur in Ecclesia.*

Nō sacrificatur. *Protestantes.* Nullum nunc in Ecclesia sacrificium superest. *Articul.* 9.

Calix Eucharistiæ fusus pro nobis. *Scriptura.* Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui (*calix, vt manifestè patet ex græco textu*) pro vobis fundetur.

Non fusus pro nobis. *Protestantes.* Non calix ille pro nobis fuit effusus. *Artic.* 6.

Est altare in Ecclesia. *Scriptura.* Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.

Non est altare in Ecclesia. *Protestantes.* In scriptis Apostolicis nulla est altaris mentio. Altaria Euangelij tempore nullum habent locum. *Articul.* 10.

Agnus Paschalis sacrificatus. *Scriptura.* Immolabitque eum (*agnum paschalem*) vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Primo die azimorum quando Pascha immolabant.

Non sacrificatus. *Protestantes.* Agnum Paschalem immolatum esse ac sacrificatum nullibi tradit Sacer codex. *Articulo.* 12.

CAPVT IX. DE ALIIS SACRAMENTIS.

Sacerdotes remittunt peccata. *Scriptura.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Non remittunt. *Protestantes.* Proprium est vnius Dei, remittere vel retinere peccata, & ita quidem proprium, vt hanc gloriam cum nemine prorsus communicet. *Art.* 1.

Confitenda peccata hominibus. *Scriptura.* Confitemini alterutrum peccata vestra.

Non confitenda hominibus. *Protestantes.* Nequaquam Deus huiusmodi confessionem homini faciendam exigit. Nec Christus ipse, nec Apostoli illam præcipere voluerunt. *Artic.* 2.

Gratia data per impositionem manuum. *Scriptura.* Resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Non data per eam. *Protestantes.* Non virtute signi (*impositionis manuum*) fuit illis gratia data. Hinc colligimus manuum impositionem non habere quicquam per se efficaciæ, aut virtutis, sed vim & effectum à solo Dei spiritu pendere. *Art.* 3.

Scriptura. Omnis qui dimittit vxorem & alteram ducit, mæchatur. *Nuptiæ post diuortium adulterium.*

Protestantes. Qui ob stuprum repudiata vxore aliam ducit, adulterium non committit. *Articul.* 6. *Nō adulterium.*

Scriptura. Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. *Infirmi vngēdi oleo.*

Protestantes. Sacerdotibus mandatum est ne morituros oleo inungant. Vnctio illa reijcienda est. *Art.* 7. *Non vngendi oleo.*

CAPVT XII. DE FIDE.

Scriptura. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. *Fides est opus.*

Protestantes. Fides non est opus. Falsum est Fidem esse opus. *Artic.* 1. *Non est opus.*

Scriptura. Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc. *Fides distincta à Charitate & Spe.*

Protestantes. Qui non intelligunt, Fidem, Spem, & Charitatem eandem rem esse, multos nodos in Scriptura cogentur inexplicitos præterire. *Art.* 6. *Non distincta.*

Scriptura. Nunc autem manent Fides, spes, charitas, tria hæc, Maior autem horum est Charitas. *Fide maior est Charitas.*

Protestantes. Fides melior, dignior, ac præstantior est dilectione. Charitas effectus est fidei: effectus autem sua causa proculdubio est inferior. Fides maior est charitate. *Articul.* 7. *Non est maior Fide.*

Scriptura. Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur. *Fides potest esse sine confessione oris.*

Protestantes. Neque enim corde credere potest, quin in ore confiteatur. *Artic.* 9. *Nō potest.*

Scriptura. Ex Principibus multi crediderunt & cæt. dilexerunt enim magis gloriam hominum quàm gloriam Dei. *Potest esse sine Charitate.*

Protestantes. Nihilo magis fidèm à Charitate separabis, quàm Christum à Spiritu suo. *Articul.* 8. *Nō potest.*

Scriptura. Fides sine operibus mortua est. *Est mortua sine operibus.*

Non est mortua. *Protestantes.* Vera Fides mortua nunquam dici, aut esse potest. Inter grauissimos lapsus manet particula viuæ fidei. *Articul.* 10.

Nō prodest sine operibus. *Scriptura.* Quid proderit, si fidem quis dicat se habere ; opera autem non habeat.

Prodest sine operibus *Protestantes.* Fides operibus vacua imputatur ad iustitiam. Fides sine & ante charitatem iustificat. Fide iustificamur priusquam vlla bona opera ediderimus. *Articul.* 17.

Assensus Fidei prodest ad salutem. *Scriptura.* Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Nō prodest ad salutem. *Protestantes.* Quod eiusmodi fides & assensus animabus nostris aliquid salutis pariat, affirmare, falsum foret, & longè ineptissimum. *Articul.* 18.

Fides de Deitate Christi iuuat. *Scriptura.* Hęc scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

Non iuuat. *Protestantes.* In Christum credere, nō est quòd Christum, vnam personam, quæ Deus sit & homo, credamus. Hoc enim adiuuaret neminem. *Articul.* 3.

Fides causat salutē. *Scriptura.* Fides tua te saluam fecit.

Non causat. *Protestantes.* Fides non est causa salutis nostræ. Non causat, efficit, procuratue salutem. *Articul.* 16.

Actus ipse fidei reputatur ad iustitiam. *Scriptura.* Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.

Non reputatur. *Protestantes.* Actus credendi non est nostra iustitia. *Articul.* 19.

Principes quidam credebant. *Scriptura.* Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed non confitebantur.

Non credebant. *Protestantes.* Non damus istos Principes veram habuisse fidem. Nos negamus illos verè credidisse. *Articul.* 9.

Quidam Ioan. 2. credebant. *Scriptura. ait de quibusdam Ioannis* 2. Multi crędiderunt in nomine eius.

Non credebant. *Protestantes. aiunt de eisdem*: Non erat vera fides, sed hipocrisis. *Articul.* 9. cit.

Simō Magus credidit. *Scriptura.* Tunc Simon (*Magus*) & ipse credidit.

Protestantes. Prorsus ἄπιστος Simon Magus, reuera non credidit. *Articul.* 21.

Scriptura. Sine fide impossibile est placere Deo. Qui non crediderit, condemnabitur. *Sine fide nec placemus Deo, nec saluamur.*

Protestantes. Ex eo quod infantes fide carent, nihil minus concluditur, quàm, quod quidam putant, eos non posse Deo placere. Non est vniuersale, quod qui fidem non habeant, damnentur. *Articul.* 15. *Et placere possumus Deo & saluari.*

Scriptura. Fides ex auditu. *Fides ex auditu.*

Protestantes. Fides solius est spiritus non externæ prædicationis Vera fides non prouenit ex ipsa prædicatorum opera. *Articul.* 22. *Non ex auditu.*

Scriptura. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Fides aliquando amittitur.*

Protestantes. Fieri non potest vllo modo, vt credentes fidem amittant. *Articul.* 23. *Nunquam amittitur.*

Sciptura. refert Christum dixiße Thomæ: Noli esse incredulus, sed fidelis. *Et Thomam item dixisse;* Nisi videro, non credam. *Thomas aliquando sine fide.*

Protestantes. Fides non prorsus fuit in Thoma extincta. Fides latuit in eius corde. *Artic.* 23. *citat.* *Nunquam sine fide.*

Scriptura. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. *Fidei rependitur merces.*

Protestantes. Fidei nulla potest rependi merces. *Articul.* 24. *Non rependitur.*

Scriptura. ait de muliere quæ tangebat fimbriam Christi: Fides tua te saluam fecit. *Fides Hæmorrhoissæ pura.*

Protestantes. Fieri potest vt mulieris fidei aliquid erroris & vitij fuerit admixtum. Forte paulum à via deflexit. *Articul.* 2. *Non pura.*

CAPVT XIII. DE BONIS OPERIBVS IN GENERE.

Scriptura. ait ad peccatorem credentem, quòd Vnus est Deus: Bene facis. *Peccatores aliqua benè faciunt.*

Protestantes. Omnia opera quæ ante iustificationem fiunt, peccata sunt *Artic.* 1. *Non benè.*

Iusti non peccant omnib. in operibus.
Peccant in omnibus
Bona opera suauis odor Deo.
Insuauis.
Aliqua opera perfecta.
Nulla perfecta.
Aliqua opera iustitia coram Deo.
Nulla iustitia corã Deo.
Possumus habere gloriam coram Deo.
Non possumus.
Vnum opus præstat; alteri ex sententia Dei.
Nõ præstat
Alia præcepta, alia consilia.
Non alia præcepta, alia cõsilia.
Opera necessaria ad remissionẽ peccati.
Non necessaria.

Scriptura. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.

Protestantes. In omni opere bono iustus peccat. Omnes sancti in omni opere bono peccant. *Art.* 2.

Scriptura. Noë obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.

Protestantes. Opera fœtent coram Deo, si ad rigidum examen vocentur. Coram Deo sunt stercora. *Articul.* 3.

Scriptura. Memento, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.

Protestantes. Omnia opera nostra bona sunt imperfecta. Sunt ex parte mala. *Articul.* 4.

Scriptura. Stetit Phinees & placauit & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam.

Protestantes. Qui opera sua, etiam quæ fingunt se facere ex gratia Christi, faciunt iustitiam coram Deo, faciunt ex eis idola. Artic. 5.

Scriptura. Quæ est Spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum in aduentu eius.

Protestantes. Fieri non potest, vt quis gloriam habeat apud Deum. *Articul.* 9.

Scriptura. Qui Matrimonio iungit virginem suam benè facit, & qui non iungit, melius facit.

Protestantes. Coram Deo nullum opus alteri præstat. *Art.* 10.

Scriptura. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.

Protestantes. Non sunt alia consilia, alia præcepta. Nullum est bonum opus, nisi quod Deus præcipit. *Artic.* 11.

Scriptura. Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Protestantes. Venia, quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs non dependet. *Artic.* 12.

Scriptura. Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reporteris promissionem.

Protestantes. Bona opera non sunt necessaria ad salutem. *Artic.* 13.

Scriptura. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. *Opera necessaria ad salutem.*

Protestantes. Cùm damnantur bona opera, sic damnantur, tanquam ad iustitiam Christianam, sic & ad salutem, inutilia. Nihil ad pietatem aut salutem efficiunt. *Artic.* 14. *Non necessaria ad salutem.*

Scriptura. In nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis & hoc à Deo. *Opera vtilia ad salutē.*

Protestantes. Nusquam Scriptura docet, afflictiones quas Sancti ferunt ab impijs, causam esse salutis ipsorum. *Articul.* 15. *Non vtilia.*

Scriptura. Possidete paratum vobis regnum: Esuriui enim & dedistis mihi manducare. *Afflictio causa salutis.*

Protestantes. Non propter opera bona datur regnum cœlorum. *Artic.* 1. *cit.* *Non causa salutis.*

Scriptura. Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. *Cælū possidendum propter bona opera.*

Protestantes. Perditi sumus, si relegamur ad opera, dum quærenda sit salutis causa vel certitudo. *Artic.* 16. *Non propter bona opera.*

Scriptura. Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis. *Certitudo salutis per bona opera.*

Protestantes. Obedientia, quam illi præstant fideles, non tam causa est, cur suum erga nos amorem continuet, quàm amoris effectus. *Artic.* 17. *Nō per ea.*

Scriptura. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Quod debuimus facere, fecimus. *Deus amat propter bona opera.*

Protestantes. Nihil debemus Deo, nisi fidem. Ista legalis phrasis nō pertinet ad Christianos: Fidelis debet bona opera facere. *Artic.* 8. *Nō propter bona opera.*

Scriptura. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. *Debemus facere bona opera.* *Non debemus.*

Protestantes. Si quippiam voles orare, ieiunare &c. caue facias eo fine quo tibi aliquid commodi siue temporalis, siue æterni pares *Articul.* 19. *Licet operari propter retributionem.* *Nō licet.*

CAPVT XIV. DE BONIS OPERIBVS IN PARTICVLARI.

Bonum, nō nubere. SCriptura. Dico non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant.

Non est bonum. Protestantes. Non est bonum homini esse solum, quia non iucundum, non honestum, neque vtile. Articul. 1.

Non nubere, consulitur. Scriptura. Solutus es ab vxore: Noli quærere vxorem.

Prohibetur nō consulitur. Protestantes. Vxorem ducere, & sumere cibum & potum Deus vtrumquæ ex æquo fieri imperat. Nemini commendatur cœlibatus. Deus pronuntiat se nolle quenquam viuere ἄγαμον. Articul. 4.

Virginitas est virtus. Scriptura. Qui non iungit matrimonio virginem suam melius facit.

Non est virtus. Protestantes. Virginitas non est virtus, sed res indifferens. Nos sentimus virginitatem nihil esse. Articul. 2.

Virginitas melior coniugio. Scriptura. Qui matrimonio iungit virginem suam benè facit, & qui non iungit, melius facit.

Non melior. Protestantes. Cœlibatus non est status perfectior. Virginitati coniugium ἁπλῶς sæpe numerò præstat. Ecquid in vita melius & præclarius esse potest, quam matrimonium. Artic. 3.

Ieiunium est cultus Dei. Scriptura. Non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte, ac die.

Non est cultus Dei. Protestantes. Non in ieiunio statuamus cultum Dei, cum per se nihil sit. Articul. 5.

Ieiunium est Antidotum contra dæmonas. Scriptura.. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio.

Non est Antidotū contra eos. Protestantes. Ridiculi Papistę, antidotum in ieiunio constituunt fugandis diabolis. Articul. 6.

Delectus ciborum est licitus. Scriptura. Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.

Non est licitus. Protestantes. Remissus est delectus ille ciborum in certos dies,

dies, quem Paulus doctrinæ dæmoniorum attribuit. *Art.* 7. *Non est licitus.*

Scriptura. Obsecro fieri orationes pro omnib. hominibus. *Orandum pro omnibus.*

Protestantes. Nec vero petendum est pro singulis. Pro reproborum peccatis minimè concipiendæ sunt preces. *Artic.* 8. *Non orandum pro omnibus.*

Scriptura. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur. *Orandum pro mortuis*

Protestantes. Damnamus Pontificios, qui docent pro mortuis orandum esse. *Artic.* 9. *Non orandũ pro eis.*

Scriptura. ait de homine orante in Ecclesia lingua peregrina: Tu quidem benè gratias agis. *Benè oratur in lingua peregrina.*

Protestantes. Lingua peregrina in Ecclesia Christi non est ferenda. *Articul.* 12. *Nõ benè.*

Scriptura. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. *Vouendum Deo.*

Protestantes. Vota sunt contra institutum Dei. Minimè decent Christianos. *Artic.* 14. *Non vouendum.*

Scriptura. Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis. *Licet deserere facultates.*

Protestantes. Desertio facultatum non habet mandatum aut Consilium in Scripturis. *Articul.* 16. *Non licet.*

Scriptura. Eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat. *Articul.* 15. *Eleemosyna liberat à morte.*

Protestantes. Eleemosina non à morte temporali liberat, non etiam ab æterna morte liberat. *Artic.* 15. *Nõ liberat.*

Scriptura. Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. *Opera laboriosa, pars pœnitentiæ.*

Protestantes. Opera laboriosa tantum signa, non partes veræ Pœnitentiæ sunt. *Articul.* 18. *Non pars pœnitẽtiæ.*

Scriptura. Puer crescebat & confortabatur Spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israël. *Vita eremitica licita.*

Protestantes. Vita Eremitica est agrestis, fera, atque ab humanitate aliena. *Artic.* 20. *Non licita.*

Scriptura. Vidit Deus opera eorum (*Niniuitarum*) quia cõuersi sunt de via sua mala, &c. *Niniuitarum pœnitentia, vera*

Protestantes. Niniuitarum non vera erat Pœnitẽtia. *Art.* 19. *Nõ vera.*

CAPVT XV. DE PECCATO.

Omnis faciēs peccatū ex Diabolo est.

Scriptura. Omnis qui facit peccatum, ex diabolo est.

Nō omnis.

Protestantes. Neque fideles qui peccant per accidens, vel per se ex infirmitate, sed qui peccatis per se indulgent, seruiunt Diabolo, & filij Diaboli dici, debent. *Articul.* 4.

Graue peccatum facit excidere à gratia.

Scriptura. Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.

Non facit.

Protestantes. Gratiam non quoduis, imò nullum peccatum fidelium dissoluere potest. Non quoduis enorme peccatum gratiam, quæ facit Filius Dei, obscurare, nedum extinguere potest. *Artic.* 5.

Nullus homicida habet vitam.

Scriptura. Omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.

Aliquis habet.

Protestantes. Nondum Dauid (*Homicida*) vita spirituali prorsus orbatus, nondum exutus iustificatione erat. *Artic.* 5. *citat.*

Iustitia nō est cum iniquitate.

Scriptura. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?

Est.

Protestantes. Peccatum cum iustitia cohabitat in nobis. *Artic.* 6.

Peccata redimenda eleemosynis

Scriptura. Peccata tua eleemosynis redime.

Non redimenda eis.

Protestantes. Si possibile fuisset per eleemosynas redimi peccata, frustra Christus esset mortuus. *Artic.* 7.

Misericordia redimitur iniquitas.

Scriptura. Misericordia & veritate redimitur iniquitas.

Non redimitur.

Protestantes. Non est misericordia expiatio culpæ. *Art.* 7. *cit.*

Nulli graues peccatores possidebunt cælū.

Scriptura. Neque fornicarij, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt.

Aliqui graues peccatores possidebunt.

Protestantes. A Christo peccatum non potest nos abducere, licet millies in vno die fornicationem, aut adulterium admitteremus. *Articul.* 8.

Peccata causa damnationis.

Scriptura. Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.

Protestantes. Non ideo dānantur æterno exitio adiudicandi, quòd peccauerunt: Sola incredulitas damnat. *Articul.* 9. *Non causa illius.*

Scriptura. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. *Reddenda ratio peccatorum.*

Protestantes. Si opera in iudicium veniant, omnes sumus damnati. Operum maculæ Christi puritate obteguntur, ne in rationem veniant. *Articul.* 10. *Non reddēda.*

Scriptura: refert Dauidem dixisse: Malum coram te feci. *Dauid fecit malum.*

Protestantes. Dauid peccauit quidèm, sed nunquam fecit peccatum. *Artic.* 11. *Nō fecit malum.*

Scriptura. Refert hæc verba Dauidis: Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi. *Ipse Dauid peccauit.*

Protestantes. Electus ipse non illud (*peccatum*) perpetrat, sed inhabitans in ipso peccatum. *Articul.* 12. *Non ipse.*

CAPVT XVI. DE IVSTIFICATIONE.

Scriptura. Abraham, nonne ex operibus iustificatus est? *Abraham iustificatus ex operib.*

Protestantes. Abraham non iustificatus est per opera sua. Nulla prorsus alia re iustificatus est nisi fide. *Artic.* 1. *Abraham non iustificatus ex eis.*

Scriptura. Ex operibus iustificatur homo. *Homo iustificatur ex operibus.*

Protestantes. Dicimus homines non iustificari ex operibus. *Articul.* 1. *citato.* *Non ex operibus.*

Scriptura. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Remissa peccata quia dilexit.*

Protestantes. Non quia mulier illa multùm dilexit, ideo ipsi remissa sunt peccata. *Articul.* 1. *cit.* *Non quia dilexit.*

Scriptura. Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. *Homo non iustificatur ex fide tantum.*

Protestantes. Homo iustificatur tantum per fidem, sola fide. Tantum fide accipimus remissionem peccatorum. Artic. 2. *Iustificatur ex fide tātū.*

Aliqui iusti coram Deo. *Scriptura.* Erant iusti ambo ante Deum. Te vidi iustum coram me.

Nulli iusti coram Deo. *Protestantes.* Coram Deo nemo iustus esse potest, Vbi quispiam talis (*iustus*) inter homines reperietur? In regno gratiæ nemo est iustus. *Art.* 3.

Iustificati sũt mundi. *Scriptura.* Vos mundi estis.

Non sunt mundi. *Protestantes.* Credentes iusti, & tamen immundi sunt. *Articul.* 4.

Peccata tolluntur à iustificatis *Scriptura.* Quantum distat ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Non est inuenta in me iniquitas.

Non tollũtur. *Protestantes.* Innumera peccata etiam morte digna remanent in iustificatis. *Artic.* 5.

Est iustitia in iustificatis. *Scriptura.* Coram eo (*Deo*) Iustitia inuenta est in me.

Non est vlla in eis. *Protestantes.* In nobis nulla potest esse iustitia. Iustitia inhærens nulla in iudicio Dei est. *Artic.* 8.

Aliquid inhærens imputatur nobis. *Scriptura.* Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur Fides eius ad iustitiam.

Nihil inhærens imputatur. *Protestantes.* Quod inhæret, non imputatur. *Articul.* 9.

Nescit homo an sit dignus amore *Scriptura.* Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit.

Scit. *Protestantes.* Cuius improbitatis est id asserere: Nemo scire fidei certitudine potest se gratiam Dei consecutum. *Articul.* 10.

Aliqui excidunt à gratia *Scriptura.* A gratia excidistis.

Nulli excidunt. *Protestantes.* Nihil vtilius, quàm prædicare credentibus impossibile esse vt vnquam à gratia excidant. *Artic.* 12.

Timendũ, ne cadamus *Scriptura.* Tu fide stas: Noli altum sapere, sed time.

Non timendum. *Protestantes.* Cùm nos ad formidinem impellunt, minimè id ferendum est. *Articul.* 13.

Aliquis reprobus iustificatur. *Scriptura.* Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea, in iniustitia quam operatus est, morietur.

Nullus reprob. iustifi- *Protestantes.* Reprobi nunquam vere iustificantur. *Articul.* 14.

Scriptura. Hominis est animam præparare. *Homo se præparat*

Protestantes. In ipsa conuersione nostra ad Deum nos prorsus passiuè habemus. *Artic.* 15. *Nihil agit.*

CAPVT XVII. DE VITA ET MORTE ÆTERNA.

SCriptura. Accipietis retributionem hæreditatis. Merces vestra copiosa est in cœlo. *Vita æterna est retributio & merces.*

Protestantes. Est mera gratia, nō merces, aut retributio quòd saluet. *Artic.* 1. *Nec est merces n.e. retributio.*

Scriptura. Reposita est mihi corona iustitiæ. *Est corona iustitiæ.*

Protestantes. Paulus in toto salutis cursu nihil præter meram Dei gratiam agnoscit *Art.* 2. *Est mera gratia.*

Scriptura. Nunquid poterit fides saluare eum? *Sola fides non saluat*

Protestantes. Sola fides saluos facit. *Articul.* 3. *Sola saluat*

Scriptura. Sicut Sodoma, & Gomorrha & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ & factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. *Sodomitæ iam patiūtur pœnam inferni.*

Protestantes. Falsa est illa assertio: Animas prius pati apud inferos, quàm corpora. *Artic.* 6. *Nondum patiuntur pœnam inferni.*

Scriptura. Vt testetur ipsis, ne & ipsi veniant in hunc locū tormentorum. *Infernus est locus.*

Protestantes. Infernus nihil aliud esse potest, quàm fidei expers & peccatis madens conscientia. *Art.* 7. *Non est locus.*

Scriptura. Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Ignis Inferni est verus ignis.*

Protestantes. Fingit animas hominum in Inferno vero igne torqueri. *Articul.* 8. *Non verus ignis.*

CAPVT XVIII. DE LEGE DEI.

SCriptura. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. *Lex Dei est possibili.*

Protestantes. Mandata seruare, est omnino impossibile. *Articul.* 1. *Non est possibilis.*

Aliqui custodierunt legẽ Dei. Nulli custodierunt.

Scriptura. Custodiui legem tuam. Sermonem tuum seruauerunt.

Protestantes. Nemo præstat legem, neque vnquam præstitit. *Artic.* 2.

Aliqui diligũt Deũ in toto corde. Nulli ita diligunt.

Scriptura. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.

Protestantes. Talem dilectionem (*in toto corde &c.*) nemo Sanctorum habuit, vel habere in hac infirmitate potest. *Articul.* 3.

Lex Dei in corde alicuius. In corde nullius.

Scriptura. Lex Dei eius in corde ipsius.

Protestantes. Etiam post regenerationem verbum legis propriè in corde nostro esse non dicitur. *Artic.* 4.

Precamur vt impleamus voluntatem Dei. Non ita precamur.

Scriptura. Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.

Protestantes. Non precamur vt impleamus legem. *Articul.* 5.

Obseruatio mandatorũ necessaria ad vitam. Non necessaria.

Scriptura. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Protestantes. Sufficit hoc voto testari, nobis odio ac tristitiæ esse quicquid Dei voluntati aduersum cernimus, extinctumque cupere. *Artic.* 6.

Lex non abrogata. Abrogata.

Scriptura. Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.

Protestantes. Christus leges omnes abrogauit. Lege Decalogi Christiani non tenentur. *Artic.* 7.

CAVT XIX. DE LEGE HVMANA.

Superioritas inter christianos. Nulla inter Christianos.

Scriptura. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam?

Protestantes. Inter Christianos nulla potest esse superioritas. *Articul.* 1.

Homo potest prohibere quæ Deus non prohibet.

Scriptura. Cæteris ego dico, non Dominus; Si quis vxorem habet infidelem & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam.

Proteſtantes. Nemo prohibere poteſt, quæ Chriſtus non prohibuit. *Articul.* 2.

Nõ poteſt.

Scriptura. Subditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiã propter conſcientiam.

Conſcientia ſubiecta legibus hominum.

Proteſtantes. Solius Dei præcepto conſcientiæ obligantur. *Articul.* 3.

Non ſubiecta.

CAPVT XX. DE LIBERO ARBITRIO.

Scriptura. In arbitrio viri erit, vt faciat, ſiue non faciat.

Eſt liberũ arbitrium.

Proteſtantes. Liberum arbitrium eſt titulus ſine re. *Articul.* 1.

Non eſt.

Scriptura. Sine cõſilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.

Eſt conſilium liberum.

Proteſtantes. Non poteſt conſilium liberum reipſa adſeri. *Articul.* 2.

Non eſt.

Scriptura. Dei ſumus adiutores. Græce *συνέργοι.*

Proteſtantes. Facere ſe *συνεργοὺς*, quid aliud eſt, quàm aſtu quodam ſe Deo ſubducere. *Articul.* 3.

Sumus adiutores Dei.

Nõ ſumus.

CAPVT XXI. DE ANIMA HOMINIS.

Scriptura. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.

Anima hominis immortalis.

Proteſtantes. Permitto vt Papa condat articulos fidei & ſuis fidelibus, quales ſunt: Se eſſe Deum terrenum: Animum eſſe immortalem, & omnia illa infinita portenta in Romano ſterquilinio decretorum. *Artic.* 1.

Non immortalis.

Quæ vnquam propoſitiones cenſebuntur contradictoriæ, ſi iſtæ non cenſeantur; cùm vix aut ne vix quidem excogitari poſſit aut clarior aut directior contradictio inter propoſitiones quaſcumque, quàm inter pleraſque iſtarum inuenitur.



SVMMA.

QVARVNDAM GRAVIORVM Condemnationum, quibus Protestantes, non contenti expressis S. Scripturæ verbis contradicere, eadem impiè condemnant, signato Capite & Articulo vbi habentur.

CAPVT PRIMVM DE DEO.

Deus non facit iniquitatem. Frigidum glossema.

CRIPTVRA: Dominus Iustus in medio eius, non faciet iniquitatem.

Protestantes. Non est cur frigidum glossema admittamus: Deum mala permittere, non facere. *Articul.* 4.

Peccata nō ascendunt in cor Dei. Impium.

Scriptura. Ædificauerunt excelsa Baalim, quæ non ascenderunt in cor meum.

Protestantes. Quod dicitur: præsciuisse Deum Adami lapsum, non tamen æterno decreto statuisse, impium est. *Art.* 5.

Abominabile, iustificare impiū. Falsum.

Scriptura. Qui iustificat impium, abominabilis est apud Deum.

Protestantes. Non posse impium, nisi efficiatur iustus, pronunciari iustum iustitia imputata & Euangelicè, est falsum. Artic, 10.

Scriptura.

Orationes & eleemosynæ ascendunt coram Deo.

Scriptura. Orationes tuæ & Eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

Furor.

Protestantes. Furor est: velle per opera coram Deo agere, non sola fide. *Artic.* 13.

Voluntarius cultus bonum opus.

Scriptura. ait de muliere voluntariè vngente Christum. Bonum opus operata est in me.

Insana obsequia.

Protestantes. Volontarij cultus, vel sine verbo instituti, sunt obsequia insana. *Articul.* 15.

Deus vult omnes saluari non aliquos perire.

Scriptura. Deus omnes homines vult saluos fieri. *Item* Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.

Impia sententia.

Protestantes. Impia eorum est sententia, qui affirmant Deum omnes, & singulos homines, nemine prorsus excepto, saluos fieri velle, nec tamē omnes saluos facere. *Art.*19.

Impij, non necessarij Deo.

Scriptura. Non necessarij sunt ei homines impij.

Falsum.

Protestantes. Falsum est: Deum non habere opus peccatore. *Articul.* 22.

CAPVT SECVNDVM DE CHRISTO.

Oranda humanitas Christi.

Scriptura. Iesu Fili Dauid miserere mei.

Idololatria.

Protestantes. Qui ad ipsam carnem Christi suam adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore est maledictus & idololatra. *Artic.* 3.

Christus, prædestinatus Filius Dei.

Scriptura. ait de Christo. Qui prędestinatus est Filius Dei.

Arianiticum.

Protestantes. Dicere Christum prædestinatum Filium Dei, est Arianiticum. *Artic.* 2.

Habuit mãdatum moriendi.

Scriptura. Hoc mandatum (*ponendi animam*) accepi à Patre meo.

Contra Scripturã.

Protestantes. Dicunt: lex lata est vt (*Christus*) moreretur: Sed hoc est contra Scripturam. *Articul.* 14.

Christus caput Ecclesiæ vt homo.

Scriptura. Omnis viri Christus caput est, Caput vero Christi, Deus.

Crassa ignorantia.

Protestantes. Est, crassa ignorantia, facere Christum caput Ecclesiæ quatenus homo est. *Articul.* 6.

Scriptura. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Christus le-

Protestantes. Errant, qui putant Christum esse legislatorē

gislator. Error. qui formet mores. *Articul.* 7.

Chriſtus iudex. *Scriptura.* Ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorū & mortuorum.

Scandalū. *Proteſtantes.* Scandalum obijciunt, qui Chriſtum legiſlatorem tibi faciunt & iudicem. *Articul.* 8.

Chriſtus omnia nouit. *Scriptura.* Domine tu omnia ſcis. *Item.* In quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ abſconditi.

Contra fūdamentum ſalutis. *Proteſtantes.* Hanc ignorantiæ infirmitatem Filium Dei noſtra cauſa pertuliſſe qui negat, negat ſalutis noſtræ fundamētum. *Articul.* 10.

Chriſtus, non peccator. *Scriptura.* Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.

Blaſphemum. *Proteſtantes.* Blaſphemum eſt negare Chriſtum pro nobis fuiſſe peccatorem, & Baptiſmo eguiſſe. *Articul.* 11.

Exaltatus propter ſuā humiliationem. *Scriptura.* Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum.

Falſum. *Proteſtantes.* Falſum: Chriſtum ſibi eſſe meritum exaltationem. *Articul.* 15.

Mortuus pro omnib. *Scriptura.* Q i dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.

Turpis error. Commentum. *Proteſtantes.* Turpiter errant illi, qui contendunt Chriſtum pro vniuerſis & ſingulis hominibus, nullo dempto aut excluſo, mortuum eſſe ad ſalutem ipſorum æternam. Opinio redemptionis vniuerſalis eſt humani cerebri commentum *Articul.* 19.

Mortuus pro damnandis. *Scriptura.* Qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos, dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.

Intolerabilis vox. *Proteſtantes.* Certè nobis intolerabilis vox veſtra viſa eſt: Chriſtum eſſe mortuum pro damnatis. *Artic.* 18.

Deſcēdit in infernum. *Scriptura.* Prouidens loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in Inferno, neque caro eius vidit corruptionem.

Pontificia Fabula. *Proteſtantes.* Pontificia fabula: de animæ Chriſti ad inferos deſcenſu. *Articul.* 21.

Ingreſſus clauſis ianuis. *Scriptura.* Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio.

Protestantes. Vos fingitis mansisse ligni soliditatem, atque ea salua neque cedente, corpus Christi transijsse. *Articul.* 23. *Figmentū.*

Scriptura. Habentes Pontificem magnum, qui penetrauit Cœlos, Iesum Filium Dei. *Penetrauit cœlos.*

Protestantes. Contradictoria est corporum penetratio. *Articul.* 24. *Contradictorium.*

Scriptura. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Christus Iesus qui etiam interpellat pro nobis. *Rogat & interpellat pro nobis.*

Protestantes. Quod nonnulli de Christi supplicatione, & ad genua Patris abiectione somniant, inane commentum est. *Articul.* 25. *Inane cōmentum.*

CAPVT TERTIVM DE ANGELIS ET SANCTIS.

S*Criptura.* Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Dei. *Sancti orāt pro nobis.*

Protestantes. Credimus quicquid homines de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse quàm fraudem, & fallacias Sathanæ. Merum est figmentum natum in eorum cerebris, mortuos pro nobis intercedere. *Articul.* 4. *Merū figmentum, fraus, & fallacia Satanæ.*

Scriptura. Post hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium Alleluia, laus & honor & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta iudicia sunt eius qui iudicauit de meretrice magna quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius. *Sancti norunt quæ fiunt in terris.*

Protestantes. Quod excipiunt, spiritibus sanctorum petitiones nostras à Deo patefieri, facilè est, vt stultum, & crassum commentum, repudiare. *Articul.* 6. *Stultum & crassum commentū.*

Scriptura. ait de Iacob Patriarcha: Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit & rogauit eum. *Iacob rogauit Angelum.*

Protestantes. Inuocatio sanctorum & Angelorum, multo magis impia est. *Artic.* 8. *Impium.*

Angelus adoratus. *Scriptura.* Vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram.

Diabolicū. *Protestantes.* Quid enim Sanctorum cultus & adoratio fuit aliud, quàm diabolica res. *Articul.* 11.

Sancti imitandi. *Scriptura.* Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

Error. Naeniæ. *Protestantes.* Inualuit diuturnus error, vt omnes sanctorum opera & conuersationem consideremus & sequi studeamus. Nequaquam hominibus hænæni occini deberent, vt Diuos imitarentur. *Art.* 12.

CAPVT IV. DE SCRIPTVRA.

Quædam difficilia in Scriptura. *Scriptura.* Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens de eis in his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu.

Inuulgatū per impios Sophistas. *Protestantes.* Esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita, inuulgatum est per impios Sophistas. Detestabilis est in Deum contumelia, quod Papistæ Scripturam obscuram esse simulant. *Art.* 1.

Euangeliū concionatur de pœnitentia. *Scriptura.* Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.

Falsum & perniciosum dogma. *Protestantes.* Reijcimus vt falsum, & perniciosum dogma, cùm asseritur, quod εὐαγγέλιον propriè sit concio pœnitentiæ, quodque non sit tantum modò concio de gratia Dei. *Articul.* 3.

Euangeliū requirit opera ad salutem. *Scriptura.* Patientia vobis necessaria est vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

Mendaciū. *Protestantes.* Quisquis dicit, quòd Euangelium requirit opera ad salutem, mendax est. *Artic.* 3.

CAPVT V. DE SANCTO PETRO ET APOSTOLIS.

Scriptura. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ecclesia ædificata super Petrũ.

Protestantes. Pontificij super Petrum ædificatam esse Ecclesiam, quæ vera est idololatria, contendunt. Aduersatur fidei analogiæ, & principijs religionis Christianæ, absolutè dicere, Ecclesiam Christi ædificari super Petrum. *Articul.* 2.

Idololatria cõtra principia religionis.

Scriptura. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.

Petri fides non defecit.

Protestantes. Somniat Bellarminus, cùm ait fidem Petri esse indefectibilem. Falsum est, quod de indefectibilitate fidei Petri tam impudenter affirmat. Blasphema vox est: Petrum abnegantem Christum, non amisisse fidem. *Articul.* 4.

Somnium, falsũ blasphemum.

Scriptura. Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

Apostoli Fundamẽta Ecclesiæ.

Protestantes. Cùm fidei analogia pugnat, hominem quenquam esse fundamentum Ecclesiæ. *Articul.* 5.

Contra fidem.

CAPVT IV. DE PASTORIBVS ECCLESIÆ.

Scriptura. Si irritum potest fieri pactum meum cum die &c. Et pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitę & Sacerdotes ministri mei.

Pastores semper.

Protestantes. Cum ad Pastores referunt, quod de Ecclesiæ perpetua duratione promittitur, in eo vehementer errant. Falsum est exterius ministerium perpetuum esse oportere. *Articul.* 1.

Vehemens error, falsũ.

Pastores Ecclesiæ præcipiunt. *Infulsum.*

Scriptura. Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quã hæc necessaria, vt abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato &c.

Protestantes. Insulsi Papistæ: qui ex his verbis probare volunt, penes Ecclesiam residere aliquid authoritatis. *Articul.* 4,

Vocabuntur Sacerdotes. *Hæresis & blasphemia*

Scriptura. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis.

Protestantes. Rei sunt hæreseos, & blasphemiæ, quòd ministros Euangelij vocent Sacerdotes. *Artic.* 7.

CAPVT OCTAVVM DE ECCLESIIS MATERIALIBVS.

Deus iubet fieri imagines. *Abominabile.*

Scriptura. Duos Cherubim aureos, & productiles facies ex vtraque parte oraculi, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim.

Protestantes. Deus abominatur imagines. *Artic.* 3

Ethnici credebant idola esse Deos. *Mendaciũ.*

Scriptura. refert Ethnicum ita loquentem. Paulus hic suadens auertit magnam turbam, dicens, quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt.

Protestantes. Mendacium est, Ethnicos credidisse imagines ipsas deorum esse suos ipsos Deos. *Artic.* 4.

CAPVT NONVM DE BAPTISMO.

Baptismus necessarius.

Scriptura. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.

Contumeliosum in Deum.

Protestantes. Qui ita necessarium statuunt Baptismum, vt à spe salutis excludant, nisi qui eo tincti fuerint, in Deum sunt contumeliosi. *Articul.* 4.

Simõmagus baptizatus. *Falsissimum.*

Scriptura. Tunc Simon (*magus*) & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo.

Protestantes. Quod scribis eundem Baptismum integrum contigisse Simoni Petro, & Simoni Mago, falsissimum est.

Artic. 5.

Scriptura. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Omnes baptizati in Christo cũ induunt.

Protestantes. Nemo opinor ita insanit, vt etiam in reprobis, dum baptizantur; Spiritum Sanctum opus gratiæ operari dicat. *Articul.* 6.

Insania.

Scriptura. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitę.

Aqua baptismi mũdat.

Protestantes. Quàm stultus videretur, qui propter verba (*scripturæ*) contenderet nos aqua baptismali à peccatis ablui. *Item.* Si colligunt corruptibili aquæ elemento purgari animi sordes, Sol ipse iustitiæ obscurabitur. *Articul.* 7.

Stultum, & obscurans Solem iustitiæ.

Scriptura. refert Ephesios quosdam dixisse Paulo: Sed neque si Spiritus Sanctus est, audiuimus.

Quidam Ephesij non audierant esse Spiritũ S.

Protestantes. Absurdissimum fuerit credere, eos ignorasse, an esset aliquis Spiritus Sanctus. *Articul.* 12.

Absurdissimum.

CAPVT X. DE EVCHARISTIA.

SCriptura. *refert Christum instituisse Eucharistiam* primo die azimorum, quando pascha immolabant.

Eucharistia in azimo.

Protestantes. Duplex est næuus in ijs Ecclesijs, quæ azimo potius quàm fermentato pane vtuntur, hoc enim Iudaismum sapit. *Articul.* 8.

Næuus, & Iudaismus.

Scriptura. Hoc est corpus meum, quod pro vobis (κλώμενον) frangitur.

Corpus Christi frangitur.

Protestantes. Si dices corpus Christi frangi, eris blasphemus. *Articul.* 5.

Blasphemum.

CAPVT VNDECIMVM DE ALIIS SACRAMENTIS.

Sacerdotes remittunt peccata. Blasphemum, impium, idololatricum, friuolum.

SCriptura. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Protestantes. Blasphemi & impij sunt, quicunque sibi peccatorum remissionem sumunt. Qui remissionem peccatorũ Creaturæ tribuit, idololatra est. Friuola hæc omnia videntur: Ego te absoluo: Ego te certum facio, quod peccata tibi remissa sunt. *Articul.* 1.

Confitenda peccata hominibus. Diabolica lex.

Scriptura. Confitemini alterutrum peccata vestra.

Protestantes. Lex de Confessione auriculari sancita, diabolica est. *Articul.* 2.

Impositio manuum dat gratiã. Omittẽda.

Scriptura. Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Protestantes. Fratres concluserunt, manuum impositionẽ esse omittendam. *Articul.* 3.

Matrimonium sacramentũ. Ineptissimum.

Scriptura. loquens de matrimonio, ait. Sacramentum hoc magnum est.

Protestantes. Ineptissimè matrimonium inter Sacramenta numeratur. *Artic.* 5.

Mœchia, ducere vxorem post diuortium. Crudele.

Scriptura. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mæchatur.

Protestantes. Detestamur Papæ crudelitatem contra innocentem in diuortio repudiatum. *Artic.* 6.

Infirmi vngendi oleo. Histrionicũ, superstitiosum.

Scriptura. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini.

Protestantes. Vnctio infirmorum est histrionica hypocrisis. Sacerdotibus mandatum est, ne morituros oleo vngant, hoc enim superstitiosum est, & cum expresso Dei verbo pugnare. *Art.* 7.

CAPVT DVODECIMVM DE FIDE.

Scriptura. Hoc est opus Dei, vt credatis, &c.

Protestantes. Sunt planè ridiculi, qui ex hoc loco eliciunt fidem esse opus. Falsum, Fidem esse opus. *Artic.* I. *Fides, opus. Ridiculum, Falsum.*

Scriptura. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas. *Charitas maior fide.*

Protestantes. Qui fidem ita docent, vt plus Charitati quàm fidei tribuant, Christum summa contumelia afficiunt, ac verbum eius scelestè & impiè deprauant. *Articul.* 7. *Contumeliosum in Christum, Scelestum, impium.*

Scriptura. ait de quibusdam qui credebant in Christum, sed eum non confitebantur: Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei. *Fides cum peccato mortali.*

Protestantes. Stultum commentum, separare fidem à Charitate. Item: Somniant fidem posse stare cum peccato mortali. Fidem à Spiritus Christi effectis, id est à mortificatione peccati & viuificatione iustitiæ qui diuellit, is eo ipso testatur se infidelem esse. *Artic.* 8. *Stultum commentũ, somnium.*

Scriptura. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. *Item.* Fides sine operibus mortua est. *Fides nihil sine charitate, mortua.*

Protestantes. Blasphema vox est: Fidem sine operibus nihil esse. An res est mortua? Deus eiusmodi blasphemiam retundet. *Artic.* 10. *Blasphemum. Fides sine operibus nõ prodest.*

Scriptura. Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?

Protestantes. Error & impietas est asserere: Fidem infusam non iustificare nisi ornata sit operibus charitatis. *Item.* Repudiamus, & damnamus: Fidem non iustificare sine bonis operibus. *Articul.* 17. *Error, impietas.*

Scriptura. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. *Cognoscere Deum & Christum, vita æterna.*

Protestantes. Quod huiusmodi fides, & assensus animabus nostris aliquid salutis pariat, affirmare, falsum foret, & longè ineptissimum. *Articul.* 3. *Falsum, ineptissimum.*

Fides causat salutẽ. *Scriptura.* Fides tua te saluam fecit.

Absurdum falsum. *Protestantes.* Non potest sine manifesta absurditate & falsitate affirmari, nos per fidem, ex fide, vt per causam efficientem vel formalem iustificari. *Articul.* 16.

Fides quorundam. Hypocrisis. *Scriptura. ait de quibusdam* Ioannis 2. Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat.

Protestantes. Fides hæc coram Deo semper est hipocrisis, talis erat illorum fides de quibus Ioannis 2. multi crediderunt in eum. *Artic.* 20.

Simon Magus credidit. Stolidum. *Scriptura.* Tunc Simon (*Magus*) & ipse credidit.

Protestantes. Simoni Mago veram fidem stolidè tribuit. *Articul.* 21.

CAPVT XII. DE BONIS OPERIBVS.

Opera præcedunt iustificationem. Stupidum, Stultum, falsum. S*Criptura.* Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est?

Protestantes. Posteris vix persuadebitur, tantum fuisse stuporis in Papatu, vt iustificationi vllum opus præponerent, etiamsi negarent esse tanti boni meritoriũ. *Item.* Vlla statuere bona opera eorum qui non sunt iustificati, stultũ est. *Item.* Falsum est, non peccare hominem qui facit opera præceptorum extra gratiam. *Articul.* 1.

Opera quorundam perfecta. Falsißimũ. *Scriptura.* Memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.

Protestantes. Falsissimè affirmant, iustitiam fidelium esse in hoc mundo perfectam. *Articul.* 4.

Opus iustitia coram Deo. Stercus. *Scriptura.* Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam.

Protestantes. Qui opera sua etiam quæ fingunt se facere ex gratia Christi, faciunt iustitiam coram Deo, faciunt ex ijs idola, & sic reuera faciunt ex eis stercora, & Deos stercoreos. *Artic.* 5.

Consilium distinctum à præceptis. Blasphemũ *Scriptura:* De virginibus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do.

Protestantes. Religiosis persuasa est hæc blasphema & fa-

crilega sententia de consilijs & præceptis. *Item.* Facessat execranda illa amentia, quam in constituendis præceptis & consiliis Euangelicis Sophistæ Pontificij audacissimè prodiderunt. Turca melior est istis, qui horrendum hunc errorem de Consiliis inuexerunt. *Articul.* II. *sacrilegam, execranda amentia.*

Scriptura. Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. *opus necessarium remißioni.*

Protestantes. Falsum est: si quis dicat fidei vt iustificet, necessariam esse præsentiam bonorum operum. *Item.* Si reputetur tanquam necessaria bonorum operum præsentia in actu iustificationis, stercus est & detrimentum. *Artic.* 12. *Falsum, stercus.*

Scriptura. Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. *Patientia necessaria ad salutem.*

Protestantes. Docuisse opera salutaria, est dæmoniacum, & Apostaticum à fide, cùm sola fides sit necessaria & salutaris. Quisquis dicit quòd Euangelium requirit opera ad salutem, mendax est. Damnanda est hæc propositio: bona opera sunt necessaria ad salutem. Sathanæ doctrina est, si quis dicat, homini peccatori quocunque modo ad salutem opera esse necessaria. *Artic.* 13. *Dæmoniacum, Apostaticum à fide, damnandum. Satanæ doctrina.*

Scriptura. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. *Pietas, vtilis ad salutem.*

Protestantes. Qui putant bona opera iuuare aut prodesse quicquam ad assequendum donum salutis æternæ, blasphemant contra Deum, & spoliant eum suo honore. *Articul.* 14. *Blasphemũ & contra honorem Dei.*

CAPVT XIV. DE BONIS OPERIBVS IN PARTICVLARI.

SCriptura. Bonum est homini mulierem non tangere. *Bonum, nõ ducere vxorem.*

Protestantes. Putant multi suis rationibus conducere cœlibatum, ideoque ne miseri sint, à coniugio abstinent. His prauis suggestionibus Sathanæ opponere discant fideles, &c. *Articul.* I. *Praua suggestio Satanæ.*

Virginitas, virtus *Scriptura.* Qui non iungit matrimonio virginem suam, melius facit.

Stulta imaginatio. *Protestantes.* Stulta est imaginatio, Cælibatum esse virtutem. *Articul.* 2.

Ieiunium seruitus Dei. *Scriptura.* Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

Pessima superstitio. *Protestantes.* Quod (*Ieiunium*) opus meritorium, & partem esse pietatis & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstitio. *Articul.* 5.

Scriptura. Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.

Delectus ciborum ad tempus. *Diabolica & inanissima superstitio.* *Protestantes.* Delectum istum ciborum non dubitamus cum Apostolo diabolicam & inanissimam superstitionem vocare. *Articul.* 7.

Sanctum, orare pro mortuis. *Scriptura.* Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Detestandum. *Protestantes.* Detestamur preces pro mortuis. *Articul.* 9.

Benè oratur in lingua peregrina. *Scriptura. ait de orante in Ecclesia in lingua peregrina.* Tu quidèm benè gratias agis.

Licentiosũ, detestandum. *Protestantes.* Quis effrenem Papistarum licentiam satis miretur, qui exotica lingua preces reboare non formident. *Item.* detestamur orationes lingua peregrina. Artic. 12.

Vouendum Deo. *Scriptura.* Vouete, & reddite Domino Deo vestro.

Curiosum, non decens Christianos. *Protestantes.* Vouere curiositas est, contemptus, & eleuatio Dei, *Item* vota Christianos minimè decent. *Articul.* 14.

CAPVT XV. DE PECCATO.

Fideles per peccata excidunt a gratia. Scriptura. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.

Blasphemũ. *Protestantes.* Sine blasphemia dici non potest, quod Sancti peccando desinant esse Filij Dei, & omne ius vitę æternæ

amittant. *Articul.* 5.

Scriptura. Peccata tua eleemosinis redime. *Peccata redimenda eleemosynis.*

Protestantes. Dicunt (*Papistæ*) esse multa adminicula, quibus peccata redimamus, lachrimas, ieiunia, oblationes, charitatis officia. Talibus mendaciis oppono, &c. *Item* Eleemosina nequaquam habet vim illam, quam Pontificij blasphemè illi ascribunt, scilicet hominem ad gratiam iustificationis disponendi, peccata delendi, &c. *Artic.* 7. *Mendaciũ, blasphemiũ.*

Scriptura. Neque Fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri &c. Regnum Dei possidebunt. *Vnum graue peccatũ excludit à cælo.*

Protestantes. Falsò affirmat, Scripturas asserere, vnum peccatum (*graue*) tollere Spiritum S. *Artic.* 8. *Falsum.*

CAPVT XVI. DE IVSTIFICATIONE.

Scriptura. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Remittuntur peccata quia diligit.*

Protestantes. Si quis sentit, se ideo consequi peccatorum remissionem quia diligit, afficit contumelia Christum. *Articul.* 1. *Contumeliosum in Christum.*

Scriptura. Ex operibus iustificatur homo. *Item.* Abraham nonne ex operibus iustificatus est? *Iustificatio ex operibus*

Protestantes. Iustificari nos operibus, & falsum est & ridiculum. Doctrina quæ iustificationem per opera somniat, idololatriam inuehit, inuertit fundamentum iustificationis. *Articul.* 1. *cit.* *Falsum, ridiculũ, inuehit idololatriam.*

Scriptura. Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. *Peccata delentur vt nubes.*

Protestantes. Falsa sententia: Quòd per remissionem peccatorum, prorsus tollatur peccatum vt non sit. *Articul.* 5. *Falsum.*

Scriptura. Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, *Homo nescit, an sit iustus.*

Protestantes. Cuius obsecro improbitatis est id asserere: Nemo scire fidei certitudine potest, se gratiam Dei consecutum. *Item.* De vera conuersione neminem ex fide diuina cer- *Improbum, falsissimũ.*

tum esse posse, haud dubiè falsissimum est de fidelibus. Articul. 10.

Homo praeparat se ad gratiam.

Scriptura. Hominis est animam præparare.

Falsum, prophanum detestandum.

Protestantes. Falsum ac prophanum est, homines volentes trahi. *Item.* Fugiamus, & detestemur dogma eorum, qui argutè philosophantur mentem & voluntatem hominis in conuersione seu renouatione esse sinergon seu causam concurrentem & cooperantem. *Articul.* 15.

Pœna, post culpam remissam.

Scriptura. Dominus transtulit peccatum tuum non morieris, veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi morte morietur.

Putidum commentũ, fatuum.

Protestantes. Facessat putidum illud commentum de pœnæ repetitione cùm culpa remittitur. *Item vocant illud* nugas, falsam, ineptam, fatuam, stultam opinionem & errorem. *Art.* 16.

CAPVT XVII. DE SALVTE ET MORTE ÆTERNA.

Salus est merces.

Bardum.

Scriptura. Merces vestra copiosa est in Cœlis.

Protestantes. Nemo tam bardus, qui non intelligat, gratiæ in solidum & merè tribui totum salutis beneficium. *Articul.* 1.

Opera necessaria ad salutem.

Scriptura. Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. Nunquid poterit fides saluare eum?

Damnandum.

Protestantes. Reijcimus & damnamus sequentes phrases, cùm docetur: Bona opera esse necessaria ad salutem. *Articul.* 3.

Aliqui quærentes gloriam secundum bona opera.

Scriptura. Qui reddet vnicuique secundum opera eius: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.

Absurdissimum.

Protestantes. Quæ a Sophistis traduntur. Quasi nonnulli, siue extra Christum, siue in Christo regenerati, tales apud Dei tribunal inueniantur, quales hic isti describũtur, ab Apostoli

ſcopo aberrāt, nam illud quidem abſurdiſſimum eſt. *Artic.* 5.

Scriptura. Mortuus eſt diues, & ſepultus in Inferno. *Anima in*

Proteſtantes. Vt noua, ita falſa eſt eius aſſertio: Animas *inferno ante corpus.*
prius pati apud Inferos, quàm corpora. *Articul.* 6. *Nouum & falſum.*

Scriptura. Habeo quinque fratres, vt teſtetur illis ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. *Infernus eſt locus.*

Proteſtantes. Concludere in carcere mortuorum animas, puerile eſt. *Item* Damnamus Pontificios, qui damnatorum locum ex temulenti cerebri inſomnio in meditullio terræ cōſtituunt. *Articul.* 7. *Puerile, ſomnium.*

Scriptura. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.

Proteſtantes. Fingit animas hominum & dæmonas in Inferno vero & corporeo igne torqueri. *Item*: Omnino contradictorium eſt ignem corporeum efficaciter agere in Spiritum merum. *Artic.* 8. *Ignis inferni, verus. Figmentū, contradictorium.*

CAPVT XVIII. DE LEGE DEI.

SCriptura. Faciam, vt in præceptis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis. *Præcepta cuſtodiri poſſunt.*

Proteſtantes. Nihil afferunt, quod impiam ipſorum perſuaſionem iuuat de poſſibili legis obſeruatione. *Artic.* 1. *Impia perſuaſio.*

Scriptura. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & tota anima tua. *Deus diligetur ex toto corde.*

Proteſtantes. Impleri poſſe & ſub veteri & nouo teſtamento hoc præceptum: Diliges Deum, &c. idque Deum promiſiſſe, eſt falſiſſimum. *Art.* 3. *Falſiſsimū.*

Scriptura. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Obſeruatio mandatorū neceſſaria.*

Proteſtantes. Papiſtæ docent: Fides in Chriſtum iuſtificat, ſed ſimul etiam ſeruari oportet præcepta Dei, quia ſcriptum eſt, ſi vis &c. Ibi ſtatim Chriſtus negatus, & fides abolita eſt. *Artic.* 6: *Negatio Chriſti & abolitio fidei.*

CAPVT DECIMVM NONVM DE LEGE HVMANA.

Homo habet ius ferēdi leges.

SCriptura. Cœteris ego dico, non Dominus: Si quis vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittet eam.

Impium.

Protestantes. Totam Dei maiestatem ad se rapiunt, qui sibi ius ferendi leges vendicant. *Articul.* 2.

CAPVT XX. DE LIBERO ARBITRIO.

Homo habet liberum arbitrium.

SCriptura. In arbitrio viri erit, vt faciat, siue non faciat.

Figmentū.

Protestantes. Liberum arbitrium, est figmentum in rebus. *Artic.* 1.

CAPVT XXI. DE ANIMA HOMINIS.

Anima hominis est immortalis

SCriptura. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Protestantes. Permitto quod Papa condat articulos fidei & suis fidelibus, quales sunt se esse Deum terrenū: Animam esse immortalem, & omnia illa infinita portenta in Rom. sterquilinio decretorum. Artic, 1.

Portentū.

Vides quàm horrendas condemnationes Protestantes fulminent contra expressum Dei verbum, eiusque veritatem, pietatem, ac dignitatem. Contra veritatem quidem, dum id quod expressum Dei verbum docet, pronuntiant esse falsum, falsissimum, errorem, vehementem & turpem errorem, fabulam, figmentum, merum figmentum, commentum, inane, stultum crassum, putidum commentum, contra-

dictorium,

contradictorium, sophisticum, Somnium, Arianiticum, Hæreticũ, crassam ignorantiam, absurdum, absurdissimum, nouum, næuum, Iudaismum, mendacium. Contra pietatem illius, dum asserunt id quod verbum Dei disertè docet, esse impium, impiam persuasionem, furorem, insaniam, execrandam amentiam, superstitionem, pessimam, inanissimã & Diabolicam superstitionem, sacrilegum, hypocriticum, idolatricum, scandalum, blasphemum, contumeliosum in Deum & Christum, contra honorem & maiestatem Dei, scelestum, apostaticum à fide, contra fundamentum salutis, negationem Christi, abolitionem fidei, improbum & perniciosum dogma. Contra dignitatem eiusdem, dum dicunt id quod expressum Dei verbum totidem ferè verbis tradit, esse stultum, stultissimum, stolidum, fatuum, stupidum, bardum, puerile, intolerabilem vocem, diabolicam, dæmoniacam fallaciam Satanæ, abominabile, detestandum, friuolum, ridiculum, crudele, histrionicum, indignum Christianis, prauam suggestionem Satanæ, stercus. Hæccine aures Christianæ ferre possunt? An vlli vnquam Hęretici aut ipsi Diaboli tam execranda in expressa Dei verba euomuerunt? An hi verbi Dei Ministri, præcones, vindices, ac non potius teterrimi hostes Gigantum more Deo ipsi bellum indicentes? Sed (vt cum S. Augustino loquar) *eligat quisque quod placet, & si contra cælestia fulgura mendacij terreni fumus aliquid præualet, dimisso cælo euanescat in ventos.* *Lib. 1. Parmen. cont. c. 2.*



COLLATIONIS CATHOLICORVM AC PROTESTANTIVM DOCTRINÆ cum expresso verbo Dei Scripto.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I. DE DEO.

Art. 1. An Deus velit peccatum seu iniquitatem?

Non vult.

NEGAT SCRIPTVRA.

Non potest respicere.



PSALMO 5. versu 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

Abacuc. 1. versu 13. *Mundi sunt oculi tui ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.*

Nullo modo vult.

NEGANT CATHOLICI.

Repugnat velle.

S. Thomas, part. 1. Summæ quæst. 19. art. 9. *Malum culpæ Deus nullo modo vult.*

Stapletonus l. 11. de iustificat. c. 8. *Velle peccatum diuinæ naturæ penitus repugnat.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Caluinus in Genes. 3. v. 1. & 3. & apud Bezam in Absters. calumniarum Heshusij. pag. 322. *Multi Adam libero suo arbi-*

trio ita permissum fuisse imaginantur, vt Deus eius lapsum noluerit. & subdit ipse. *Dico, non sine Dei, ordinatione & nutu lapsum esse Adam.* Item. *Horum nihil obstat, quò minus, certa de causa licet nobis incognita, hominem labi voluerit.* &. 1. Instit. ca. 18. §. 1. *Absurdum videtur volente ac iubente Deo excæcari hominem. Tergiuersando itaque effugiunt, Dei tantùm permissu, non etiam voluntate hoc fieri.* & lib de Prædestinat. pag. 727. *Inane est illud diuinæ iustitiæ patrocinium: Quæ mala sunt, non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri. Equidem quatenus mala sunt quæ malo animo perpetrant homines Deo minimè placere fateor: sed quod otiosum ea permittere fingunt quæ Scriptura non tantum eo volente sed auctore fieri pronunciat, nimis friuolum est effugium.* Cont. Francisc. libertinum pag. 441. *Dicimus Diabolum & hominem voluntate Dei nobis incognita, vtrosque lapsos.*

Nutu Dei lapsus. Voluit hominē labi.

Mala non placet Deo, tamen eo volente & auctore fiunt.

Voluntate Dei incognita Diabolus & homo lapsi.

Beza in 2. part. Respons. ad acta Colloquij Montis Belgartensis. pag. 152. *Res ipsa clamat, cùm tam boni quàm mali sint in rerum natura, & cum tam bona quàm mala fiant, tam in his quā in illis hæc tria necessariò coniungi oportere, Dei videlicet æternam præscientiam cum ipsius immutabili voluntate & decreto.* & pag. seq. *Quædam vult, idest futura decernit & ordinat, quæ tamen in seipsis non probat.* & pag. 177. ait primos parentes nostros *reuera volente & decernente Deo lapsos.* Item. *Quod primi parentes sese natiua illa bonitate priuarunt, non nisi ex Dei sic volentis decreto factum fuisse dixi & dico.* Et de Prædestinat. contra Castell. pag. 340. Sic scribit: *Vnde istæ damnationis causæ? An Deo inuito euenerunt? Minimè. Omnipotens enim non esset. Volente igitur.* De Prædestinat. etiam volum. 3. Theol. pag. 409. inquit, quòd licet malum fiat *contra patefactam Dei voluntatem, non fiat absque interuentu generalis illius voluntatis, quâ quicquid fit, decernit.*

Voluntas Dei in malis.

Vult quæ non probat.

Priuarunt se bonitate ex voluntate Dei.

Causæ dānationis volente Deo.

Petrus Martyr in 1. Samuelis cap. 4. fol. 32. *Quare videri potest Deus hoc peccatum aliquo modo voluisse. Nam qui finem expetit, media etiam amplectitur per quæ ad finem peruenitur. Nam qui vult sanitatem, vult etiam ægroti sectionem, non quidem sectionis ipsius gratia, sed quòd per eam via sternatur ad sanitatem.* In Ro. 9. pag. 348. *Dicitur (Deus) odisse peccatum, quia illud non sua ipsius causa vult, sed, vt diximus, propter aliud.* Et in lo-

Vult peccatum vt medium.

Vult peccatū propter aliud.

cis Com. Claſſ. 1. cap. 14. pag. 116. *Deum voluiſſe Adamum cadere, dubitari non poteſt.* *Voluit Adamum labi.*

Zanchius lib. 5. de Natura Dei cap. 2. tom. 2. col. 565. *Annon voluit* (Deus) *Adamum peccare & nos omnes vnà cum illo in hanc corruptionem decidere, quâ fit vt non poſſimus non peccare, niſi nos ille iuuet ſua gratia? Voluit.* Et colum. 567. *Hac voluntate* (omnipotente) *voluit & ordinauit peccatum Adæ, vt in eo omnes peccarent.* & colum. 570. *In hunc finem eos prudens & volens indurat, vt peccent grauius.* *Voluit Adamum peccare.* *Voluit peccatũ Adæ.* *Indurat vt peccent.*

Piſcator (vt refert Vorſtius in Paraſceue c. 3. pag. 11.) *Peccata fiunt Deo procurante, & fieri eadem volente. Vult Deus iniquitatem fieri, etſi ea non delectetur. Sicut ægrotus amarum potum bibere vult, etſi eo non delectetur. Conſentaneum eſt voluntati Dei quod iniuſtum eſt, hoc eſt præcepto ipſius contrarium. Quia Deus iuſtitiam & miſericordiam ſuam patefacere vult, ideo quoque vult vt peccata fiant.* Et apud eundem in amica Collat. ſect. 61. *Deus non ſolum vult peccata fieri poſſe, ſed etiam vult vt fiant.* *Vult iniquitatem fieri.* *Vult vt peccata fiant.*

Idem Piſcator in Theſibus l. 2. p. 184. *Falſum eſt & contradictionem implicat: Hominem lapſum Deo non volente ſed permittente. Nam certè ſi permiſit etiam voluit, non quidem ſimpliciter & per ſe, tanquam peccato delectaretur, ſed ſecundum quid & propter aliud.* & p. 187. *Poteſt Deus aliquid velle quo tamen non delectetur. Puta non delectatur improbitate, & tamen eam permittit, & quidem volens, ac proinde vult eam aliquo modo & propter aliud* Et pag. 203. *Non eſt* ἐπρόδοξον; *Voluntatem Dei fieri etiam peccando, hoc eſt, etiam peccata fieri ex voluntate Dei.* *Vult improbitatẽ propter aliud.* *Vult iniquitatẽ voluntate beneplaciti.*

Bucanus in Inſtitut. Theolog. loco 14. pag. 145. *Anne Deus eſt nolens iniquitatem? Si ſimpliciter accipias Deum nullo modo velle, contradicit. Scriptura ergo explicatio eſt adhibenda: Deum nolle voluntate approbatiua, ſeu voluntate reuelata, ſeu ſigni: vult autem voluntate beneplaciti ſiue arcana voluntate.*

Perkinſus in explicat. Symboli tom. 1. col. 773. *Deus voluit lapſum Adæ bono fine.* Et de prædeſtinat. 127. *Dicimus Deũ velle lapſum Adæ, non quidem ſimpliciter, tantùm velle euenire.* Et col. ſeq. ponit in Deo voluntatem, quâ (inquit) *dicimus Deum velle peccatum euenire & eſſe in natura.* & addit, *velle ſc: quodcumque Deus non impedit, ideo non impedit, quia vult fieri.* *Voluit lapſum Adæ.* *Voluit euenire.* *Vult peccatũ eſſe in natura.* *Voluit defectionem.*

Vult peccatū quoad euentum. *Peccatū nō fit præter beneplacitum Dei.*

Item. *Defectionem Adami dicendum est Deum voluisse euenire.* Et col. 129. *Peccatum Deus licet non vult simpliciter & per se, decernit tamen, vultque quoad euentum.*

Pareus lib. 2. de Amiss. grat. &c. cap. 16. pag. 399. *Dico peccata non fieri præter voluntatem Dei arcanam beneplaciti, licet fiant contra Dei voluntatem reuelatam signi.*

Melancthon in cap. 9. Rom. editionis 1. *Est hoc mysterium inexplicabile: Nempe quod Deus & velit peccata, & tamen ea verè odio habeat.* Præterea dicunt (vti referam atti. 5.) quòd Deus ordinat & decernit peccatum, prædestinat ad peccatum, quòd peccatum fit eius consilio, decreto, & ordinatione: Quæ omnia supponunt Deum velle peccatum.

Vult peccata.

Polanus in Disput. priuatis, periodo 3. disput. 20. *Voluntas Diabolorum hominumque impiorum repugnat quidem voluntati diuinæ patefactæ, sed non simul arcanæ.*

Collatio præcedentium dictorum Scripturæ,

CATHOLICORVM, ET PROTESTANTIVM.

Scriptura quando ex professo docet, quo modo voluntas Dei se habeat erga peccatum, simpliciter negat, quòd Deus velit iniquitatem, id est, quod eam velit vel propter se vel propter aliud: imò negat, quòd possit ad eam respicere, hoc est, eam velle: cui consentaneè docent Catholici, quòd Deus nullo modo vult malum culpæ seu iniquitatem.

Protestantes verò vocant imaginationem, quòd Deus noluerit lapsum Adæ; & tergiuersationem, quod tantum permissu non etiam voluntate Dei homo excæcatur: Et affirmāt, quòd Adam lapsus est nutu Dei, quòd lapsus est Deo reuera volente, quòd dubitari non potest Deum voluisse Adamum cadere, quòd voluit Adam labi, voluit eius lapsum bono fine, voluit eius lapsum euenire. Quòd mala fiant Deo volente & auctore, quòd immutabilis voluntas Dei sit in malis, quòd mala non fiant absque interuentu generalis voluntatis Dei, quâ decernit quicquid fit, quòd vult ea futura esse quæ non probat. Quòd primi parentes priuarunt se bonitate ex decreto volētis Dei, quòd causæ damnationis eueniunt volente Deo. Quòd Deus vult peccatum vt medium ad finem, vult

peccatum propter aliud, voluit Adamum peccare, omnipotenti voluntate voluit peccatum Adæ, vult vt peccata fiant, vult peccata euenire & esse in natura, vult peccatum quoad euentum, quòd peccata non fiant pręter arcanam eius voluntatem beneplaciti, quòd induret homines, vt peccent grauiùs, quòd peccata fiant Deo ea fieri volente, quòd voluit defectionem Adæ euenire, & demùm, quòd vult iniquitatem fieri, licet ea non delectetur: sicut ægrotus vult amarum potum bibere licet eo non delectetur. Quæ Protestantium dicta tam manifestè contradicunt citatis scripturæ verbis, ac vlla eis possunt contradicere.

Neque quicquam iuuat Protestantes, quòd aliquando considerantes turpitudinem huiusmodi suorum dictorum eorumque apertam pugnam cum Scriptura, addant modum quo intelligunt Deum velle peccatum: nempe quatenus est occasio alicuius boni, scilicet manifestandi misericordiã Dei in eo condonando, vel iustitiam in eo puniendo, aut quid simile. Hoc (inquam) eos nihil iuuat, quia dicendo, quòd Deus vult lapsum, casum, excæcationem hominis, malum, peccatum, causas damnationis, priuationem bonitatis, defectionem, improbitatem & iniquitatem (prout dicunt) non solum docent, quòd Deus velit ipsum actum physicum cui malitia seu iniquitas inest, verùm etiam ipsam malitiam seu iniquitatem: tum quia prædicta vocabula significant ipsam iniquitatem, imò vnum eorum est ipsum vocabulum iniquitatis: tum quia priuatio bonitatis nihil aliud est, quàm malitia, nec defectio aliud quàm transgressio, nec causa damnationis aliud quàm iniquitas. De peccato, Scriptura ipsa. 1. Ioan. 3. v. 4. ait, quòd sit iniquitas, idque fatentur Protestantes. Nam ita Zanchius lib. 3. de Natur. Dei ca. 4. *In peccato est deformitas actionis declinantis à rectitudine legis diuinæ, atque hæc propriè est peccatum.* Et Pareus lib. 2. de Amiss. grat. cap. 4. *Peccatum malitiam notat.* Piscator in Thesibus, loco. 7. p. 145. *Peccatum est actionis naturæ suæ à lege Dei discrepantia.* Et lib. 2. loco 3. *Nihil aliud per se est quam irrectitudo in actione.* Idem Bucanus in Instit. Theo. loco. 14. Vrsinus in Cathechismo. p. 44. Sadeel ad Art. abiurat: 44. Muſ-

culus in locis tit. de peccatis. De malo idem agnoscit Caluinus Act. 2. v. 23. cùm inquit: *In hac voce* (malum) *certa est notatio praui affectus*, idque insinuat etiam de lapsu lib. de Prædestinat pag. 711. vbi concedit Deum ordinasse lapsum Adæ, negat tamen esse illius auctorem. Adde, quòd dicant Deum velle peccatum quatenus est occasio declarandi iustitiam aut misericordiam suam: At iustitia seu misericordia declaratur erga ipsam malitiam seu iniquitatem actus. Ergo censent Deum velle ipsammet malitiam. Demum, quia Zanchius de Excæcatione quæst. 5. tom. 7. col. 211. ait quod *peccatum consideratum etiam vt peccatum, quatenus ad illustrandā Dei gloriam non suapte natura sed bonitate Dei facit, eatenus peccatum & malum culpæ præordinatum est à Deo.* At peccatum vt peccatum, & malum culpæ, significat ipsam malitiam seu iniquitatem. Atque hac de causa plerumque renuunt concedere Deum esse auctorem peccati vel mali, quia nimirum his vocibus denotatur ipsa iniquitas seu malitia.

Manifestum igitur est, quòd Protestantes dum dicunt Deum velle peccatum, dicunt Deum velle ipsam malitiam seu iniquitatem, in quo directissimè contradicunt citatis Scripturæ verbis. Nam affirmant, quòd ipsa malitia seu iniquitas, sit vnum ex illis quę Deus vult, quod Scriptura negat. Quę contradictio non tollitur, addendo quòd sit volita à Deo sub aliqua alia ratione, scilicet vt est occasio alicuius boni, quia semper affirmatur, quòd iniquitas est ratio quæ est volita, licet non sit ratio sub qua. Scriptura autem negat, quòd sit ratio quæ est volita à Deo, vel quòd possit respici à Deo. Quare in hac materia distinguendæ sunt duæ quæstiones. Vna est simplex, nempe, An Deus velit ipsam iniquitatem seu malitiam? Ad quam Scriptura respondet negatiuè, Protestantes verò affirmatiuè. Altera est reduplicatiua: An scilicet velit iniquitatem vt iniquitas est? Ad quam tam Protestantes quam Scriptura respondēt negatiuè. Cæterùm, consensus eorum cum Scriptura in Responsione ad hanc quæstionem, non tollit eorum contradictionem Scripturæ in Responsione ad alteram, quæ contradictio est illa, quam nos hic vrgemus. Adde etiam quod iniquitas seu malitiæ

litia non potest esse volita à quoquam, neque ab ipsis Dæmonibus, sub sua propria ratione seu vt malitia est, quia, vt sic, est pura priuatio boni: quod autem est ratio volendi, debet habere rationem boni. Denique, dicere quòd Deus velit iniquitatem vt est medium ad bonum finem, est dicere Deum similem esse ijs, qui Rom. 3. dicunt *Faciamus mala vt eueniant bona*: *quorum damnatio* (inquit Apostolus) *iusta est.* Blasphemum igitur & contra Scripturam est, dicere, quòd Deus velit ipsam malitiam seu iniquitatem, sub quacunque ratione dicatur eam velle. Hocque ita manifestum est, vt aliqui Protestantes id fateantur, vt videre est lib. 2. cap. 24. & vltimo.

Nemo intendens ad malum operatur. Dionys. c. 4. di. nom.

ART. II. AN DEO PLACEAT PECCATVM.

NEGAT SCRIPTVRA.

3. Reg. 11. v. 6. *Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino.*

Non placuit.

1. Paralip. 21. v. 7. *Displicuit autem Deo quod iussum erat* (à Dauide) *& percussit Israël.*

Displicuit.

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus l. 2. de septem verbis Dom. c. 4. *Magnitudo offensionis, quam Christus sua passione delendam suscepit, est quidem aliquo modo infinita, ratione personæ infinitæ dignitatis & excellentiæ, quæ fuit offensa.*

Offendit Deum.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Pareus loco citato in art. præced. *Peccata non fiunt præter voluntatem Dei arcanam beneplaciti.*

Non fiunt præter beneplacitū.

Caluinus de Prædestinat. pag. 726. *Vnde ergo factum dicemus, vt tam inhumaniter Pharao sæuiret, nisi quia partim ad probandam suorum tolerantiam, partim ad exercendam suam virtutem, ita Domino placuit.*

Placuit Deo vt Pharao sæuiret.

Placent Deo etiam ea quæ vlciscitur.

Beza de Prędestinat. contra Castell. volu. 1. Theol. p. 376. *Voluntas Dei complectitur etiam illa, quæ simpliciter quidem non approbat, imo verò reijcit & vlciscitur, quæ tamen ab eo decernuntur, & ei κατά τι certoque respectu placent.* Et in Abster. Calumniarum Heshusij pag. 324 ait *Mendacium Deo placere, quatenus est iustum supplicium eorum qui veritati mendacium prætulerunt.*

Bucanus loco cit. art. præced. *Deus vult iniquitatem voluntate beneplaciti.*

Collatio.

Iuxta Scripturam, quando docet, An peccatum Deo placeat necne, peccatum Salomonis non placuit Deo, & peccatum Dauidis ei displicuit. Similiter loquuntur Catholici.

Iuxta Protestantes: peccata non fiunt præter arcanam voluntatem beneplaciti Dei, Placuit Deo vt Pharao inhumaniter sæuiret, & κατά τι certóque respectu placent Deo etiam ea quæ vlciscitur: Deus vult iniquitatem voluntate beneplaciti.

ART. III. AN DEVS ODIO HABEAT PECCATVM.

Affirmat Scriptvra.

Odit iniquitatem.

Psal. 44. v. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.*

Odit peccata.

Zach. 8. v. 17. *Omnia enim hæc* (peccata) *sunt, quæ odi, dicit Dominus.*

Odit impietatem.

Sap. 14. v. 9. *Odio Deo sunt impius & impietas eius.*

Affirmant Catholici.

Bellarminus in psal. 5. v. 4. *Nihil Deus magis odit quàm peccatum.*

Negant Protestantes.

Non odit vt sunt pœna.

Petrus Martyr in Rom. 9. pag. 347. *Cùm peccata sæpe habeant rationem pœnæ, apparet Deum sub hac ratione illa non odisse.*

Et pag. seq. *Quod autem Deus scribitur nolle & odisse peccatum, id accipiendum est quod ad legem, & Scripturas, & regulam viuendi nobis reuelatam attinet. Diciturt etiam odisse peccatum, quia illud punit, & quia illud non sua ipsius causa vult sed propter aliud. Quatenus ergo peccatum facit, non odit.* *Nō iuxtà regulam non reuelatam.* *Non vt facit ea.*

COLLATIO.

Secundum Scripturam ex professo de hac re agentem & Catholicos: Deus simpliciter odit peccatum.

Secundum Protestantes non simpliciter odit peccatum, quia non odit illud vt habet rationem pœnæ, nec quatenus ab ipso fit, nec secundum regulam non reuelatam.

ART. IV. AN DEVS FACIAT peccatum seu iniquitatem?

NEGAT SCRIPTVRA.

Sophon. 3. v. 5. *Dominus iustus in medio eius, non faciet iniquitatem.* *Non facit iniquitatem.*

Isaiæ. 53. v. 9. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.*

Prouerb. 14. v. 22. *Errant, qui operantur malum.* *Non operatur mala.*

1. Ioan. 3. v. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.*

Math. 7. v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* *Non facit peccatum.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Tridentinum sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit mala opera ita vt bona Deum operari, non permissiuè solùm sed etiam proprie & per se, adeo vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ quàm vocatio Pauli, Anathema sit.* *Non facit mala.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus lib. de seru. arbit. tom. 2. fol. 459. *Audiunt à nobis dici Deum in nobis operari bona & mala.* Item. *Cogitet, in* *Operatur mala.*

Sua mala punit. *nobis, id est, per nos Deum operari mala.* Et fol. 433. ait. *Deum* operari bona & mala in nobis, sua bona remunerari in nobis, sua mala opera punire in nobis, prout agnoscit Zanchius de Prædestinat. Sanctorum cap. 5. tom. 7. col. 326.

Vlenberg. causa 6. p. 147. Melancthon in Rom. 8. apud Fabritium Leodiensem in art. 19. Augustanum, Chemnitium in locis part. 1. p. 173. & alios. *Non est cur frigidum glossema admittamus: Deum mala permittere, non facere.* Item. *Sicut fatemur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem: ita fatemur opera Dei propriè esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere: siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium. Deus omnia facit, non permissiuè sed potenter, hoc est, vt sit eius proprium opus Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio.*

Facit mala.

Mala, sunt propria opera Dei sicut bona.

Facit efficaciter mala culpæ.

Facit hominem transgressorem.

Brentius apud Zanchium in De pulli. calum. tom. 7. c. 252. *Quanquam Deus mala operetur, non tamen &c.* Idemque Brentius in cap. 3. Amos impress. Haganoæ anno. 1530. *Omnia à Deo potenti & efficaci manu fiunt, siue mala culpæ, siue mala pœnæ.* Zuinglius de Prouidentia cap. 5. tom. 1. fol. 364. *Numen ipsum auctor est eius, quod nobis est iniustitia. Angelum transgressorem facit & hominem.*

Excæcatio opus Dei.

Auctor omnium &c.

Caluinus 1. instit. c. 14. §. 17. *Paulus testatur excæcationem incredulorum, opus esse Dei, cùm antea vocasset operationem Satanæ.* Et cap. 18. §. 1. ait, quòd Deus palam pronunciat, se facere excæcationem hominum. Et §. 3. inquit: *Iam satis apertè ostendi Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti censores volunt otioso tantum eius permissu contingere.* Si autem Deus sit auctor omnium eorum quæ Catholici (quos censorum nomine intelligit) volunt tantum eius permissu contingere, certè auctor est peccatorum. Et lib 3. cap. 23. §. 1. *Vnde sequitur absconditum Dei consilium obdurationis esse causam.* De Prædestinat. etiam pag. 726. *Clarè duritiam illam* (Pharaonis) *Dei opus fuisse Moyses affirmat. Nec sanè alio sensu hîc Dei consilio ascribitur Pharaonis sæuitia, quàm alibi gratiam dare populo suo dicitur in oculis Aegyptiorum.* Rursus pag. 728. *A Domino procedunt, quæ sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur.* Et de Prouidentia pag. 736. ait. *Corruptionem & reatum arcano Dei iudicio adscribere necesse est.*

Causa obdurationis.

Sæuitia à Deo est, vt fauor.

Maleficia à Deo.

Corruptio & reatus ascribēdus Deo.

Beza de Prædestinat. contra Castel. p. 399. admittit quod

Voluntas Dei summa seu suprema sit indurationis hominum causa. Et p. 400. inquit: *Induratio, iustum Dei opus est.* Et in Ro. 9. v. 18. *Cuiusmodi iudex erit Deus, si indurationẽ, quæ inter iustas peccati pœnas numeratur, non decernit, non peragit, sed otiosè permittit?*

Summa causa indurationis.

Induratio opus Dei.

Peragit indurationẽ.

Petrus Martyr in locis Comm. class. 1. cap. 14. pag. 98. *Altera sententia est quorundam doctorum virorum (Protestãtium) qui concedunt Deum esse causam peccati, sed addunt, istas actiones, quatenus à Deo sunt, habere rationem iustitiæ.* Et in cap. 1. Rom. pag. 37. *Et licet de alijs peccatis vtcumque cauillemur, de originali tamen quid tamen dicemus? Profecto nemo est qui ambigat illud nobis infligi à Deo.* In cap. 9. pag. 348. supra citat. *Quatenus Deus facit peccatum, non odit.* Et pag. 410. *Vnde apparet Deum illud peccatum Adæ quodammodo voluisse, ac eius quadamtenus fuisse auctorem.* In lib. etiam Iudic. cap. 3. fol. 52. *Loquutiones huiusmodi apertè docent, Deum ipsum non tantùm permittendo, sed agendo in nobis mala quoquo modo operari.*

Causa peccati.

Infligit peccatum originale.

Facit peccatum.

Piscator apud Vorstium in Parasceue cap. 3. pag. 11. *Quia Deus procurat patefactionem istam iustitiæ & misericordiæ suæ, ideo etiam procurat ipsa peccata. Deus procurauit vt Absalon stupraret vxores Patris sui.* Hęcque repetit Vorstius in amica Collat. sect. 130.

Quadamtenus auctor.

Pareus lib. 2. de Amiss. gratiæ &c. cap. 3. pag. 214. ait, quòd *Scriptura specialem Dei actionem in malitia filiorum Heli, in Dauidis & Absalomi peccatis, &c. significat.*

Quoquo modo operatur mala.

Procurat ipsa peccata.

Zanchius de Excæcat qu. 1. t. 7. col. 204. *Certũest Deum tanquam iustum iudicem primarium fuisse indurationis istius auctorem.*

Bucanus in Instit. Theol. loco 36. p. 405. ait quod malorum omnium *causa deficiens in Deo statuitur. At certe non potest esse alia causa mali quàm deficiens.*

Habet specialem actionem in malitia.

COLLATIO.

Secundum Scripturã exprofesso docentem quo modo Deus se habeat erga peccatum & Catholicos, Deus non facit iniquitatem, & qui operatur malum & facit peccatum, errat, & ex Diabolo est.

Primarius auctor indurationis.

Secundum Protestantes, Deus est causa peccati, infligit peccatum, facit peccatum, procurat ipsum peccatum, est quadamtenus auctor peccati, est causa indurationis, prima-

rius auctor indurationis, & auctor eorum omnium quæ Catholici dicunt fieri eius permissu: operatur mala, quoquo modo operatur mala agendo in nobis, facit mala, sua mala opera punit in nobis, facit efficaciter mala culpæ, mala sunt propria opera eius, vt proditio Iudæ sic & vocatio Pauli; habet specialem actionem in malitia; maleficia hominum à Deo procedunt; Excæcatio seu induratio est opus Dei, Deus peragit indurationem, sæuitia Pharaonis ita tribuitur Deo, vt fauor Aegyptiorum.

Quod si Protestantes ad occultandam huius doctrinæ suæ fæditatem eiusque cum Scriptura oppositionem, dicant se non docere, quòd peccatum vt peccatum est, fiat à Deo, parum hoc illis proderit: quia (vt ostensum est in 1. art.) manifestè dicunt, quòd Deus non solùm facit actum physicum, qui est peccatum, verùm etiam quòd facit ipsam malitiam seu iniquitatem, immò (vt loquitur Pareus) in malitia habet specialem actionem, Iniquitas autem illud est, quod scriptura negat fieri à Deo, & non potest esse vel ratio quæ fit, vel, ratio sub qua aliquid à Deo fit, prout supra diximus, quod nequit esse ratio quæ, vel ratio sub qua aliquid est à Deo volitum. Quare licet non contradicant Scripturæ in hac reduplicatiua propositione. Deus non facit peccatum vt peccatum est; tamen ei contradicunt in hac sua simplici seu absoluta propositione: Deus facit peccatum seu malitiam, quia hanc Scriptura directè negat. Idque aliqui Protestantes fatentur, vt videre licet. lib.2.c.24.& vltimo.

ART. V. AN DEVS ORDINET PECCATVM FIERI, SEV PRÆDESTINET homines ad peccandum?

NEGAT SCRIPTVRA.

Non ascendit in cor Dei.

Hieremiæ 19. v. 5. *Aedificauerunt excelsa Baalim &c. quæ non præcepi, neque loquutus sum, neque ascenderunt in cor meum.*

NEGANT CATHOLICI

Concilium Trident: sess. 6. Can. 17. damnat hoc dogma: Reprobos esse *diuina potestate prædestinatos ad malum.*

Non prædestinat ad malum.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Zuinglius in Elencho tomo 2. fol. 36. *Esau, Diuina prouidentia in hoc creauit, vt viueret, atque impiè viueret.*

Deus creat homines vt impiè viuant.

Caluinus 3. Instit. cap. 23. §. 4. *Rursum excipiunt : Nonne ad eam, quæ nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionem, Dei ordinatione prædestinati ante fuerant ? Cùm ergo in sua corruptione pereunt, nihil aliud quàm pœnas luunt eius calamitatis, in quam ipsius prædestinatione lapsus est Adam. Fateor sanè, in hanc qua nunc illigati sunt conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse vniuersos filios Adam.* Et §. 8. *Cadit homo, Dei prouidentia sic ordinante.* Vide etiam §. 7. Et de Prædestinat pag. 704. *Arcanum Dei consilium, quo præordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate, procul adoret fides nostra.* Et de Prouident. pag. 736. *Hanc esse meam doctrinam agnosco : non solo Dei permissu, sed arcano etiam consilio lapsum esse Adam. Ib. Etsi se & suos perdidit Adam, corruptionem tamen & reatū arcano Dei iudicio adscribere necesse est.* Et 738. *Ita me scripsisse fateor: lapsum Adæ fuisse occulto Dei decreto ordinatum.*

Cadunt homines Dei voluntate. *Deo ordinante.* *Deus ordinat lapsū.* *Lapsus ex cōsilio Dei.* *Peccata ex consilio & decreto Dei.*

Beza in cap. 22. Lucæ. v. 22. *Viderint præposteri quidam iustitiæ Dei vindices, quâ fronte, cùm de peccatis hominum agitur, prouidentiam Dei ab eius consilio & decreto separent.* Et de Prædestinat. contra Castell. pag. 340. *De ipsorum peccatorum fonte quærimus, nimirum de corruptionis causis, à quibus excludere Dei decretum non magis potes, quàm &c.* Rursus: *Qui non sit Deus in culpa, si damnationis causas ordinat, quæstionem inexplicabilē humanis sensibus arbitramur.* Et pag. 360. *Non absque ordinatione Dei lapsus est Adam.* 361. *Oportuit Deum Adami lapsum ordinare.* 362. *Affirmamus & millies iam repetij, Adamum, non modo præsciente, sed etiam iustè decernente & ordinante Deo, fuisse lapsum.* Et in Colloq. Montisbelg. pag. 431. *Causas damnationis gradatim ordinauit.*

Decretum Dei causa corruptionis. *Deus ordinat causas damnationis.* *Ordinat lapsum.* *Adam lapsus ordinante & decernente Deo.*

Similia habet ibidem pag. 429. Et in Explicat. Christianismi cap. 3. pag. 179. Et in Act. c. 2. v. 23. ait Deum definiuisse perfidiam Iudæ & scelus Iudæorum.

Peccata finis reprobationis.

Petrus Martyr in Rom. 9. pag. 397. *Finis extremus reprobationis est declaratio potentis iustitiæ Dei. Finis propinquior est damnatio, propinquior autem finis sunt peccata.* Et in locis Com. Class. 3. cap. 1. §. 34. *Quî fieri potest, vt aliquo modo peccata sub reprobatione non comprehendantur?*

Destinatio ad excæcationem & mortem.

Bucerus apud Zanchium de Excæcat. quest. 5. tom 7. col. 213. ait. quòd prædestinatio reproborum *est quorundam ad mortem æternam, ideoque ad excæcationem & indurationem aliaque mala, iusta licet nobis occulta, destinatio.*

Aliqui prædestinati ad peccatum.
Prædestinati ad indurationē.
Tam ad occæcationem quàm ad liberationē.
Peccatum etiam vt peccatum præordinatum à Deo

Zanchius ipse de Prædestinat cap. 3. tom. 7. col. 193. *Sunt & quidem non vulgares* (Protestantes) *neque indocti viri, qui hoc facilè concedūt prædestinatos esse aliquos à Domino ad peccatum.* Cap. 4. col. 318. *Quosdam ad indurationem, excæcationemque prædestinatos fuisse, negari non potest.* Et col. seq. *Tam ad occæcationem prædestinati sunt qui occæcantur, quàm ad liberationem à peccato qui à peccato liberantur.* Et de Excæcat ibidem quæst. 5. col. 211. *Manifestum est, Deum quosdam etiam ad excæcationem prædestinasse.* Item. *Peccatum consideratum etiam vt peccatum, quatenus ad illustrandam Dei gloriam, non suapte natura sed bonitate Dei, facit, eatenus peccatum & malum culpæ præordinatum est à Deo.* Idque repetit lib. 5. de Natura Dei cap. 2. tom. 2. col. 555. vbi etiam col. 565 inquit. *Fatemur Dei ordinatione Adamum in peccatum fuisse lapsum.* Et 568. *Fuit hoc primum quod de reprobis constituit Deus ab æterno: nempe quorumdam hominum ad exitium sempiterna destinatio: Ad hoc autem fuerunt ordinata ipsorum peccata, & ad peccata, desertio, gratiæque denegatio.*

Primò destinat ad exitium postea ad peccata.

Præordinat ad peccatum vt peccatum est.

Polanus lib. 4. Syntag. Theol. cap. 10. col. 705. *Ad peccatum vt peccatum est, non quidem simpliciter, sed quatenus ex eo gloria Dei sapientissima bonitate & iustitia ipsius Dei illustranda erat atque illustratur, tam electi quàm reprobi fuerunt præordinati.* Et parte 2. Thesium p. 167. ait, quòd *doctrina de prædestinatione est fundamentum & præcipua pars Euangelij.*

Piscator apud Vorstium in Parasceue cap. 1. pag. 2. *Quæcunque*

cumque in mundo fiunt, tam mala quàm bona, ea ex absoluto decreto & speciali præfinitione Dei fiant. Cap. 3. pag. 11. *Omnia fiũt ex decreto Dei, etiam ipsa peccata, & quidem ex decreto absoluto & speciali.* Et cap. 6. pag. 25. *Deus destinauit homines vniuersim omnes ad peccata.* Similia habet apud eundem in amica Collat. sectione 56. & 58. vbi addit, quòd Deus, *Decreuit absolutè & per se, vt peccata fiant.*

Mala ex absoluta & speciali præfinitione Dei.

Peccata ex decreto absoluto ac speciali

Idem Piscator in Thesibus lib. 2. loco 12. p. 143. *Reprobationem sequitur denegatio gratiæ, hanc peccata, peccata pœnæ; Ad quæ omnia præordinauit Deus reprobos ab omni æternitate.*

Per se decernit vt peccata fiant.

Perkinsus de Prædestinat. tom. 1. col. 127. *Deo non præsciente tantùm, sed volente etiam & decernente, lapsum Adami euenisse dicimus.* Et in Serie causarum cap. 52. *Quòd dicitur præsciuisse Deum Adami lapsum, non tamen æterno decreto statuisse, impium est.* In c. 1. Apocal. to. 2. *Asserimus Deum hominis lapsum decreuisse. Generali voluntate decreuit vt homines laberentur & peccarent.* Ibid. De Sermone Domini col. 572. *Deus hominũ incredulitatem præuidet quòd eam decreuerit.*

Reprobi præordinati à Deo ad peccata.

Lapsus decernente Deo.

Impiũ Deũ non statuisse lapsum.

COLLATIO.

Scriptura ex professo hac de re agens diserte negat peccata ascendere in cor Dei, ac proinde multò magis negat Deũ ordinare vt peccata fiant, vel prædestinare homines ad peccandum. Idemque negant Catholici.

Protestantes disertè affirmant hominem cadere ex ordinatione Dei, lapsum hominis esse ordinatum, decretum, & præordinatum à Deo, Deum decernere peccata, decernere lapsum, statuere lapsum, decernere causas corruptionis, ordinare causas corruptionis, ordinare peccata, absolute & perse decernere vt peccata fiant, tam mala quam bona esse ex decreto Dei absoluto & speciali, ipsa peccata esse ex decreto absoluto & speciali, Deum destinare ad peccatum, prædestinare ad excæcationem, prædestinare ad peccatum, tam prædestinare ad excæcationem quàm ad liberationem, demum præordinare ad peccatum vt peccatum est & malum culpæ. Et si qui Protestantes conentur occultare hanc suam contradictionem Scripturæ, dicendo, quòd non affirmant Deum ordinare peccatum vt peccatum est, fieri, facilè re-

fellentur ex ijs quæ iam ante diximus art. 1. & 4.

ART. VI. AN DEVS MANDET peccare;

NEGAT SCRIPTVRA.

Ecclesiastici 15. vers. 21. *Nemini mandauit* (Deus) *impie agere.*

Nemini mandat.

Hieremiæ 32. v. 35. *Aedificauerunt excelsa Baalim &c. quæ non mandaui.*

Non mandat.

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Amissione gratiæ & statu peccati cap. 8. *Scriptura manifeste docet Deum non imperare peccata.*

Non imperat.

AFFIRMANT. PROTESTANTES.

Mandat concipere & moliri maleficia. Mandat vt sit Spiritus mendax. Satan imperio Dei agit. Mendax ex mandato Dei. Deus dat apertum mandatum fallendi. Iubet ire ad mētiendū.

Caluinus 1. Instit. cap. 17. §. 11. *Diabolus totaque improborum cohors nec concipere vllum aduersus nos maleficium, nec conceptum moliri potest, nisi quantum Deus permiserit, imo nisi quantum Deus mandauerit.* Et cap. 18. §. 1. *Vult Deus perfidum Regem Achab decipi, operam suam offert diabolus ad eam rem, mittitur cùm certo mandato vt sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.* In Rom. 9. v. 18. *Satan ipse qui intus* (in reprobis) *efficaciter agit, ita est Dei minister, vt non nisi eius imperio agat.* De Prædestinat. pag. 727. *Vides, vt non modo Dei mandato Satan in ore Prophetarum omnium spiritus sit mendax, sed &c.* Et de Prouident. pag. 739. *Quid? vbi Deus Satanam vindictæ suæ ministrum accersit, & dat apertum fallendi mandatum, An hoc non differt à solo permissu?* Et p. 746. *Deus Satanā compellans iubet ire vt sit spiritus mendax in ore omnium prophetarum ad fallendum Achab.*

Dat præceptum & efficacitatē fallendi. Mandat vt mentiendo perdat. Expresse mittit ad decipiendum.

Beza in Absters. Calumniarum Heshusij pag. 317. *Deus est, qui spiritus malos immittit, addito nocendi præcepto dataque adeo ad fallendum efficacitate.* Et de huiusmodi doctrina inquit pag. seq. *In hac doctrina posita est nostræ salutis & consolationis summa.* Et pag. 324. *Deus impijs iratus eos tradit Satanæ, & quidem cum hoc mandato, vt mentiendo & modis omnibus fallendo eos misere perdat.* Et 382. *Satan ad Achabum decipiendum Dei expresso mandato mittebatur.*

Pareus lib. 2. de Amissione gratiæ &c. cap. 14. pag. 378. *Quasi verò non manifestè legatur: Deum huius sæculi, hoc est, Satanam excæcare mentes infideliũ? Si iussu Dei id fieri quis dubitat, legat historiam Achabi, cuius prophetæ iussu Dei excæcantur & seducuntur à Satana.*

Satan iussu Dei excæcat.

COLLATIO.

Scriptura vbi mentem suam ex professo de hac re exprimit, simpliciter negat Deum mandare vel præcipere peccata. Idemque negant Catholici.

Protestantes simpliciter affirmant Deum mandare Satanæ concipere maleficia, decipere, mentiri, & dare illi apertum mandatum fallendi, expressum mandatum decipiendi, Quæ blasphema esse & contra Scripturam agnoscunt aliquando ipsi Protestantes, vti ostendimus l. 2. c. 24. & vltimo.

ART. VII. AN DEVS QVENQVAM IMPELLAT seu tentet ad peccandum?

NEGAT SCRIPTVRA.

IAcob. 1. v. 13. *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

Deus intẽtator malorum.

Neminem tentat

Ecclesiastici 15. v. 11. *Non dicas, ille me implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij.*

Non implanat.

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Amissione gratiæ &c. cap. 4. *Si Deus impelleret homines ad ea quæ sunt contraria legi æternæ, seipsum negaret.*

Non impellit ad mala

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus apud Zanchium de Prædestinat. tom. 7. col. 298. *Deus operatur bona & mala in nobis, flectit ad mala.*

Flectit ad mala.

Zuinglius de Prouidentia cap. 6. tom. 1. fol. 366. *Deus perinde mouet iudicem ad puniendos sontes, ac illos ad peccandum.* Rursus. *Mouet latronem ad occidendum: percussit latro impulsore Deo.* Et cap. 7. fol. 375. *Hoc loco docetur non modò facta & opera, sed etiam cogitatus & consilia nostra à Domino suggeri & moueri, siue bona siue mala sunt.*

Mouet ad peccandum perinde ac ad bonum agendum.

Suggerit mala consilia.

Bucerus in cap. 6. Matthæi pag. 170. *Scriptura non veretur*

Auctor tẽtationis.

bili actione, eâque vel immediatè per se, vel mediatè per ministerium Satanæ eos in cæcitatem, obdurationem, & praua desideria impellendo. Et ibidem in Thesibus col. 296. *Deus omnium voluntates flectit quocunque vult, siue ad bonum, siue ad malum.* *ne immediate ac per se.* *Flectit ad malum.*

Paræus lib. 2. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 3. pag 203. *Quod Deus impellat, cogat* (ad malum) *impropriè quidem dicitur, commodè tamen intelligi potest, quòd cogat, impellat, non inuitos, sed quòd voluntates malas sponte ad malum ruentes occulta vi efficaciter moueat.* Et cap. 13. pag. 351. Cum Bellarminus dixisset, quòd sit impius & blasphemus modus dicendi, quòd Deus per se & propriè impellat ad malum, vel physicè, id est mouendo immediatè voluntatem, vel moraliter, id est, verè & propriè imperando, respondet Paræus. *Minimè verò est falsus, impius, blasphemus hic modus, sed verissimus & iustissimus, si intelligatur Deus voluntates ex sese malas & sua sponte ad mala ruentes, non physicè* (*neque enim ad physicam Deus est alligādus*) *sed hyperphysicè, hoc est, modo nobis occulto & inexplicabili sed iustissimo, mouere, inclinare quocunque voluerit.* Et ibidem pag. 357. reijcit modum quendam, quo Bellarminus dixerat intelligi posse Deum excitare ad mala, imperare malum, *quoniam* (inquit Paræus) *hoc modo fingitur operatio malorum in solis impijs agentibus, operatio Dei in solis impiis vel pijs patientibus: Atqui vt Deus propriè dicatur mouere, impellere ad mala, imperare mala, &c. oportet vt aliqua Dei operatio in ipsis malis operantibus statuatur.* Censet ergo Deum propriè impellere ad mala. Et lib. 3. cap. 2. pag. 449. *Dicimus hominem voluntate quidem & ordinatione Dei tentatum & lapsum esse.* Et 453. *Nostri Doctores dicunt hominem ordinatione Dei tentatum & lapsum esse.* Idque repetit pag. 455. & pag. 456. *Hominis tentationem & lapsum Deus ab æterno decreuit.* *Hyperphysicè inclinat ad malum.* *Propriè impellit ad mala.* *Homo tentatur ex Dei decreto.*

Nicasius citatus à Remonstrantibus in Collatione Hagæ pag. 39. *Deus poterit hominis animū ad peccatū flectere & dirigere.* *Flectit ac dirigit ad peccatum.*

COLLATIO.

Scriptura quando ex professo hoc tractat, apertè negat Deum quenquam tentare aut implanare, & ait eum esse intentatorem malorum. Idemque docent Catholici.

Protestantes vero apertè affirmant, Deum esse auctorem tentationis, hominem tentatum esse eius ordinatione & decreto, Deum tentare ad seducendum, tentando ad peccatum impellere, flectere ad mala, flectere & dirigere ad peccatum, mouere ad peccandum, sollicitare ad fallendum, incitare ad mentiendum, impellere ad id quod non licet, impellere in grauia peccata, habere Satanam ministrum in sollicitando ad mala, impellere in praua desideria, idque interna quadam particulari actione atque immediatè ac per se; sponte ruentes ad mala occulta vi efficaciter mouere, hyperphysicè inclinare; demum propriè impellere ad mala. Quæ sunt tam manifestè blasphema & contraria Scripturæ, vt nonnunquam Protestantes id confiteantur, vt ostendimus lib. 2. cap. 24. & vltimo.

ARTIC. VIII. AN DEVS IMPONAT HOMINIBVS NECESSITATEM peccandi.

NEGAT SCRIPTVRA.

Appetitus peccati sub homine.

GEnes. 4. v. 7. *Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit eius appetitus, & tu dominaberis illius.*

Non patitur Deus nos tentari supra vires.

1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. canon. 5. definit hominem habere liberum arbitrium in malis.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Iudas fuit necessario proditor. Non potuit mutare voluntatem. In malis cogimur aliud facere quàm cogitabamus.

Lutherus de seruo arbitrio fol. 460. t. 2. *Si præsciuit Deus Iudam fore proditorem, necessariò Iudas fiebat proditor, nec erat in manu Iudæ aut vllius Creaturæ aliter facere, aut voluntatem mutare.* Et fol. 434. *Hic est fidei summus gradus, credere illum iustũ, qui sua voluntate nos necessariò damnabiles facit.* Et ibidem in Assert. Artic. 36. fol. 112. *Quis audet negare, se etiam in malis operibus sæpius coactum aliud facere quàm cogitabat?*

Zuinglius de Prouidentia cap. 6. fol. 366. *Nec dicet quis-*

quam. Innocens est latro; Deo enim impulsore occidit. Nam contra legem peccauit. At, inquies, coactus est ad peccandum: Permitto, inquam, coactum esse.

Caluinus 3. Institut. cap. 23. §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem, præsertim cùm ex Dei ordinatione sibi injciatur huiusmodi necessitas: Nos verò inde negamus ritè excusari, quandoquidem Dei ordinationi sua constet æquitas.* Et de Prædestinat. pag. 704. *Ad iustam hominis damnationem satis erat, in via salutis cum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tū? An ideo culpa liberatur?* *Latro cogitur ad peccandum. Necessitas peccandi ex Dei ordinatione.*

Beza de Prædestinat. Contra Castel. vol. 1. pag. 391. *At dices: Non potuerunt* (Adam & Eua) *resistere Dei voluntati, id est, decreto. Fateor: Non poterant aliter velle: Fateor quoad euentum & energiam.* Idemque habet Perhinsus de Prædestinat col. 134. Et in 2. parte Responsf. ad Acta Colloq. Montisbel. pag. 178. *Alia necessitate dicendus est Adam necessariò lapsus, nempe quod ad Dei ordinationem attinet, quæ falli non potest.* *Adam nō potuit aliter velle. Necessitas lapsus ex Dei ordinatione. Necessitas peccandi ex decreto Dei.*

Tilenus disput. 8. de Prædestin. pag. 152. *Ex hoc decreto Dei duplex necessitas incumbit reprobis: vna peccandi, altera pereundi.*

Paræus lib. 2. de Amiss. Gratiæ cap. 6. pag. 291. *Lapsum hominis ex accidente ob Dei decretum necessarium & ineuitabilem fuisse, nostri rectissimè asserunt.* Et cap. 13. pag. 356. *Quod cum fit, necessario quidem, sed tamen voluntarie & iustissimo Dei iudicio peccat creatura; dum Deus iustum opus suæ voluntatis & prouidentiæ per eum efficit.* *Necessario peccat ex iudicio Dei.*

Zanchius lib. 5. de Natura Dei cap. 2. to. 2 Col. 571. *Damus reprobos necessitate peccandi, eòque & pereundi, ex hac Dei ordinatione constringi, atque ita constringi vt nequeant non peccare & perire.* Item. *Non dubitamus confiteri, ex immutabili reprobatione, necessitatem peccandi & quidem sine resipiscentia ad mortem vsque peccandi, eòque pœnas æternas dandi, reprobis incumbere.* *Ex ordinatione Dei.*

Piscator in Thesibus loco 6. pag. 135. *Adam peccauit necessariò, si æternam Dei prouidentiam spectes.* Et lib. 2. pag. 183. *Falsò dicitur, in voluntate hominis fuisse, non edere de fructu ve-* *Ex prouidentia Dei. Ex decreto Dei.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 3. de Iustificat. cap. 8. *Peccatum sua natura in quocunque sit separat hominem à Deo, facitque eum exosum Deo in quo est,* *Non odit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus 3. Institut. cap. 2. §. 12. *Videmus Deum mirabiliter irasci filijs suis, quos amare non desinit, non quòd apud se eos oderit, sed quia terrere eos vult iræ suæ sensu,* Idem habet epistola. 354.

Non odit omnes in quibus est iniquitas.

Beza de Prædestinat. contra Castell. pag. 409. *Et si omnē iniquitatem odit Dominus, non tamen omnes odit in quibus est iniquitas.*

Zanchius lib. 4. ex Natura Dei cap. 7. quæst. 2. to. 2. *Electos nunquam odit Deus, irascitur quidem illis vt illos duriter castiget sæpe, odit tamen nunquam.* Item: *Fieri non potest, vt Deus illos aliquando oderit.* Et tom. 7. in depulsi. calumniarum col. 256. *Deus electis cum peccant irascitur, sed eos nunquam odit.* Idque repetit in sua disceptatione tomo altero col. 385.

Nunquam odit electos.

Non potest eos odisse.

Perkinsus de Prædestinat. to. 1. col. 152. *Deus offensus effecta gratiæ mutat in effecta odij cuiusdam, non quidem in ipsos fideles, sed in illorum scelera, Paternum affectum non exuit Deus, ijque etiam quoad ius vitæ æternæ filij sunt.* Somus apud eundem. *Quem Deus semel diligit, semper diligit.*

Kemnitius in Exam. Concilij to. 1. titulo de reliquiis peccati p. 179. *Deus in renatis ita odit peccatum, sicut medicus propter ægritudinem ægrotum non odit, sed personam diligit.*

Non odit personam. renati peccātis.

Paræus lib. 1. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 7. pag. 68. *Deus peccantes filios non penitus abiicit, non odit.*

Non odit filios peccātes.

Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 34. *Pij etsi peccant* (grauiter) *tamen semper de Christi voluntate & amore certissimè persuasi sunt.*

Amat eos.

Scharpius Controuers. 5. de Iustificat. p. 88. *Deus irascitur peccantibus fidelibus, at non odio prosequitur.*

Non odio prosequitur.

COLLATIO.

Scriptura, cum ex professo de hoc agit, apertè affirmat, quòd Deus odit omnes qui operantur iniquitatem, & pecca-

tores. Idipsum affirmant Catholici.

Protestantes apertè negant, quòd odit, quòd odio prosequitur, quòd vnquàm odit, quòd potest odisse electos operantes iniquitatem seu personam electorum, aut quod desinit eos amare, vel vnquam exuit paternum affectum erga eos sed solùm terret eos sensu iræ suæ, ac mutat effecta gratiæ in effecta cuiusdam odij, non in ipsos electos sed in scelera eorum. Hæc contradictio adeo est manifesta, vt Lutherus to. 5. in cap. 3. Galat. fol. 336. scripserit: *Quomodo simul vera sunt ista duo contradictoria? Habeo peccatum & sum dignus ira & odio diuino; & pater amat me.*

ARTIC. X. AN DEVS IVSTIFICET IMPIVM, HOC EST, PRONVNCIET, habeat, censeat iustum, eum qui est impius.

NEGAT SCRIPTVRA.

Prouerb. 17. v. 15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

Abominabilis, qui iustificat impium. Isayæ 5. v. 25. *Væ qui iustificatis impium.*

Væ illi. Rom. 2. v. 2. *Scimus quoniam iudicium Dei est secundum veritatem.*

NEGANT CATHOLICI.

Deus imputat iustitiam iniustis. Bellarminus lib. 2. de iustificat. cap. 9. *Non potest impius verè iustificari, id est, iustus pronuntiari, nisi qui pronuntiat iustum, simul faciat iustum.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Iniquos habet pro iustis. Scharpius de iustificat. Controuers. 9. pag. 155. *Nos per imputationem iustitiæ Christi dicimur iusti, at dicimur etiam iniusti propter inhærentem nobis iniustitiam.*

Iniustos pro iustis. Caluinus lib. de Cœna pag. 2. *Certò sciamus, nos quamuis iniquos & impuros, agnosci tamen & recipi à Domino atque etiam haberi pro iustis:* Et 3. Institut. cap. 19. §. 2. *Non illic* (apud misericordiam Dei) *quæritur, quomodo iusti simus: sed quomodo, iniusti licet ac indigni, pro iustis habeamur.*

Impius. Euangelicè pronuntiatur iustus. Paræus lib. 2. de Iustificatio. cap. 9. pag. 481. *Quod excipit impium non posse verè iustum pronuntiari nisi iustus efficiatur, de*

iustitia inhærente & legaliter, verum est: non posse verò iustum pronũtiari iustitia imputata & Euangelicè, est falsum. Idem indicant alij omnes, dum dicunt quòd iustificare Dei, non sit facere iustum.

Bucanus loco 31. de Iustificat. quæst. 18. pag. 313. *Cum Deus prohibeat iustificare impium Prouerb. 17. 15. Anne rectè facere dicitur quod ipse prohibet? Rectè, quia omni lege superior est.* *Deus facit quod prohibet.*

Auctor de Iustificat. to. 5. doctrinæ Iesuiticæ impress. Rupellæ anno 1586. pag. 207. *Apostolus iustificandi verbum adhibet ad significandum, quòd homo quamuis impius sit, pius tamen à Deo censeatur & fiat.* Similia habet Piscator in Thesibus loco 15. Hunnius Tractat. de Iustificat. pag. 67. Sadeel ad Articul. 43. pag. 477. *Impius, censetur à Deo pius.*

Illyricus præfat. in Epistolam ad Romanos pag. 638. *Non posse Christum sua iustitia efficaciaque, tales peccatores, qui omnibus bonis operibus careant & sint impij, iustificare & saluare, prorsus est contumeliosum in Christum.* *Deus iustificat impios carentes omnibus bonis operibus.*

COLLATIO.

Scriptura hoc ex professo tractans, ait, quòd sit abominabile apud Deum iustificare impium, & dicit væ illi qui id facit, & quòd omnia iudicia Dei sint vera. Verum autem iudicium non est, quod pronuntiat impium esse iustum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd iniqui & impuri habentur à Deo pro iustis; quòd iniusti & indigni pro iustis habentur: quòd Euangelicè quis potest pronuntiari iustus, licet non efficiatur iustus, quod Deus facit id quod hac in re prohibet.

ARTIC. XI. AN DEVS IRASCATVR FIDELIBVS PECCANTIBVS.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Exod. 4. v. 14. *Iratus Dominus in Moysem, ait &c.*

Deuteron. 9. v. 20. *Aduersus Aaron vehementer iratus, (Dominus) voluit eum conterere.* *Deus iratus Moysi. Aaroni.*

Isayæ 12. vers. 1. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.*

Michea. *Omni operanti malum.*

Micheæ 7. vers. 9. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Rom. 2. v. 9. *Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos in orat. Domin. *Etsi transierit actio peccati, tamen peccatum macula & reatu permanet, cui semper imminens ira Dei illud insequitur, tanquam vmbra corpus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Christus non irascitur. *Ira eius nõ vera sed simulata.* *Nulla est ira Dei, sed mera gratia.*

Lutherus to. 6. in cap. 42. Genes. fol. 575. *Neque est ei* (Christo) *credendum, quando irascitur, reuera enim non irascitur Christus, hoc est, Deus incarnatus. An non videtur irasci? Nõ equidẽ irascitur, nec sinas tibi hoc persuaderi: non enim vera sed simulata ira est.* Et to. 5. in cap. 3. Galat. fol. 336. *Ne sequaris iudicium rationis, quæ dictat Deum irasci peccatoribus.* Et in argumentum Epistolæ fol. 272. *Nisi ignoraueris legem, & in corde tuo certo statueris nullam esse legem & iram Dei, sed meram gratiam & misericordiam propter Christum, non potes saluus fieri.*

Non irascitur fidelibus. *Semper continet iram à fidelibus.* *Deus irascitur vitijs, non ipsis fidelibus.*

Caluinus 3. Instit. cap. 4. §. 31. *Iudicio castigationis* (in fideles) *non ita sæuit, vt irascatur.* Et §. 32. *Deus iram semper à fidelibus continet.* Item.: *Neque obest quòd sæpiuscule sanctis suis irasci dicitur Dominus, cum in peccata eorum animaduertit. Id non ad Dei punientis consilium vel affectum, sed ad vehementem doloris sensum refertur, quo afficiuntur, qui vel qualemcumque eius seueritatem sustinent.* Et §. 34. *Ille demum sub Dei flagellis proficit, qui suis vitijs irascentem, sibi autem propitium ac beneuolum ipsum reputat.*

COLLATIO.

Iuxta Scripturam mentem suam ex professo aperientem, Deus iratus fuit in Moysem, iratus Isayæ, & vehementer iratus aduersus Aaronem: Et similiter docent Catholici.

Iuxta Protestantes, Deus non irascitur peccatoribus, non irascitur quidem, ira eius non est vera sed simulata, nulla est ira eius sed mera gratia, semper continet iram à fidelibus, cũ dicitur illis irasci id non intelligitur de affectu Dei sed de eorum sensu doloris, irascitur vitiis sed ipsis fidelibus est beneuolus. Quæ ita manifestè pugnant, cum, Scriptura vt nonnulli Protestantes, id agnoscant, vt referemus l. 2. c. vltimo.

ARTIC. XII. AN DEVS PVNIAT homines ob præterita peccata.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Genes. 3. v. 17. Adæ vero dixit (Deus) *quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea &c.* *Adam punitus quia comedit.*

2. Reg. 12. v. 14, Dicitur Dauidi. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* *Dauid quia fecit &c.*

Ioannis 5. v. 14. Ait Iesus. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de pœnitent. cap. 2. *Videmus pœnam Dauidi inflictam, referri ad præteritum, potius quàm ad futurum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluin. 3. Institut. cap. 4. §. 33. *Dum flagellis Dei reprobi feriuntur, iam pœnas illius iudicio quodammodo pendere incipiunt. Ferulis autem verberantur filij, non vt mulctam delictorum Deo persoluant, sed vt inde ad resipiscentiam proficiant.* Proinde *in futurum eos potius, quàm ad præteritum tempus respicere intelligimus.* Et §. 32. *Vbicunque pœna est ad vltionem, ibi maledictio, & ira* Dei *se exerit, quam semper à fidelibus continet.* Et §. 30. *Quid quæso nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur?* *Filij non soluunt mulctam. Verberantur non ob præteritū. Vltio ab ijs non sumitur.*

Zanchius de perseuerantia Sanctorum quæst. 1. cap. 2. tom. 7. col. 360. *Hoc certissimum est, Deum peccata nunquam electis imputare.* *Non imputantur eis peccata*

COLLATIO.

Iuxta Scripturam ex professo de hac materia agentem, Adam punitus est labore terræ, quia comederat de pomo vetito: Et Dauid morte filij, quia fecerat inimicos blasphemare: Et similiter docent Catholici. Iuxta Protestantes, fideles seu Electi non verberantur ob præteritum, eis nunquam imputantur peccata, mulcta seu vltio ab ijs non sumitur. Atque hactenus vidimus, quòd planè contrario modo

Scriptura vnâ cùm Catholicis dicat Deum se habere erga peccatum, & fideles peccantes; quàm doceant Protestantes: modò similia videamus de bonis operibus.

ART. XIII. AN DEVS CVRET BONA OPERA, VEL EIS DELECTETVR?

AFFIRMAT. SCRIPTVRA.

Suauis odor Deo.

Actorum 10. v. 4. *Orationes tuæ & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu* Dei.

Placitum Deo.

Genes. 8. v. 20. *Noë obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.*

4. Regum 22. dicitur de Iosia: *Fecitque, quòd placitum erat coram Domino.*

Placet Deo.

Malachiæ 3. v. 4. *Placebit Domino sacrificium* Iuda *& Hierusalem &c.* 1. Ioan. 3. v. 22. *Ea quæ sunt placita coram eo, facimus.*

Promeretur seu delectatur.

Heb. 13. v. 16. B*eneficentiæ & communionis nolite obliuisci; talibus enim hostijs promeretur* (εὐαρεστεῖται delectatur) *Deus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de iustificat. cap. 15. *Septimum testimonium sumitur ex illis locis* (Scripturæ) *quæ docent opera iustorum placere Deo. Et lib* 5. cap. 2. ait: *Quod verborum citatorum Apostoli: Talibus hostijs* &c. sensus sit: *Talibus hostijs delectatur Deus, vel talibus hostijs placetur Deo.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nihil curat opera.

Lutherus lib. de captiuit. Babylon. tom. 2. fol. 69. *Neque enim Deus aliter cùm hominibus vnquam egit aut agit, quàm verbo promissionis.* Rursus: *Nec nos cum Deo vnquam agere aliter possumus, quàm fide in verbo promissionis eius: opera ille nihil curat, nec ijs indiget, quibus potius erga homines, & cum hominibus, & nobis ipsis agimus*, Et lib. contra Regem Angliæ fol. 334. *Furor est, velle per opera coram Deo agere, non sola fide: Fide sola Deo seruitur.* Et in Postilla in die Ascensionis f. 268. *Cùm solis hominibus operibus negotium est*, Et in dominic. 1. Aduent. fol. 8. *Deus nostra opera non moratur.* In festo S. Stephani fol. 376. *Opera Deus non respicit: Stultè nobis fingimus Deum operibus*

Non moratur.

Non respicit.

nostris mirè capi, cùm ipse summam in ea nauseam habeat. In festo Assumptionis fol. 435. *Verè opera nullius momenti habentur coram Deo.* Et tom. 4. in caput primum Ionæ fol. 411. *Papistæ habent opinionem de Deo, quasi Deus sit tale quoddam numen, quod delectetur & placari possit nostris bonis operibus, cum talis Deus, tale numen nusquam sit, qui huiusmodi rebus delectetur.* To. 7. Ser. in Heb. 11. *Deus non magnopere curat quot & quam insignia opera faciamus.* Tindallus Pseudo apostolus Angliæ apud Foxum in Actis edit. 1610. pag. 1138. *Quod ad placendũ Deo attinet, nullum est opus melius alio. Mingere, scutellas lauare, sutorem esse vel Apostolum, perinde est.* Idque Foxus ait immune esse ab hæresi.

Nauseam habet erga ea.

Nullius momenti corã Deo.

Non delectatur.

Alij Protestantes apud Schusselburgum to. 7. Catal. hæret. pag. 551. & apud Melancthonem tom. 3. in respons. ad artic. Bauar. fol. 375. & Manlium in locis titulo de Eccles. pag. 490. dicunt, *Deus non curat bona opera.*

Idemque sentiunt ij, qui (vt infra referemus) docent bona opera esse *meras iniquitates, sordes, fœtores, & stercora coram Deo.*

Cap. 13. ar. 3.

COLLATIO.

Secundum Scripturam, quando ex professo de hoc loquitur, bona opera sunt suauis odor Deo, placent Deo, sunt placita Deo, Idem docent Catholici. Secundum Protestantes: Deus nihil curat, non curat bona opera, non delectatur bonis operibus, non agimus cum Deo bonis operibus, Deus ea non moratur, non respicit, non capitur eis, imo nauseam habet erga ea, nullius momenti sunt coram eo.

ART. XIIII. AN DEVS COLATVR BONIS OPERIBVS.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Isaiæ. 19. v. 21. *Colent eum in hostijs, & muneribus.*

Lucæ. 2. v. 37. *Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.*

Colitur. Seruitur.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in cap. 4. Ioan. v. 23. *Sic igitur adoratur Deus*

Non glorificatur. *in Spiritu & veritate, vt quemadmodum actus pietatis externos, & opera charitatis erga proximum, quibus Deum colimus, Deo seruimus in iustitia, hæc adoratio non excludat: ita &c.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Basiliensis art. 13. pag. 89. *Solus verus est Dei cultus, fides.* Lutherus de libertate Christiana tom. 2. fol. 5. *Non enim operando, sed credendo Deum glorificamus.* Ibid. fol. 4. *Neque enim verbum Dei operibus vllis, sed sola fide suscipi, & coli potest.* Et fol. 6. *Opera, cùm sint res insensatæ, non possunt Deum glorificare, quamuis ad gloriam Dei, si fides adsit, fieri possint.* De bonis operibus tom. 5. fol. 580. *Sola fides verus Dei cultus est.* Et loco cit. art. præced. *Fide sola, Deo seruitur.*

Non colitur vllis operibus.

Postilla in die Ascensionis fol. 268. *Cum solis hominibus, operibus negotium est.* Et in domin. 4. post Trinitatem fol. 289. *Homini necessaria sunt* (opera nostra) *ad quem vnum etiã dirigenda veniunt, non ad Deum: Apud Deum sola fide agendum est.*

Et tom. 4. in cap. 1. Ionæ fol. 412. *Deo vero non seruitur operibus Vnus est cultus Deo placens, nempe vera fides.* Idemque sentiunt alij Protestantes, qui (vt infra referemus) docent bona nostra opera esse peccata coram Deo. Nam peccato, Deus non colitur, sed offenditur. Tindallus apud Foxum loco citato: *Deus honoratur vndique, in eo quòd censemus eum rectum in omnibus legibus & institutis suis, & veracem in omnibus promissionibus. Alius cultus* Dei *nullus est, nisi velimus eum facere idolum.*

Non seruitur.

Nullus cultus Dei nisi fidei.

COLLATIO.

Scriptura ex professo hac de re loquens apertè testatur, quòd Deus colitur, & seruitur operibus: & similiter loquũtur Catholici.

Protestantes apertè negant, quòd seruitur, glorificatur, vel colitur operibus, sed tantùm fide: quòd non potest coli vllis operibus, quòd opera non possunt Deum glorificare, quòd opera non sunt dirigenda ad Deum, quòd sola fides sit verus cultus Dei, quòd nullus alius sit eius cultus.

ARTIC.

ART. XV. AN DEVS COLATVR operibus non præceptis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MArci 14. v. 3. & seq. *Venit mulier, habens alabastrum vnguēti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabastro effudit ſuper caput eius; Ieſus autem dixit; ſinite eam. Quid illi moleſti eſtis, bonum opus operata eſt in me, &c.* *Vnctio non præcepta, bonū opus.*

1. Corint. 7. v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, Conſilium autem do.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Monachis c. 16. *Omni actu virtutis, etiam non præcepto, ſed facto tamen propter Deum, colitur Deus.* *Nihil magis abominabile.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus tom. 5, in cap. 4. Galat. fol. 382. *Nihil magis abominatur Deus, quàm talia electitia opera, & cultus:* Et Poſtilla in feſto S. Ioannis Euangeliſtæ f. 92. *Nihil Deo placet, quod ſine ſuo mandato ſuſcipitur.* *Non cultus Dei.*

Melancthon apud Marlorat. in cap. 14. Rom. v. 17. *Sciamus opera ſine mandato Dei excogitata, non eſſe cultus Dei.* *Peccata.*

Zuinglius in explanat. artic. 48. *Qui Deum colit alijs rebus, quàm quæ ipſe præſcribit & poſtulat, bifariam peccat.* *Deteſtabilis.*

Caluinus 1. Inſtit. cap. 11. §. 4. *Deteſtabiles ſunt omnes cultus, quos à ſeipſis homines excogitant:* Et lib. 4. cap. 13. §. 2. *Voluntarij omnes cultus, quos ipſi ſine mandato excogitamus, Deo ſunt abominabiles.* Et in Rom. 5. v. 19. *Deſipiunt, qui conficta à ſe ipſis opera Deo venditant, quæ nihilò pluris reputat, quàm ſtercora.* *Abominabilis.* *Stercora.*

Beza in reſponſ. ad Acta Torgenſia vol. 3. pag. 66. *Non eſt vſurpandus cultus extra verbum Dei.* *Non vſurpandum.*

Danæus contro. 5. pag. 985. *Omnis cultus à Deo non præceptus, eſt illi ingratus.* *Ingratum.*

Confeſſio Saxon. cap. 17. *Dicimus opera indebita, de quibus ipſi loquuntur, non eſſe cultus Dei.* *Non cultus Dei.*

Muſculus in locis tit. de cultu Dei. tom. 2. pag. 6. in 8. Geneuæ 1562. *Omnes arbitrarij cultus reprobi ſunt in Dei conſpectu, ac prorſus ingrati & inanes.*

Serranus contra Hayum parte. 3. pag. 131. *Voluntarij cultus, vel sine verbo instituti, sunt obsequia ἄλογα, id est ratione non modò destituta, sed insana.*

Lobechius disput. 26. pag. 607. *In omni cultu Dei requiritur opus mandatum.* Et disput. 9. pag. 184. *Sine præcepto Dei, opus quantumuis bona intentione susceptum & nusquam prohibitum, bonum nec est nec esse potest.* Idque repetit Disput. 22. p. 521.

Non bonũ opus.

COLLATIO.

Scriptura, ex professo mẽtem suam aperiens, docet quòd non præcepta vnctio Christi per Magdalenam erat bonum opus, & illi gratum. Idem Catholici.

Protestantes docent, quòd cultus non præceptus, seu extra verbum Dei, non sit cultus Dei, non sit vsurpandus, sit ingratus, sit abominabilis, detestabilis, peccatum, stercus, & nihil eò magis abominabile coram Deo.

ARTIC. XVI. AN DEVS PLACETVR bonis operibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Placatur. EXodi 32. v. 11. & 13. *Moyses orabat Dominum Deum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populũ tuum? Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduersus populum suum.*

Placatur. Psalmo 105. v. 30. *Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.*

Placatur. 2. Paralipom. 30. v. 18. & 20. *Orauit pro iis Ezechias, dicens &c. Quem exaudiuit Dominus, & placatus est populo.*

Placatur. Ezechielis 43. v. 27. *Facient Sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt, & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Matthæ. 17. v. 21. *Ieiuniorum vim atque virtutem cum oratione coniunctam ad Deum placandum, varia in Scripturis exempla nos docent.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ c. de implet. legis. Vocat

impiam opinionem, *tribuere operibus nostris, quòd sint propitiatio.*

Lutherus loco supra citato: *Papistæ habent opinionem, quòd Deus placari possit nostris bonis operibus, cum talis Deus nusquam sit*: & to.5. in c.2. Galat. fol. 363. *Opera, quæ iuxta legem Dei facio, non placant iram Dei, sed irritant.* *Non placatur.* *Non placatur.*

Caluinus 3. Institut. cap. 4. §. 36. *Non voluit significare, misericordiam & iustitiam, esse Dei propitiationem. Absit vt alia vnquam fuerit ἀπολυτρώσεως, quàm sanguis Christi.* Et cap. 15. §. 4. *Scripturæ doctrina est, aspersa esse perpetuo sordibus multis bona nostra opera, quibus merito Deus offendatur, & nobis succenseat: tantum abest, vt vel conciliare illum nobis queant, vel eius erga nos beneficentiam prouocare.* *Non propitiatur.*

Bidembachius in consensu Iesuitarum & Christianorum impresso Rupellæ 1584. pag. 766. *Deum placare, solius Christi opus est.*

Confess. Saxon. cap. de remiss. peccat. *Contumelia est Filij Dei, fingere vlla opera esse propitiationes pro peccato.* *Non propitiatur.*

COLLATIO.

Scriptura disertè affirmat, quòd Deus placatur precibus, Zelo, sacrificio; Idemque docent Catholici.

Protestantes disertè negant, quòd placatur nostris bonis operibus, sed quòd irritatur illis, nec propitiatur misericordia aut iustitia.

ART. XVII. AN DEVS VELIT SVA PRÆCEPTA SERVARI?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

EZechielis 36. v. 27. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis.* *Deus faciet custodire.*

Matth. 12. v. 50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Actorum 13. v. 22. *Inueni Dauid virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* *Voluntas Dei est vt abstineamus.*

1. Thessalon. 4. v. 3. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione &c.*

Isaiæ. 1. v. 19. *Si voluerïtis, & audieritis me, bona terræ comedetis*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Actor. 15. v. 10. *Vide & attende duplicem Caluini blasphemiam. Dicit, Deum testari nunquam fore, vt lex ipsius impleretur. Addit, Deum nolle hoc fieri; nolle, vt lex eius impleatur. An istis duobus paradoxis aliquid absurdius, aut magis impium dici potuit?*

NEGANT PROTESTANTES.

Non vult seruari præcepta.

Caluinus in cap. 15. Actorum v. 10. *Nec temere quæramus, an fieri possit* (vt præcepta seruentur) *quòd ipse nunquam fore, & quod se nolle fieri, testatur.* Et lib. 2. de libero arbit. pa. 148. *Non negamus, quin homini possit Deus talem gratiæ perfectionem conferre, quæ par sit futura iustitiæ legis, sed quia hoc facturum se negauit, simpliciter impossibile dicimus fieri.* Et 2. Institut. cap. 7. §. 5. Postquam dixisset legis obseruationem esse impossibilem, explicans quomodo id intelligat, inquit: *Impossibile appello, quòd nec fuit vnquam & ne in posterum sit, Dei ordinatione ac decreto impeditur*

Negat se daturum parem gratiam.

Deus impedit ne præcepta seruentur.

Beza 2. parte. respons. ad acta colloq. Montisbeci pag. 226. *Cùm promissiones legales audimus, an illas vult à nobis præstari. Nihil minus; Mandat igitur aliquid, quod fieri non vult, & promittit etiam aliquid, quod præstare non vult.*

Non vult promissiones legales præstari.

Mandat quod non vult fieri promittit quod non vult præstare.

Piscator apud Vorstium in Parasceue ad collationem pag. 8. *Si Deus præcepta sua propriè loquendo vult à nobis seruari, tum fieri aliter non potest, quin illa seruemus.* Idem Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 200. *Deus interdum verbo significat se velle, quod reuera non vult; aut nolle, quòd reuera vult.* Et pag. 201. *Vnde percipitur, esse simulationem quandam sanctam, etiam hominibus licitam; nedum Deo, agenti liberrimo.* Et loco 12. pag. 172. ait, Quòd sit quædam simulatio sancta, & quòd Christus simulauit. Et tamen hi homines damnant omnem æquiuocationem in hominibus. Imo Lutherus in cap. 20. Genes. tom. 6. fol. 244. videtur tribuere Christo officiosum mendacium. Sic enim scribit: *Officiosum mendacium quòd vocant, etiam in proximi commodum fingitur: Sic Christus apud Lucam finxit se longius iturum esse: Saulis filia affirmat Dauidem in lecto decumbere.*

Simulatio in Deo.

Officiosum mendacium in Christo.

F Grauerus in Absurdis Caluin. cap. 5. sect. 34. *Bona & licita simulatio ea dicitur, quando quis simulat externo sermone se velle mala, interno autem cordis seu animi motu & affectu vult & tandem facit bonum. Et talis simulationis* (Dei) *exemplum est, Genes. 22.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus faciet, vt in præceptis eius ambulemus, & iudicia eius custodiamus: quòd Dauid fecit omnes voluntates Dei: quòd sit voluntas Dei vt abstineamus à fornicatione, & quòd qui facit voluntatem Dei sit frater, soror, & mater Christi. Idem Catholici.

Protestãtes docẽt, quòd Deus testatur se nolle sua præcepta seruari: quòd Deus negauit se daturũ gratiã ad seruãda præcepta: Quòd obseruatio legis sit impossibilis ex Dei decreto, & ordinatione: quòd Deus mandat quod non vult fieri, promittit quòd non vult præstare: & demum, quòd nihil minus vult, quàm legem præstari.

Atque hæc de Deo vt se habet erga bona opera: modò agamus de eodem vt se habet erga homines seu humanum genus.

ART: XVIII. AN DEVS OMNES HOMINES DILIGAT, OMNIVMQVE misereatur?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

SAp. 11. v. 24. & 25. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti* Et v. 27. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt Domine qui amas animas.* *Miseretur omniũ, diligit omnia. Parcit omnibus.*

Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Rom. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur.* *Diligit mũdum. Vt omniũ misereatur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 5. *Neque debent hæc* (miseretur omnium, parcit omnibus) *restringi ad Electos.*

Nam ratio cur Deus omnibus parcat, & omnium misereatur, redditur hoc loco ex creatione, quia Deus omnes creauit, & quoniam amat animas, & res à se factas: at ratio communis est omnibus absolute.

NEGANT PROTESTANTES.

Dici non potest Deũ omnes diligere.
Non diligit singulos.
Non amat reprobos.
Conclusit reprobos &c. vt perderet.
Nunquam miseretur singulorũ.
Neque voluit, neque vult.

Beza de prædestinat. contra Castel. pag. 346. *Deus dici non potest ex æquo omnes diligere, imo ne omnes quidem diligere.* Et pag. 345. *Quamuis singulos in Adamo condiderit, singulos tamen non diligit.* Et 343. *Est ergo, dices, illorum* (reproborum) *quoque parens quòd ad creationem attinet, Fateor. Ergo amat, subijcies. Hoc ego verò pernego.* Et de prædest. volum. theol. 3. pag. 404. *Conclusit Deus omnes* (reprobos) *sub peccato, vt omnes illos iuste perderet.* Et idem apud Schusselburg. lib. 4. Theol. Calu. art. 8. pag. 71. *Hoc dico, nunquam fuisse tempus, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut voliturus sit* (Deus) *singulorum misereri.* Et in colloq. Montisbel. pag. 441. Cùm interrogaretur, an Deus vnquam dilexit eos, qui nunc damnati sunt, aut in futurum damnabuntur? respondit. Non.

Zanchius de prædestinat. tom. 7. col. 295. *Posset Deus omnium misereri, & omnes seruare: sed quia neque voluit, neque vult, ideo &c.*

Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 185. *Respondeo, Deum non voluisse omnium misereri.*

Paræus lib. 2. de Grat. & lib. arbitrio cap. 5. pag. 236. ait de loco citato ex Sap. 11. *Nisi laxè intelligatur, palam repugnat Scripturæ canonicæ, additque; quòd sapit Iudaicum ingenium.* Et plerique eorum (vt mox referemus) docent Deum ex se ipso, & non ob vlla peccata præuisa reprobasse maximam partem humani generis.

COLLATIO.

Scriptura affirmat, quòd Deus miseretur omnium, parcit omnibus, diligit omnia, diligit mundum, amat animas. Idemque docent Catholici.

Protestantes docent, quòd non miseretur singulorum, quòd conclusit reprobos sub peccato, vt eos perderet; quòd non diligit omnes, non diligit singulos, non amat reprobos.

ART. XIX. AN DEVS VELIT omnes saluos fieri?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. Tim. 2. v. 4. *Deus omnes homines vult saluos fieri.*

2. Pet. 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* *Vult omnes saluari. Non vult aliquem perire.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio cap. 3. *Verum est, Deum velle omnes saluos fieri, voluntate illa, quam rectè Theologi antecedentem vocant.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non vult omnes saluos fieri.

Caluinus de prouid. p. 737. *Cur non promiscuè trahat omnes, si vult eos saluos fieri? quia ex discrimine certò colligitur, esse arcanũ aliquem modum, quo multos à salute excludat.* Et pag. 750. *Ab illa ratione, quæ eorum omnium Mater est, tibi exoritur ille* Deus, *qui sine delectu vult omnes saluos fieri.* *Excludit multos à salute. Non vult omnes sine delectu.*

Beza ad calumnias Iacobi Andreæ volum. 3. theol. pag. 125. *Quod Deus nolit reprobationi destinatos seruari, aut illis mortem filij prodesse, istud concedimus.* Et in 2. part. respons. ad acta Colloq. montisbel. pag. 149. *Si verum est,* Deum *nolle vllum hominem damnare, nec tamen singuli seruantur, certè vel sua voluntate frustratur, vel* Dei *voluntatis exitus ab hominis voluntate suspenditur.* Et ibidem in præfat. pag. 10. *Relinquitur particulam illam, omnes* (1. Tom. 2. cit.) *minimè de singulis hominibus intelligendam.* *Non vult reprobos seruari. Vult aliquos damnari.*

Martyr in locis classe. 1. cap. 14. pag. 108. D*e loco isto affirmo sententiam non ita simpliciter accipiendam esse, quasi nullus sit, quem* Deus *non velit saluum esse.* *Aliquos nõ vult saluos esse.*

Zanchius de prædestinat. Sanctorum cap. 1. col. 286. tom. 7. ita scribit: *Bucerus in Rom. 9.* D*eus simpliciter*, inquit, *non vult reprobos saluos facere.* Item. *Solos electos vult simpliciter seruari.*

Zanchius ipse in Thesibus tom. 7. col. 280. *Nullo modo dici potest,* D*eum simpliciter & propriè voluisse, aut velle omnes in vniuersum homines saluos fieri.* Et de prædestinat. cap. 4. *Non vult reprobos saluos facere.*

Nullo modo potest dici propriè velle omnes saluari. col. 217. *Non omnes vult seruari.* Et loco supra citato: *neque voluit neque vult omnes seruare.*

Non vult omnes seruare. Piscator apud Schusselburg. lib. 4. theol. Caluin. art. 5. pag. 63. *Vult Deus, non omnes, sed quosdam saltem seruari.* *Et in* thesibus loco. 20. pag. 313. *Impia eorum est sententia, qui affirmant Deum omnes, & singulos homines, nemine prorsus excepto, saluos fieri velle, nec tamen omnes saluos facere.* Et lib. 2. loco 12. pag. 143. *Deus non vult singulos homines saluos fieri.* Idque repetit pag. 177. Et 286. *Etsi reprobos quoque quosdam vocat, tamen non vult eos saluos fieri.*

Vvitakerus Concione vltima pag. 694. ait, quòd Deum *reuera velle omnes ad vitam peruenire, est plausibilis opinio, sed Pelagianismo affinis. Infra: Vitam vniuersis dare noluit.*

Non simpliciter omnes. Rainoldus in Apolog. thesium pag. 247. *Restat, Deum velle seruari, non singulos, sed electos è cunctis hominum generibus: non simpliciter omnes, sed omnes datos Christo, omnes prædestinatos.*

Bucanus in Instit. Theol. loco 36. pag. 397. *Non vult Deus sine discrimine omnes homines saluos fieri.*

Non habet velleitatem vt omnes salui fiant. Perkinsus de prædestinat. tom. 1. col. 139. *Videtur non esse talis voluntas, aut* (vt loquuntur) *velleïtas in Deo, qua indefinitè vel ex conditione vult omnes & singulos omnium ætatum homines saluos fieri. Antecedens illa vniuersalis voluntas de omnium & singulorum in Christo salute, fictitia est.* Similia habet Pareus in Collegio Theol. 7. Disp. 5. p. 296. & Vvitakerus in prælect. pag. 628. Et addit, Perkius. quòd Paulus loco citato *loquitur secundum iudicium charitatis Christianorum, non secundum iudicium occultæ & infallibilis certitudinis.* Et col. 140. Certum est,

Deus vult alios non credere. Deum velle credere alios & perseuerare, alios non item. 141. *Per verbum prædicatum vocat extrinsecus eos, quos nolit saluos fieri.* Et col. 144. Negat, quòd Deus seriò voluit omnes saluare; Et in serie causarum cap. 52 col. 105. *Verum non est, Deum velle omnes saluari per Christum.* Et in 3. Galat. v. 28. tom. 2. col. 189. *Vult Deus omnes homines seruari, id est, non singulos homines quotquot sunt in terris, sed omne genus.*

Non seriò vult omnes saluare.

Non est verum Deũ velle omnes saluari. Abbotus orat. 2. de veritate gratiæ Christi: pag. 28. *Sequitur ergo, non hoc, Deum velle vt omnes veniant.*

COLLATIO.

COLLATIO.

Scriptura disertissimè affirmat, quòd Deus vult omnes saluos fieri, omnes reuerti ad pœnitentiam: & quòd nolit aliquos perire: Idem affirmant Catholici.

Protestantes disertissimè negant, quòd Deus vult omnes saluos fieri: quòd seriò vult omnes saluari: quòd habet velleitatem, vt omnes seruentur: quòd sit verum, Deum velle omnes saluare: quòd vllo modo possit propriè dici Deum velle omnes in vniuersum seruari. Et addunt, quòd aliquos excludit à salute, vult aliquos damnari, non vult reprobos seruari. Quæ tam apertè contradicunt Scripturæ, vt aliqui Protestantes id fateantur, prout videbimus lib. 2. c. vltimo.

ARTIC. XX. AN DEVS VELIT ALIquos conuerti, qui nolunt conuerti.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 23. v. 37. *Hierusalem, Hierusalē, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas & noluisti?* *Deus vult congregare sicut gallina.*

Isayæ 65. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* *Expandit manus.*

Prouerb. 1. v. 24. *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* *Vocat eos qui renuūt.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidotis Matth. 23. cit. *Deus vero voluntatis suæ affectu voluit Iudaicum populum ad se reuocare, non enim metaphoricè sed propriè vult suos ad se pullos gallina colligere.* *Deus verè vult.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus apud Stapletonum loco cit. *Respondeo voluntatem Dei, (cuius hic fit mentio) ab effectu esse considerandam; quia videlicet verbo prædicationis omnes ad se promiscuè vocat, meritò dicitur omnes ad se colligere:* Et 3. Instit. cap. 24. §. 17. ait *quòd Deus in se hoc non vult, sed quòd dicitur velle humano more, & figuratè, prout dicitur extendere brachia.* *Vult verbo tenus.* *Vult figuratè.*

Beza in colloq. Montisbel. pag. 418. asserit *Deum nolle*

Non vult reprobos conuerti aut saluari.

reprobos conuerti, & saluari, quod Iacobus Andreæ ibid: vocat *horrendam vocem*, Et addit Beza, quòd *non possunt etiam velle conuerti*, quod idem Andreæ ait esse *horrendam & abominandam vocem*.

Idem docent alij multi, vt patet ex ijs quæ retulimus articulo præcedente, & referemus etiam articulo sequente.

Perkinsus de prædestinatione &c. Tom. 1. col. 121. *Deus conuersionem vult in alijs, tantùm quoad approbationem, cohortationem, media.*

Non vult eos conuerti qui nõ cõuertuntur.

Piscator apud Vorstium in Parasceue ad Collationem c.8. *Deus non vult conuersionem eorum qui reipsa non resipiscunt.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Deus voluit (vt Gallina pullos) congregare Iudæos, qui noluerunt; quòd tota die expandit manus, extendit manum, & vocauit eos qui renuerunt; Eadem docent Catholici.

Protestantes dicunt, quòd verbo vult, figuratè vult eos conuerti qui nolunt conuerti; quòd non vult eos conuerti qui non conuertuntur: quòd non vult reprobos conuerti.

ARTIC. XXI. AN DEVS AD SE omnes vocet?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Omnes qui laborant.

MAtth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Omnes qui inueniuntur.

Matth. 22. v. 9. *Ite ergo ad exitus aquarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias.*

Omnis creatura.

Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus de Amissione Gratiæ &c. l. 2. c. 9. *Scriptura docet Deum inuitare omnes ad se.* Et l. 2. de Gratia & libero arbitrio c. 5. *vocatio est generalis.*

Nõ vniuersalis vocatio.

NEGANT PROTESTANTES.

Non vlla vniuersalis vocatio.

Beza lib. quæst. & resp. volum. 1. pag. 685. *Vide quàm necessarijs rationibus illa vniuersalis vocatio refutetur. Ergo, ne vocatio quidem, nedum electio vlla vniuersalis, sed duntaxat indefinita statui potest, ac debet.*

Zanchius in depulsione Calumniarum tom. 7. col. 260. *Non ad omnes reipsa pertinent promissiones, sed tantum ad electos* col. 261. *Quod vero non illis* (reprobis) *det fidem, aut etiam eam simpliciter illis promiserit, sicut electis, alia ratio est.* Ibid. in supplicat, ad senatũ Argent. col. 57. *Quod Deus omnes serio vocet, intelligendum est, quoad voluntatem reuelatam, quatenus scilicet externa Euangelÿ prædicatione ita omnes ad se vocat Deus, vt neminẽ excludat; non quoad voluntatem arcanam.*

Promissiones nõ pertinent ad omnes.

Non vocat omnes voluntate arcana.

Bucanus in Institut. Theol. loc. 36. pag. 396. *Annon vocatio & remissio est vniuersalis.* Matth. 11. 28? *Est indefinita potius.*

Vocatio nõ est vniuersalis.

Vrsinus in Miscellaneis pag. 74. *Si vniuersalis* (promissio) *ad omnes homines pertineret, quantum chaos absurditatis & impietatis sequeretur?*

Perkinsus in casibus conscientiæ cap. 7. col. 1331. *Apparet promissionem salutis non esse vniuersalem, & sine exceptione, aut restrictione accipiendam.* Similiter Caluinus 3. Instit. cap. 24. §. 17.

Promissio non est vniuersalis.

Pareus in Galat. 3. lectione 43. *Sunt promissiones sane vniuersales credentibus, sed minime vniuersales infidelibus. Neque enim ad hos pertinent. Ideo non satis est vrgere particulas vniuersales: omnes, omnium.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus vocat omnes qui laborant, vocat omnes qui inueniuntur à suis Ministris, & quòd iubet prædicare omni creaturæ. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vocatio Dei non est vniuersalis, non vocat omnes voluntate, sed signo; quod promissiones eius non sunt vniuersales, non pertinent ad omnes, sed tantùm ad electos. Hæc etiam contradictio Scripturæ agnoscitur à quibusdam Protestantibus, vt videre licet l. 2. c. vltimo. Imo ipse Caluinus in Isayæ 42. vers. 6. ait, quòd Deus *omnes homines nemine dempto ad se vocat.* Idque ait Isayam ibi dicere.

ART. XXII. AN DEVS EX SEIPSO velit mortem & damnationem hominum.

NEGAT SCRIPTVRA.

Deus iurat se nolle mortem.

EZechielis 33. v. 11. *Viuo ego, dicit Dominus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur & viuat.* & cap. 18. v. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus?* & v. 32. *Nolo mortem morientis.*

Non fecit mortem.

Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* & cap. 2. v. 25. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Mors à Diabolo.

Oseæ 13. v. 9 *Perditio tua ex te Israel.*

Tobiæ 3. v. 22. *Non delectaris in perditionibus nostris.*

Perditio ex nobis.

Ecclesiastici 15. v. 11. *Non necessarij sunt ei homines impij.*

NEGANT CATHOLICI.

Deus operatur mortẽ.

Bellarminus lib. 2. de gratia & libero arbitrio. cap. 16. *Reprobationis positiuæ, id est illius actus, quo Deus vult reprobos æternis supplicijs addicere, causa sunt peccata hominum; non autem sola Dei voluntas.*

Vult mortẽ

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Mors actio voluntatis Dei.

Lutherus de seruo arbitrio To. 2. fol. 450. *Deus absconditus operatur vitam mortem & omnia in omnibus.* Item. *Non vult (Deus) mortem peccatoris; verbo scilicet, vult autem illam voluntate imperscrutabili.*

Auctor damnationis.

Præparatio ad interitum tantũ ex Deo.

Caluinus 3. Institut. cap. 23. §. 6. *Vita & mors diuinæ magis voluntatis, quàm præscientiæ sunt actiones.* §. 3. *Vt centies Deũ esse auctorem* (damnationis) *confitear, quod verissimum est.* Et §. 1. *Minimè consentaneum est, præparationem ad interitum alio transferre, quàm ad arcanum Consilium Dei.* Et cap. 22. §. vlt. *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet: neque etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quàm eius voluntatem.* Cap. 21. §. 5. *Alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est &c.* Idem Caluinus in Rom. 9. v. 14. *Quod alios eligit Deus, alios reprobat, causa non alibi quam in eius proposito quærenda est.* Et ibidem reijcit eos, qui nolunt *simpliciter fateri, à libera Dei electione pendere hominum salutem,* vel

Reprobatio à sola voluntate Dei.

Conditi ad damnationem.

Exitium hominum à libera Dei electione.

exitium. Et v. 20. *Obijciunt* (inquit) *impii, reatu eximi homines, si in eorũ salute vel exitio primas partes tenet Dei voluntas. An negat Paulus? Imo sua responsione confirmat, Deum quod visum est de hominibus statuere*. v. 22. *Sunt vasa iræ, id est, in hoc facta & formata, vt documenta sint vindictæ & furoris Dei*: Et v. 18. *Salomon docet, impios ipsos fuisse destinatò creatos vt perirent*. Et in c. 11. v. 7. *Hoc vult Paulus, quantum ad reprobos spectat, principium ruinæ ac damnationis esse ex eo, quod sint à Deo derelicti. Si fontem exitii eorum quærimus, eò deueniendum erit, quòd à Deo maledicti nihil omnibus factis, dictis, consiliis suis, quàm maledictionem accersere & accumulare possunt*.

Deus tenet primas partes in exitio hominũ. *Destinatò creati vt perirent.* *Principium damnationis à Deo.* *Fons exitij à Deo.*

Beza in cap. 9. Rom. v. 11. *Qui colligunt, Deum in ijs quos ab æterno reprobationi & exitio destinauit, fuisse ad hoc statuendum, ex præuisa eorum incredulitate & malis moribus impulsum, magnoperè falluntur*. Et vers. 13. *Reprobos, nullo indignitatis præeunte respectu, exitio destinauit*. v. 15. *Cur exitio destinat? Quia vult*. Et in explicat. Christianismi ca. 5. Aphorismo. 1. ait, quòd reprobos *idcirco creauit, vt in ipsorum iusta damnatione glorificetur*. Et aphorismo. 2. *Proposuit eos in hunc finem creare, vt in ipsis iram & potentiam suam ostenderet*. Et de prædestinat. vol. 3. pag. 403. *Hinc illud quòd dicitur, vnos ad decus, alios ad ignominiam condidisse*. Et apud Schusselb. lib. 4. Theol. Caluin. art. 8. fol. 74. *Cum Paulo loquuntur, qui quosdam dicunt ad iustum exitium à Deo esse conditos*. In Colloquio etiam Montisbel. pag. 447. ait quòd reprobos Deus *propter causas ipsi soli notas ad æternam damnationem creauit, ordinauit, & destinauit*. Et de prædestinat. contra Castel. vol. 1. pag. 342. *Nos dicimus, odium Dei esse diuini decreti effectum*. Et pag. 345. *Intelligamus, non modo æternum esse reprobandi propositum, sed etiam causis omnibus exitij superius esse, nec locum hic vllum præuisioni, vel corruptionis, vel incredulitatis, vel malorum operum relinqui, sunt enim hæ quidem damnationis causæ, sed tamen æternæ reprobationis decreti, non causæ præcedentes, sed subordinatæ*. Et pag. 416. *Non propter corruptionem & corruptionis fructus destinat exitio, sed quia illi sic visum est*. Et pag. 417. *Deum creasse maximam partem mundi ad perniciem, quomodo sit accipiendum, exposuimus*. Item. pag. 341. *Censet Caluinus, idcirco conditos re-*

Nõ ob præuisa peccata destinati exitio. *Creat vt glorificetur in damnatione.* *Condidit ad ignominiam.* *Et ad exitium.* *Creat ad damnationem.* *Destinat exitio quia sic visũ est.* *Maxima pars hominum creata ad perniciem.*

probos vt sua ipsorum culpa pereuntes iudicium Dei comprobarent, deinde sic pendere eorum perditionem ex Dei prædestinatione, vt &c. 346. *Reproborum perditio, sic pendet à Dei prædestinatione, vt &c.* Idque repetit pag. 349. Et de prædestinat. volum. 3. Theol. pag. 438. *Deus ex mera sua voluntate, ac proinde nulla neque dignitatis, neque indignitatis præuisæ habita ratione, quos ipsi visum est, siue singulares homines, siue integros etiam populos, odio & exitio destinauit.* Et ibid. pag. 406. Vocat hoc, *fidei nostræ basim.*

Perditio ex Dei prædestinatione.

Destinat exitio non ob dignitatem.

Bucerus in Matth. 6. pag. 169. *Quod dicit, se nolle mortem impij & morientis, sed malle vt reuertatur & viuat, de ijs solis intelligendum est, quos, in hoc vt conuertantur & viuant, delegit.*

Petrus Martyr in Rom. 9. pag. 349. *Peccata non sunt causæ reiectionis.* pag. 356. *Minus displicet hominibus, si dicantur prædestinari atque eligi, quàm si odio haberi & reprobari ex mera Dei voluntate sine omni ratione meritorum, cùm tamen de vtroque parem oporteat esse rationem.* Et pag. 398. *Peccata non sunt causæ cur à Deo reprobemur.* Et 407. *Nunquam ex illis verbis* (Ezechielis) *concludent, Deum penitùs & nullo modo velle mortem peccatorum aut peccatum.* Et in locis Class. 1. cap. 14. pag. 115. ait Deum nolle hominem perire voluntate signi, velle autem voluntate potenti & efficaci. Et de lib. arb. To. 3. locorum. col. 46. *Aliquos esse creatos à Deo vt perirent, videtur prima fronte absurdum, scriptura tamen id dicit.*

Peccata nō sunt causæ reiectionis.

Reprobatio ex mera voluntate Dei.

Creat vt perirent.

Musculus in locis Tom. 1. tit. de reprobis pag. 472. in 8. Geneuæ 1562. *Causa reprobationis non collocanda in futuram reproborum malitiam, sed soli voluntati Dei tribuenda.*

Similiter Polanus in disput. period. 3. disput. 18. Et in Sylloge thesium parte 2. pag. 159. inquit: *Deum homines reprobasse propter præuisa futura opera mala; Pelagianorum est hæresis.* Piscator apud Vorstium in parasceue cap. 4. pag. 15. *Per Deum stat, quò minus homines, licet vocati, in Christum credant & salui fiant.* Idem Piscator in thesibus loco 19. pag. 303. *Peccatum est causa damnationis, non reprobationis.* Idem habet lib. 2. loc. 12. pag. 142. Et pag. 182. *Deus condidit hominem,*

Per Deum stat quo minus homines saluentur.

vt laberetur. Item. *Falsum est, Deum non opus habere peccatore.* Et 235. *Ne hoc quidem simpliciter verum est: Deum non esse principium, seu causam perditionis.* 245. *Reprobatio, est absoluta, hoc est, à mero beneplacito Dei dependens, non autem à conditione præuisæ incredulitatis.* 281. *Etsi Deus homines condidit ad lapsum, tamen aliquos eorum condidit ad vitam, Imò ad talem vitam eos condere non potuisset, nisi & ad lapsum condidisset.*

Deus cōdidit hominē vt laberetur.

Deus opus habet peccatore.

Deus principium perditionis.

Perkinsus de prædestin. Tom. 1. col. 123. *Non est peccatū, decreti damnationis causa.*

Condit ad lapsum.

Pareus lib. 2. de Amiss. gratiæ &c. cap. 12. pag. 339. *Quòd negat aliquos creari ad interitum sempiternum, est contra Scripturā & Patres.* Et lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 3. pag. 220. *Verum est, non omnes saluos fieri quia Deus non vult voluntate illa beneplaciti.* Pag. 221. *Verum est, cur omnes non seruentur, causam proximam esse, quia non omnes volunt, primam esse, quia Deus non in omnibus efficit vt velint.* Vvitakerus Concione vltima. pag. 693. *Deus ad mortem æternam prædestinauit quos voluit, & quia voluit.* pag. 694. *Sola causa reprobationis, de qua loquimur,* Dei *voluntas, animus, decretum est.*

Creat ad interitum.

Non saluātur, quia Deus non vult.

Prima causa in Deo.

Sola causa.

Renneckerus apud Schusselburg. lib. 4. theol. Caluin. art. 10. pag. 81. *Quid rationi & carni nostræ iniustius & iniquius esse videtur, quàm hominem, antequam aliquid mali perpetrarit, æterno exitio destinare? Cum tamen idipsum sit iustissimum Dei opus; certum est, cum illis hominibus ad æternam damnationem prædestinatis, non benè sed pessimè agi.*

Pessimè agitur cum reprobis.

Marlorat. in cap. 9. Rom. v. 17. *Vt quispiam eligatur aut induretur, ex solius Dei bona pendet voluntate.* Et v. 22. *Quid inconueniens dicere, hos à* Deo *factos esse ad interitum? Deus euertit & perdit, quos vult.* Zanchius Tom. 7. in depuls. calumniarum col. 252. *docui reprobationem tantum factam fuisse ab æterno à Deo sine vllo operum malorum respectu.* Et col. 261. *Quasi dicat* (Apostolus) *In hunc finem condidi te, Regem feci, indurau i, vt te perdam* &c. Et de prædestinat cap. 1. col. 304. *Ius Deo illi eripiunt, qui dicunt falsum esse, quòd Deus quosdam creet ad vitam, alios ad mortem, tantùm vt in illis suam misericordiam, in istis autem suam potentiam atque iustitiam declaret.* Et cap. 4. col. 322. *Quosdam creat in hunc finem, vt perdantur.* Et cap. 6.

Induratio ex sola Dei volūtate.

Facit ad interitum.

Perdit quos vult.

Reprobat sine vllo respectu operum.

Creat ad mortem.

Creat vt perdantur.

col. 338. *Quòd aliquis seruetur aut damnetur, tandem necesse est fateri, primariam causam fuisse & esse Dei voluntatem.* Et in disceptat. Tom. altero. col. 394. *Finis creationis impiorum proximus & secundarius, est ipsorum mors.* Et apud Schusselburg. lib. 4. theol. Caluin. artic. 8. pag. 76. *Voluntas Dei, est prima & ineuitabilis causa perditionis eorum omnium qui pereunt.*

Deus primaria causa damnationis.

Prima & ineuitabilis causa.

Idem Zanchius Tom. 2. lib. 5. de natura Dei cap. 2. qu. 7. col. 546. *Vt præuisa Sanctorum fides ac opera bona, causa non fuerunt electionis eorum: sic præuisa impiorum infidelitas aut alia peccata, minimè fuerunt causa cur à Deo fuerint reprobati.* Et col. 568. *Falluntur in eo, quòd primariam causam cur quosdam Deus æternæ morti destinarit, negant esse solam Dei voluntatem.* Col. 561. *Negamus mala opera sola, totam esse causam cur homines damnentur. Præcedit enim* Dei *odium & voluntas seu decretum, quo impios æternæ morti destinauit.* Et col. 568. cit. *Nihil certius, quàm voluntatem* Dei *solam, non tantùm negatiuæ, sed etiam affirmatiuæ reprobationis causam esse.* Et lib. 3. cap. 4. qu. 4. col. 264. *Ad locum quòd attinet ex Sapientia: Inuidia* Diaboli *mors intrauit in orbem terrarum, & si qui alij sunt, quibus mors attribuitur Diabolo tanquam authori, respondemus, non sequi,* Deum *ergo illam nolle, aut Deum non esse illius authorem. Idem enim opus à diuersis potest esse causis.*

Peccata nō causa reprobationis.

Mala opera sola non tota causa damnationis.

Voluntas Dei causa affirmatiuæ reprobationis.

Deus auctor mortis.

Polanus lib. 4. Syntagm. Theol. cap. 10. *Causa efficiens, impellens, propter quam decretum reprobationis siue affirmatiuæ siue negatiuæ à* Deo *factum, non est peccatum—Vera atque vnica causa impellens propter quam decretum reprobationis factum, est æternum beneplacitum seu voluntas Dei libera.*

Peccatum non est causa affirmatiuæ reprobationis.

Vnica causa, beneplacitum Dei.

Bucanus in Instit. Theol. loco 36. pag. 402. *An non præuisa peccata sunt causa decreti, cur quis reprobetur? Non.*

Renneckerus apud Gerlachium Tom. 2. disp. 16. pag. 635. *Deus aliquos homines æterno exitio & supplicio ex sese & propter sese adiudicauit.* Quæ tam directè contradicunt Scripturæ, vt nonnulli Protestantes id confiteantur, prout referemus lib. 2. cap. vlt.

Deus ex sese damnat homines.

COLLATIO.

Deus ipse in Scriptura disertè negat, se velle mortem impij aut morientis: imò iurat se nolle mortem impij. Et Scriptura

Scriptura negat, quòd Deus fecerit mortem, & addit, quòd mors per inuidiam Diaboli intrauit in mundum: quòd perditio nostra sit ex nobis: & quòd Deus ea non delectetur. Eadem dicunt Catholici.

Protestantes disertè affirmant, quòd Deus vult mortem & operatur mortem: quòd mors est actio voluntatis Dei: quòd Deus est auctor mortis: quòd est author damnationis: quòd est principium damnationis, & fons exitij: quòd primas partes tenet in exitio hominum: quòd sit prima causa cur homines non seruentur: quòd sit prima, primaria, & ineuitabilis causa quòd damnentur: quòd exitium sit ab eius electione; quòd maximam partem hominum creat ad perniciem, creat ad mortem, creat aliquos vt perdantur, creat ad interitum, facit ad interitum, condit ad damnationem, destinatò creat vt pereant: Quòd proximus finis creationis aliquorum sit ipsorum mors: Quòd per Deum stet quò minus saluentur: quòd Deus non reprobet ob peccata: quòd peccata non sint causa reprobationis negatiuæ vel affirmatiuæ: quòd reprobet ex mera voluntate, destinat exitio quia sic visum est, destinat exitio nulla dignitatis aut indignitatis habita ratione: quòd euertit & perdit quos vult: & demùm quòd pessimè agitur (à Deo) cùm ijs qui reprobantur.

Obiter autem noto, quòd quamuis aliqui Catholici putent reprobationem esse à Deo ex seipso, quatenus includit voluntatem non dandi gloriam æternam ijs qui reprobantur, eòquod gloria æterna sit quid gratuitum, quòd Deus potest pro libito velle his & non illis: omnes tamen Catholici consentiunt, quòd quatenus reprobatio includit voluntatem infligendi pœnam æternam, eatenus non sit à Deo ex seipso, sed ex præuisione peccati: Protestantes autem volũt, quòd sit à Deo ex seipso quatenus dicit destinationem ad pœnam, exitium, aut mortem sempiternam: In quo & à Scriptura citata, & à Catholicis omnibus eis contradicitur. Imo Pareus in Collegio Theol. 1. Disput. 13. ita ait. *Reprobationis positiuæ causa datur reproborum prauitas, quia sicut Deus neminem punit in tempore, sic neminem decreuit punire ab æterno nisi propter peccata.*

ART. XXIII. AN DEVS HOMINES damnet ob peccata?

Affirmat Scriptura.

Damnãtur quia peccârunt.

MAtth. 25. v. 41. *Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui enim & non dedistis mihi manducare. &c.*

Affirmant Catholici.

Deus mera voluntate damnat.

Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbitrio cap. 16. *Scripturæ passim docent, pœnam æternam iusto Dei iudicio peccatis hominum reddi.*

Negant protestantes.

Nõ spectat merita in damnãdis. Immeritos damnat. Nulla causa damnationis nisi merum beneplacitum Dei. Causa dãnationis non in homine. Peccata nõ causa quòd damnẽtur. Nulla ratione causa.

Lutherus lib. de seruo arbitrio to. 2. fol. 461. *Hoc offendit quàm maximè sensum illum communem, seu rationem naturalem, quòd Deus mera voluntate sua homines deserat, induret, damnet.* Et fol. 465. *Fingamus quæso Deum talem esse oportere, qui merita respiciat in damnandis. Nonne pariter contendemus & concedemus, vt & in saluandis merita spectet.* Et 466. *Quomodo hoc iustum sit, vt immeritos damnet, incomprehensibile est modò, creditur tamen.*

Zanchius apud Schusselburg. lib. 4. Theol. Caluin. art. 8. pag. 72. *Causam hic nullã aliam dicimus damnationis hominum, quàm merum Dei beneplacitum.* Et Renneckerus ibidem: *Reprobationis vel damnationis causam nequaquam in homine quærendam esse, sed Dei voluntatem eius primam & supremam causam esse.*

Grynæus apud eundem art. cit. p. 76. *Non sunt peccata causa quòd homines damnantur.* Spindlerus etiam ibidem: *Nulla ratione peccatum potest esse causa, cur homines damnentur.*

Collatio.

Scriptura disertè affirmat, quòd homines damnentur ob peccata. Idem Catholici.

Protestantes disertè negant, quòd peccata sint causa, quòd damnentur: & addunt, quòd peccatum nulla ratione potest esse causa cur damnentur: quòd causa damnationis non sit quærenda in homine: quòd nulla alia sit causa damna-

tionis, quàm merum Dei beneplacitum: quòd Deus mera sua voluntate homines damnet: quòd immeritos damnet: & quòd non magis respiciat meritum in damnandis, quàm in saluandis.

Atque hactenus egimus de actibus Dei internis & externis erga peccatum, bona opera, & homines; modò aliquid videamus de eius potentia.

ART. XXIV. AN DEVS SIT OMNIPOTENS, seu possit facere omnia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

GEnes. 17. v. 1. *Ego Deus omnipotens.* *Deus omnipotens.*

Matth. 19. v. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Idem habetur Marci cap. 10. v. 27. & cap. 14. v. 36. *Omnia possibilia.*

Lucæ. 1. vers. 36. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* *Nihil impossibile.*

Iob. 42. v. 2. *Scio, quia omnia potes.* *Omnia potest.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus l. 3. de Eucharistia cap. 2. *Omnes Theologi scribunt, Deum dici omnipotentem, quia potest id omne quod non implicat contradictionem.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in respons. ad nebulonis calumnias pag. 730. *Passim Caluinus commentum de absoluta Dei potentia, quod in scholis suis ventilant Sophistæ, acriter repudiat.* Idem habet de Præd. pag. 728. de Prouidentia pag. 735. 3. Institut. cap. 23. §. 2. & in cap. 25. Isayæ. *Deus non habet absolutam potentiam.*

Beza contra Heshusium vol. 1. pag. 299. *Habet aliquam exceptionem tuum illud dictum: Omnia esse Deo possibilia.* Et pa. 300 *Tu, scilicet, nos docebis, omnipotentiam Dei nunquam debere ad eũ ordinem reuocari, quem ipse sibi circundedit volens.* Et pag. 302. ait Deum non magis posse facere, vt corpus Christi simul sit in pluribus locis, quàm posset nouos Deos fabricare. Et in Colloq. Montisbel. pag. 27. *Efficere non potest* (Deus) *vt corpus Christi vno eodemque tempore pluribus locis essentialiter præsens sit*, pag. 25. ait quod nihil Deo esse impossibile, debet *Non omnia Deo possibilia.* *Omnipotẽtia Dei intra ordinẽ conclusa.* *Nõ potest ponere corpus pluribus locis.*

examinari ad normam fidei. Et responſ. ad acta Torgenſia vol. 3. pag. 60. *Nec velle nec facere poteſt Chriſtus, vt vno eodemque momento ſit tota eius natura pluribus locis, aut alicubi non localiter*: Et lib. quæſtionum vol. 1. pag. 658. Negat Deum efficere poſſe, *vt vnum, idemque corpus vel ſit ſimul in multis locis, vel alicubi ſit vt in loco, & alicubi non vt in loco, ſed incomprehensibili quadam ratione.*

Non poteſt ponere corpus non localiter.

Vel vt non in loco.

Sadeel reſponſ. ad art. 14. abiurat. pag. 433. *Oſtendimus corpus Chriſti non poſſe re ipſa præſens eſſe in pluribus locis eodem tempore, & omnipotentiam Dei hoc ferre non poſſe.* Idemque habet ad Artic. 2. pag. 414. & ſeq.

Antonius de Dominis lib. 5. de repub. cap. 6. num. 178. *Per nullam potentiam fieri poteſt, vt corpus ſit corpus, & locum non occupet.*

Dei potentia non ſe extendit ad aliquas res.

Petrus Martyr lib. contra Gardinerum Reſponſ. ad obiectio. 11. col. 199. *Querimur, quòd ſemper potentiam Dei obijciatis, cùm hoc* (corpus Chriſti eſſe ſimul in multis locis) *ex illarum ſit rerum genere, ad quas Dei potentia non ſe extendat.* Et in 1. Cor. 11. pag. 159. Negat fieri poſſe à Deo, vt idem corpus humanum ſimul ſit in diuerſis locis. Idque repetit in ſuo dialogo col. 6. & lib. cit. contra Gardinerum col. 189.

Penetratio repugnat virtuti diuinæ.

Tilenus in ſuo Syntagmate cap. 7. pag. 75. *Qui Chriſtum corpore ſuo ſaxum ſepulchro obditum, & clauſas fores penetraſſe pertendunt, ea adfirmant, quæ & glorificati corporis conditioni, & diuinæ in edendis miraculis virtuti repugnant.*

Author Gratiani Antijeſuitæ impreſſ. Rupellæ 1586. parte. 1. cap. 5. pag. 602. *Dicimus Deum ita eſſe omnipotentem, vt quæ in hoc argumento probaſſe putant* (carnem Chriſti in Euchariſtia exhiberi & exiſtere) *minimè poſſit facere.*

Deus non poteſt facere &c.

Piſcator in theſibus loco 2. pag. 78. negat Chriſtum ſua omnipotentia efficere poſſe, *vt corpus ſuum ſimul ſit in Cœlo, & in pane S. Cœnæ.* Et tamen iſti dicunt, quòd tanta ſit fidei vis, *vt res futuras, abſentes & remotiſſimas faciat præſentes*, vti loquitur Sadeel de Sacramenti manducatione pag. 300. Sacramentarij in ſua Confeſſione in colloquio Poiſiaceno apud Bezam Apol. 1. contra Saintem inquiunt. *Fides verbo*

Dant vim maiorem fidei ſuæ, quam Deo.

Dei innixa res promissas reddit præsentes. Vvitakerus libro 2. cont. Duræum sect. 8. *Fidei tam adest quod futurum est, quàm quod adest.* Vnde benè Andreas in Colloquio Montisbel: p. 26. ait de Sacramentarijs: *Maiorem potentiam fidei, quàm Christo tribuunt.*

Non potest velle quia non potest præstare.

Danæus in suo dialogo citatus ab Andrea in colloquio Montisbel. pag. 178. *Christus ne quidem velle potuit, vt corpus ipsius simul & semel in pluribus locis præsens sit, quia præstare non possit.* Et cùm Bellarminus ita argueret: Deus Num. 5. vim aquæ tribuit statim interficiendi mulieres adulteras, & cap. 21. Serpenti æneo virtutem dedit sanandi, ergo & verbo baptismi vim mutandæ aquæ dare potest: Respondet Danæus Tom. 2. cont. 3. cap. 20. pag. 119. *Nec enim eam virtutem Deus vllis creaturis tribuere potest, quin eas ipsas veros & essentiales Deos faciat, & suam in eas potestatem transferat — Falsum est, aquã de qua est sermo Num. 5. habuisse vim interficiendi: & Num. cap. 21. Serpentem æneum, vim sanandi.* Et nonnunquam Protestantes negant Deum posse conferre Sacramentis vim efficiendi gratiam, aut hominibus potestatem verè remittendi peccata, aut faciendi miracula.

Non potest dare aquæ virtutem occidendi aut serpenti æneo sanandi.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus sit omnipotens: quòd potest omnia: quòd omnia sunt ei possibilia, Nihil impossibile. Idem Catholici.

Protestantes docent, quòd non habet absolutam potentiam: quòd dictum illud Scripturæ; Omnia sunt Deo possibilia, patitur exceptionem: quòd eius omnipotentia debet reuocari ad ordinem: quòd non potest ponere corpus in pluribus locis simul aut non locali modo: quòd non potest dare aquæ vim occidendi adulteras, verbo vim mutandi aquam &c.

ART. XXV. AN DEVS POSSIT FACERE Camelum transire per foramen acus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Deus potest facere Camelum transire.

MArci 10. v. 25. & 26. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum Dei — Apud*

homines hoc: (Matth. 19.) *impoßibile est, sed non apud Deum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 6. *Pelagiani dicebant, impoßibile esse Camelum, si maneat Camelus, transire per foramen acus, non autem si extenuetur ad fili subtilitatem. Hoc refellitur, quia non est impoßibile apud homines, vt Camelus trãseat per foramen acus si desinat esse Camelus, & conuertatur in subtilißimum filum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Deus non potest facere Camelũ transire.

Beza Marci 10. v. 26. *Num potest facere Deus, vt Camelus talis permanens qualis est natura, per acus foramen transeat? Nequaquam.* Idem ait M. Antonius de Dominis lib. 5. de repub. cap. 6. num. 179. Bellus in Antepasto Iesuitico pag. 47.

Bucanus in Instituto theol. loco 48. pag. 797. *Potest Deus efficere, vt Camelus transeat per foramen acus, sed non relinquens eum qualis est natura, sed tam gracilem efficiens, quàm fieri necesse est.*

COLLATIO.

Scriptura & Catholici docent, Deum posse facere Camelum transire per foramen acus.

Protestantes id negant.

ART. XXVI. AN DEO SIT POSSIBILE quòd nunquam erit?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Deus potest facere quæ non vult.

MAtth. 3. v. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

Matth. 26. v. 53. *An putas, quia non poßum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 2. *Scripturæ apertißimè docent, Deum poße facere multa, quæ nunquam faciet.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ministri in colloquio Parisiensi die. 5. pag. *Omnipo-*

tentia Dei debet mensurari secundum eius voluntatem, & res quæ conueniunt illius naturæ. Similia habet Beza lib. contra Hesshusium volumine 1. pag. 300, vt iam retulimus artic. 24.

Beza in Colloquio Montisbel. pag. 25. *Deum dicimus ita esse omnipotentem quod ad potestatem per se consideratam attinet, vt tamen ea non possit actu, quæ non facere decreuit.*

Omnipotẽtia Dei mẽsuratur per eius voluntatem. Non potest actu quod non decreuit.

COLLATIO.

Scriptura docet, Deo esse possibile id quod non vult. Idem Catholici asserunt.

Protestantes dicunt, Dei omnipotentiam mensurari debere secundum eius voluntatem: eumque non posse actu facere quæ non decreuit.

ARTIC. XXVII. AN VERA DEI MIracula sint sufficiens testimonium veritatis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Ioannis. 5. v. 36. *Ego habeo testimoniũ maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam; ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me quia Pater misit me.*

Lucæ. 11. v. 20. *Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei.*

Marci vltimo. v. vlt. *Prædicauerunt vbique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Isaiæ 41. v. 23. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.*

Sunt testimonium maius Ioãne. Sunt certũ argumentũ regni Dei. Sunt cõfirmatio Dei.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 14. *Miraculum est testimonium sufficiens; & vbi est verum miraculum, ibi est vera fides.*

NEGANT PROTESTANTES.

Vvitakerus cont. 2. qu. 5. cap. 12. pag. 528. *Dico ex neutro genere miraculorum* (verorum & apparentium) *posse sufficiens testimonium sumi, aut certum argumentum colligi pro vera doctrina.* Pag. 529. *Constat Deum etiam falsis doctoribus facultatem tribuere huiusmodi faciendi miracula, quò tentet eos ad quos mittuntur.*

Non sunt sufficiens testimoniũ aut certum argumẽtũ. Deus dat potestatem faciẽdi miracula vt tentet.

Non sunt sufficiens testimoniũ.

Danæus contro. 4. lib 4. cap. 14. pag. 784. *Vera miracula esse sufficiens doctrinæ veræ testimonium negamus.*

Protest. nõ mouerẽtur suscitatione mortui.

Lutherus in cap. 7. Matth. Tom. 7. fol. 92. *Signis nihil prorsus moueor, etiamsi me vidente mortuos in vitam reuocares. Hæc enim omnia possunt fallere.* Item. *Deus quoque permittit vera signa fieri in pœnam eorum qui veritatem non curant.*

COLLATIO.

Scriptura diserte docet, quòd vera miracula sunt maius testimonium Ioanne: quòd sunt Dei confirmatio de doctrina: quòd si quis in digito Dei eijcit Dæmonia profecto prædicat regnum Dei; quod scimus esse Deos qui annuntiant futura. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vera miracula non sunt sufficiens testimonium veræ doctrinæ: quòd Deus dat falsis Pastoribus potestatem faciendi miracula, vt tentet homines, ac permittit vera miracula fieri in pænam eorum qui non credunt: quòd suscitatio mortuorum nihil ipsos moueret.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE DEO.

NOn ingratũ neque inutile putaui Lectori fore, si in fine cuiusque capitis, breuem illius summã apponã, quò vno quasi intuitu, perspicere posset, in quot quantisque rebus in illo capite tractatis, Protestantes à Scriptura dissentiant, & quomodo more verorum Pseudoprophetarum in vnoquoque capite fures agant, & furentur aliqua.

Art. 1. 4. 5. 6. 7. 8.

Art. 9. 11. 12.

Scribit Caluinus in cap. 22. Actorum v. 14. *Nouum quendam Deum fecerunt Papistæ.* Et iterum. *Papistæ nouitium sibi Deum fabricarunt.* Hoc vtrum in Catholicos, an in ipsos potius quadret, ex ijs quæ hactenus retulimus, perspicuum erit. Nam quòd spectat ad iniquitatem seu peccatum: Deus Scripturæ & Catholicorum non vult iniquitatem, nec facit eam, non prædestinat, nec tentat homines ad peccatum; non mandat, non necessitat, non cogit peccare: Deus vero Protestantium hæc omnia facit. Quod ad peccatores pertinet: Deus Scripturæ & Catholicorum odit omnes operantes iniquitatem,

quitatem, irascitur fidelibus peccantibus, eosque punit ob peccata præterita: Deus Protestantium nihil horum agit. Quod ad bona opera attinet, Deus Scripturæ & Catholicorum delectatur bonis operibus, ijsque colitur, grata habet bona opera non præcepta, placatur bonis operibus, vult sua præcepta seruari: Deo Protestantium omnia contraria competunt. Quoad ipsos homines: Deus Scripturæ & Catholicorum diligit omnes, vult omnes saluos fieri, vult (vt gallina pullos) congregare eos qui nolunt, non vult mortem impij, neque damnat homines nisi ob peccata: Deo Protestantium omnia opposita conueniunt. Quoad potentiam; Deus Scripturæ & Catholicorum est omnipotens, potest facere ea quæ nunquam erunt, potest facere Camelum transire per foramen acus: Deus Protestantium non est huiusmodi. Cum igitur tot tantæque proprietates, contrariæ ijs quas habet Deus verus à Scriptura & Catholicis descriptus, Deo Protestantium insint, manifestum est, quòd sit alius & nouitius Deus à Scriptura ignoratus, imo constat, quod (vt Caluinus loquitur de Deo libertinorum) *sit idolum, quod nobis execrabilius esse debet omnium gentium idolis*; aut potius ipsemet Diabolus. Quis enim alius esse potest is, qui (prout asserunt) vult iniquitatem, vult homines peccare, facit peccata, procurat peccata fieri, est author indurationis, ita est causa sæuitiæ sicut amoris, prædestinat ad peccatum, præordinat peccatum vt peccatum est, decernit speciali decreto vt peccata fiant, per se immediatè & peculiari actione impellit ad mala, necessitat & cogit ad peccandum, mandat mentiri, & author est tentationis ad malum, adeoque est tentator & pater mendacij: quibus duobus nominibus insignitur Diabolus à Scriptura. Qui non curat bona opera, non ijs delectatur, non ijs colitur, non vult Dei præcepta seruari, mandat quod non vult fieri, & promittit quod non vult præstare. Qui fecit mortem, estque author mortis & damnationis, fons exitij, & primas partes tenet in exitio hominum, denique damnat immeritos, idque ob meram suam voluntatem. Hæc & huiusmodi alia multa clarè ostendunt quis, qualisque sit, quem sub Dei nomine, Protestantici

Art.13.14 15.16.17.

Art.18.19. 20.21.22.

Art.23. 24.

Cap.14.

Articulis ante notatis.

Magiſtri hominibus colendum propoſuerunt. Si cui Proteſtanti, hæc horrenda (prout reuera ſunt) videantur, non mihi iraſcatur, qui non niſi magiſtrorum ſuorum dicta fideliter retuli, ſed ipſis, qui totidem verbis has tartareas blaſphemias ſub Scripturæ nomine in Deum euomere non ſunt veriti.

Proteſtantes furãtur à Deo.

Conſtat etiam ex dictis, quòd huiuſmodi noui Dei fabricatores fures agant, & furentur à Deo vero multa & præcipua illius attributa. Auferunt enim bonitatem, dum aſſerunt, quòd vult, facit, decernit iniquitatem; & tentat, neceſſitat, cogit ad peccandum: non curat bona opera, nec ijs colitur. Auferunt iuſtitiam, dum docent, quòd non odit omnes operantes iniquitatem, non iraſcitur fidelibus grauiter peccantibus, non imputat eis peccata, non vult ſua præcepta ſeruari, mandat quod non vult fieri, & promittit quòd non vult præſtare. Auferunt etiam omnipotentiam, dum dicunt eſſe multa quæ non poteſt facere. Horum autem loco tribuunt ei malitiam, qua vult, facit, decernit iniquitatem, & ad eam homines prædeſtinat, neceſſitat, cogit: Iniuſtitiam, qua iuſtificat impium manentem impium, & immeritos damnat. Et infidelitatem; qua promittit quæ non vult præſtare. Atque hactenus de Deo, ſequitur de Chriſto.

Bonitatem.

Iuſtitiam.

Omnipotẽtiam.

Et tribuũt Deo. Malitiã. Iniuſtitiam Infidelitatem.

CAPVT SECVNDVM
DE CHRISTO.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN CHRISTVS FILIVS DEI HABVERIT vitam seu esse à Patre.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

OAN. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Ioan. 6. v. 57. *Ego viuo propter Patrem.* Et ca. 7. v. 29. *Ego scio eum* (Patrem) *quia ab ipso sum.*

Filius habet vitam à Patre.

Est à Patre.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas. 1. part. quæst. 27. artic. 2. I*d quod est genitum in diuinis, accipit esse à Patre.*

Stapletonus in Ioan. 10. v. 30. *Hæc idcirco homo impius* (Caluinus) *facit, vt suam peculiarem & nouam* αὐτοθεότητα, *in Filio Dei, qua vult Filium Dei à seipso Deum esse, & non à Patre, aliquomodo stabiliat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Admonit. ad Polonos pag. 685. *Si Pater suum esse habet à seipso, Filius suum esse habet à Patre, Spiritus ab vtroque, an non tres essentiæ emergunt?* Hæc ille, Et tamen Vvitakerus lib. 8. contra Dureum sect. 8. ita inquit: *Num Caluinus vnquam negauit Filium à Patre essentiam habuisse?* At quid aliud est, negare *Filium suum esse à Patre habere*, quod disertè negat Caluinus.

Non habet esse à Patre.

Vvitakerus ipse ad Rationem 8. Campiani pag. 34. *Hoc dictum* (Deus de Deo) *nonnulli deinceps arripuerunt, vt Christũ non per se atque ex se Deum esse, sed hoc à Patre accepisse, contenderent. In quo Christi diuinitatem penitus sustulerunt*

Non accipit esse Deũ à Patre.

Non genitus de essẽtia Patris.

Beza apud Campianum Ratione 8. *Filius non est genitus de essentia Patris.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Pater dedit Filio habere vitam, quòd Filius viuit propter Patrem, quòd sit à Patre. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Filius non habet suum esse à Patre, quòd non accepit esse Deum à Patre, quòd non est genitus de essentia Patris.

ARTIC. II. AN CHRISTVS PRÆdestinatus sit Filius Dei.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Christus est prædestinatus Filius Dei.

ROm. 1. v. 4. dicitur de Christo: *Qui prædestinatus est Filius Dei.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 3. part. qu. 24. artic. 1. *Christus est prædestinatus Filius Dei.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non est prædestinatus filius Dei.

Danæus Controu. 1. qu. 14. pag. 30. *Ait* (Bellarminus) *Christum prædestinatum Filium Dei, quod est Arrianiticum.*

Asselmannus lib. de prædestinat. §. 70. *Materia prædestinationis circa quam, non animæ Origenis sunt, neque Christus, vt falsò Basilienses, Herbornenses, & Maldonatus scriptitant: quibus contradicunt Heidelbergenses.* Idem indicant alij Protestantes, qui Rom. loco citato contendunt non legendum *Prædestinatus, sed declaratus est Filius Dei.*

COLLATIO.

Scriptura disertè affirmat, quòd Christus prædestinatus est Filius Dei. Idem Catholici.

Protestantes id negant, ac dicunt, quòd sit Arrianiticum id affirmare.

ARTIC. III. AN CHRISTVS QVATENUS homo possit inuocari aut adorari.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

PHilippens. 2. v. 10. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Marci. 10. v. 47. & 48. Cœcus clamat. *Iesu Fili Dauid miserere mei.* Et similiter clamat Cananœa Matth. 15. v. 22. Et duo cœci Matth. 20. v. 31.

Iesus oratur vt est Filius Dauid.

Lucæ 23. v. 42. bonus latro dicebat: *Domine memento mei cum veneris in Regnum tuum.*

Vt nondũ venerat in regnum suum.

Matth. 2. v. 11. *Inuenerunt* (Magi) *puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.*

Matth. 28. v. 9. dicitur de mulieribus: *Tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis cap. 12. *Theologi tribuunt hyperduliam soli humanitati Christi & matri eius.* Similiter Sanctus Thomas 3. parte. qu. 25. artic. 2.

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius lib. de vera & falsa religione cap. de statuis & imaginibus. *Quomodo ignorare possunt Christum, quatenus visibilis est & homo, nulla ratione; quatenus autem Deus est, colendum esse?*

Christus nulla ratione colẽdus, quatenus homo.

Danæus in orat. Dominicam pag. 574. *Non quà homo, sed quà Deus est Patri ὁμόσιος, Christus est inuocandus.* Et in Examine libri Chemnitij pag. 1447. *Qui ad ipsam carnem Christi suam adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius* Dei *ore est maledictus — Caro Christi non est natura Deus, quamuis sit verè Deo hypostaticè vnita: Ergo qui ad eam propriè dirigunt suam inuocationem, sunt veri Idololatræ.* Item. *Christus, quà homo, est conseruus & vnus ex fratribus nostris, licet primogenitus: Ergo quà homo, non est adorãdus vel inuocandus Christus.* Rursus: *Caro Christi etiam glorificata, & in vnione personæ Christi manens, est creatura. Ergo qui ad eam suam adorationem dirigit,* Deum *blasphemat.* Similia habet Richerius apud Villegagnonem & Feuardentium lib. 3. Theomach. Caluinisticæ. cap. 9.

Non inuocandus quà homo.

Caro Christi non adoranda.

Christus quà homo nec adorãdus nec inuocandus.

Christi humanitas non adorãda.

Beza in Colloquio Montisbel pag. 292. *Quòd Christi humanitas sit adoranda, nos quoque negamus.* Idem habet pag. 296. & 284. Et pag. vltimò citata: *Totum Christum adoramus, sed nõ totum Christi.* Item: *In adoratione religiosa Christi, inuocationem nostram dirigimus ad Filium Dei, id est, ad diuinitatem eius tanquã ad vnicum proprium obiectum religiosæ adorationis, & non ad humanitatem eius.* Et respons. 3. ad Selnec. vol. 2. pag. 278. *Fateor hunc ipsum hominem* (Christum) *inuocandum, at non tamen quà homo est, sed quà Deus est.* Idem indicat Perkinsus in serie causarum &c. cap. 21. to 1. col. 32.

Diuinitas Christi vnicum obiectũ adorationis.

Christus nõ inuocandus quà homo.

Polanus in Sylloge Thesium parte 1. pag. 482. in 8. *Christus non est adorandus secundùm carnem. Nam illa non est proprium adorationis obiectum, verùm sola Deitas Christi.* Similia habet Petrus Martyr apud Grauerum in Absurdis Caluinisticis pag. 406.

Non seruat secundum humanitatem.

Neustadiani apud Schusselburg. lib. 4. Theol. Caluin. art. 29. pag. 149. *Non enim exaudit* (Christus) *omnes, seruat omnes, dat Spiritum Sanctum sua humanitate, multò minus manibus vel pedibus, solius hæc Deitatis propria sunt, ideoque homini Christi conueniunt, non quà homo sed quatenus Deus est.*

Non audit preces secũdum humanitatem.

Heidelbergenses vt refert Andræas in colloq. Montisbel. pag. 290. scribunt, quòd *Christus preces nostras in Cœlo secundum humanitatem non audiat.*

COLLATIO.

Scriptura docet Christum esse inuocandum quatenus est Filius Dauid, & quatenus tempore passionis nondum venerat in Regnum suum: & adorandum, quatenus puer erat. Similiter Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus quà homo, non audit preces nostras, non est inuocandus, nulla ratione colendus; quòd humanitas eius non est adoranda; quòd Diuinitas eius est vnicum proprium obiectum adorationis & non humanitas; quòd qui ad carnem Christi suam adorationem aut inuocationem dirigunt, Deum blasphemant, sunt idololatræ, & ex ipsius Dei ore maledicti. Quæ tam apertè pugnant cum Scriptura, vt aliqui Protestantes id agnoscant, prout videbimus lib. 2. cap. vltimo.

ART. IV. AN CHRISTVS QVA HOMO seu humanitas Christi habuerit vim viuificandi, remittendi peccata, faciendi miracula.

Affirmat Scriptura.

MAtth. 9. v. 6. & 8. *Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatẽ in terra dimittendi peccata &c. Videntes autẽ turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum qui dedit talẽ potestatem hominibus.*

Filius hominis habet potestatem in terra dimittẽdi peccata.

Ioan. 6. v. 54. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Manducatio carnis Christi dat vitam.

Actor. 4. v. 10. *In nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.*

Salus datur in nomine Crucifixi.

Hebr. 9. v. 13. *Si enim sanguis hircorum & Taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?*

Sanguis Christi emundat conscientias.

Affirmant Catholici.

S. Thomas 3. parte qu. 16. artic. 11. *In natura Diuina* (Christi) *consistit potestas dimittendi peccata per authoritatem: in humana autem natura consistit instrumentaliter & per ministerium.*

Negant Protestantes.

Christus non salutaris qua homo.

Zuinglius lib. de vera & falsa relig. cap. de Eucharistia Tom. 2. *Christus nobis ea parte salutaris est quâ de Cœlo descendit, non qua ex illibatissima Virgine natus est.* Item. *Secundum Diuinitatem tantùm salutaris esse potuit.* Atque hęc repetit in cap. 6. Ioan. Tom. 4. vbi etiam pag. 310. addit: *Quod caro Christi nihil prosit, nihil penitus prosit.*

Caro Christi nihil penitus prodest.

Beza in Colloqu. Montisb. pag. 276. *Interim negamus carnem Christi etiam verè viuificam esse.* Item. *Quòd autem carni Christi vis & virtus aliqua insit viuificandi, propter quam vim communicatam viuifica facta & viuificare dicatur, hoc nos pernegamus.* Pag. 228. *Resuscitatio mortuorum est solius diuinitatis*

Caro Christi non verè viuifica. Non ei inest vis viuificandi.

Resurrectio mortuorum nō tribuitur humanitati Christi. *opus, quòd humanitati Christi attribui non potest.* In 2. parte resp. ad acta Colloquij Montisbel pag. 116. *Ne ipsa quidem Filij Dei caro viuificandi vim habet in sese vt proprio subiecto inhærentem, sed tota illa vis in ipsius Deitate residet.* Contra Brentium volu. 1. Theol. pag. 526. *Ne tum quidem cum caro cum verbo coniuncta est, viuifica est, quasi vim illam in sua ipsius natura recipiat, sicut magnes vim habet ferrum ad se attrahendi.* Pag. 527. *Non est caro Christi viuificatrix vel in sese vel ex sese.* Et ibidem negat carnem Christi *remittere peccata virtute diuinitatis, quæ hoc donum in eam contulerit.* Et pag. 545. inquit. *Nota, non ipsi carni etiam assumptæ, sed Deitati à qua sumpta est, tribui seruandi virtutem.* Simila habet contra Heshusium pag. 302.

Caro Christi non habet in se vim viuificandi.

Nec remittendi peccata.

Nec virtutem seruandi.

Danæus controuersia 4. cap. 9. pag. 195. *Christus Filius hominis & versaus tunc in his terris remisit peccata, non tamen quà homo, sed quà Deus verus: sicut in eadem illa natura diuina edebat miracula, non quà homo.*

Non remittit Christus peccata quà homo.

Nec facit miracula.

Sadeel respons. ad artic. 5. abiurat. pag. 422. *Vita nostra primò & propriè, itaque præcisè à diuina natura procedit.*

Vita nostra præcisè est à diuinitate.

Perkinsus in 3. Galat. v. 5. Tom. 2. col. 123. *Ne Christus quidem ipse vt homo potest facere verum miraculum.* Et Heidelbergenses (vt retulimus articulo præcedenti) Christus *quatenus homo non audit preces nostras.*

Christus vt homo nō potest facere miraculum.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: quòd qui manducat carnem Christi habet vitam æternam: quòd in nomine Christi Crucifixi fiunt miracula: quòd sanguis eius mundat conscientiam à peccatis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus quà homo non est salutaris: quòd caro eius nihil penitus prosit: non sit viuifica, non habeat in se vim viuificandi: quòd Diuinitas ei non contulerit donum remittendi peccata; quòd resuscitatio mortuorum non potest tribui humanitati: quòd vita nostra præcisè procedit à Diuina natura: quòd Christus vt homo non remittebat peccata, non edebat miracula, non potest facere verum miraculum, non audit preces nostras. Quæ tam

clarè

clarè contradicunt Scripturæ, vt aliqui Protestantes id concedant, prout videbimus lib.. 2 cap. vltimo.

ART. V. AN CHRISTVS HOMO SEV Humanitas Christi sit vbique?

NEGAT SCRIPTVRA.

IOan. 11. v. 15. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi.* Et cap. 6. v. 24. *Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi.*

Christus non erat vbi Lazarus moriebatur.

Matth. 28. v. 6. *Scio quod Iesum qui Crucifixus est quæritis: non est hic.*

Non in sepulchro post resurrectionem.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Incarnatione cap. 11. *Vbiquitas humanitatis Christi pugnat cum Scripturis.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus in defens. verborum Cœnæ Tom. 7. fol. 394. *Christus manifestè testatur, quòd suum corpus simul in Cœlo & in terra, imò potius vbique locorum præsto sit.* Idque sæpius repetit. Vnde Zuinglius in Respons. ad Confessionem Lutheri To. 2. fol. 446. ait de ipso: *Christum iuxta humanam quoque naturam non minus quàm iuxta Diuinam vbique locorum esse contendit.*

Corpus Christi vbique locorum.

Humanitas eius vbique.

Brentius apud Bezam lib. contra ipsum vol. 1. Theol. pag. 516. *Necesse est vt vbicunque fuerit diuinitas Christi, ibi habeat secum assumptam suam humanitatem.*

Humanitas vbicunque diuinitas.

Gerlachius Tom. 2. disput. 2. pag. 25. *Naturam humanam Christi omnipræsentem & omnipotentem collocamus.*

Humanitas omnipræsens.

Smidelinus apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 323. *Humanitas Christi vbique est.* Idque defendit ipse & socij eius in colloquio Mulbrunensi & Montisbelgartensi. Et docent alij apud Hospin. lib. citato fol. 323. 338. 340. 354. 367. & sequentibus.

Vbique.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus homo non erat ibi vbi Lazarus moriebatur: quòd non erat vbi turba eum quærebat: quòd non erat in sepulchro post resurrectionem. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd corpus Christi est vbique locorum: quod caro Christi est vbique, quòd humanitas Christi est vbicunque est eius diuinitas: quòd humana Christi natura est omnipræsens. Quæ ex sententia multorum Protestantium sunt directe contra Scripturam.

ARTIC. VI. AN CHRISTVS QVA HOMO sit caput Ecclesiæ.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Christus caput, quatenus subest Deo.

1. CORinth. 11. vers. 3. *Volo vos scire, quòd omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus.*

Caput quatenus se humiliauit ad mortem.

Ephes. 5. v. 23. *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis sui.*

Philippens. 2. v. 8. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur &c.*

Dominus omnium secundum quod mortuus.

Roma. 14. v. 9. *In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 7. de Iustificatione cap. 4. *Christus non solum vt Deus, sed etiam vt homo, est caput Ecclesiæ.*

NEGANT PROTESTANTES.

Christus nō fundamentum Ecclesiæ qua homo.

Non visibilis Monarcha.

Vvitakerus contr. 2. qu. 2. c. 2. pag. 455. *Non fundata est Ecclesia in Christo, quatenus videri potuit, sed quatenus videri non potuit.* Pag. seq. *Non erat Christus visible aut sensible, sed credibile (vt ita dicam) fundamentum.* Et contr. 4. qu. 1. c. 2. pag. 525. *Christus non fuit visibilis Monarcha in Ecclesia.*

Non caput Ecclesiæ qua homo.

Vallada in Apologia contra Episcopum Luzonensem cap. 5. pag. 123. *Est crassa ignorantia, facere Iesum Christum caput Ecclesiæ quatenus homo est, quod* (inquit) *huc vsque nullus Theologus ausus est dicere.*

Impossibile hominem esse caput Ecclesiæ.

Zuinglius in Coloss. 1. to. 4. *Impossibile est visibilem hominem esse caput Ecclesiæ, cum sit ipsa inuisibilis.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus est caput virorum, quatenus Deus est caput ipsius: quòd est caput Ecclesiæ quatenus est Saluator eius: quòd in nomine Iesu flectetur omne genu, quia se humiliauit vsque ad mortem crucis: quòd Christus mortuus est & resurrexit, vt omnium dominetur. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Ecclesia non est fundata in Christo vt erat visibilis: quòd non fuit visibilis Monarcha Ecclesiæ: quòd non est caput Ecclesiæ quatenus homo est: quòd visibilis homo non potest caput esse Ecclesiæ.

ART. VII. AN CHRISTVS QVA HOMO fuerit legislator seu leges tulerit.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ISaiæ 33. v. 22. dicitur de Christo: *Dominus Iudex noster: Dominus legifer noster: Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* *Christus est legifer.*

Matth. 11. v. 30. Christus ait: *Iugum meum suaue est & onus meum leue.* Et Matth. vlt. v. vltimo: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terra; Euntes ergo &c. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* *Imponit iugum & onus.* *Mandat.*

Ioan. 13. v. 34. *Mandatum nouum do vobis.* Et cap. 15. v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* *Dat nouum mandatũ.*

1. Corinth. 7. v. 10. *Iis qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* *Præcipit.*

Galat. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* *Dat legem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Tridentinum sess. 6. can. 21. *Si quis dixerit Christum Iesum hominibus à Deo datum fuisse vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem cui obediant, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Vuirtembergica cap. de Euangelio: *Nec ex Christo faciendus est nouus legislator, cum nec nouam legem tulerit, nec &c.* *Christus nõ est legislator, nec tulit leges.*

Non est legislator. Lutherus in 1. Galat. tom. 5. fol. 228. *Christus non est legislator sed legis impletor. Omnis legislator minister peccati est.* Fol. 292. *Euangelium docet Christum non venisse vt ferret nouam legem & traderet præcepta de moribus.* Et cap. 2. fol. 321. ait se laborare vt *damnet veterem opinionem de Christo legislatore & iudice* Item: *Rectè definias Christum, non vt Sophistæ & Iusticiarij, qui faciunt eum nouum legislatorem, qui abrogata veteri tulerit nouam, illis Christus est exactor & Tyrannus.* Rursus: *Christus non est Moyses, non exactor, aut legislator.* Idque repetit c. 3. fol. 370. Et tom. 4. in c. 52. Isaiæ fol. 198. *Errant, qui putant Christum esse legislatorem qui formet mores.*

Non legislator qui formet mores.

Nō proprie legislator. Illyricus in Matthæi 5. *Christus non est legislator.*

Gerlachius Tom. 2. disput. 13. pag. 463. *Sententia Lutheri omnino certa est: Christum in nouo testamento suo ministerio propriè non esse legislatorem.* Hæc Lutherani.

Caluinus in Antidoto Concil. Trident. sess. 6. canone 21. pag. 291. *Christum negamus legislatorem, qui nouas aliquas leges orbi tradiderit.* In Matth. 5. v. 21. *Neque fingendus est Christus nouus legislator, qui ad æternam Patris sui iustitiam aliquid addat, sed tanquam fidus interpres audiendus est.* Idque repetit in v. 27. Et in v. 43. inquit: *Christus non fert nouas leges.*

Non tradidit nouas leges.
Non tulit nouas leges.

Beza in Matth. 19. v. 19. *Quasi verò Christus venerit, vt legem aliquam nouam conderet, ac non potius vt à legis maledictione nos liberaret.* In 2. Corinth. 3. v. 6. *Minister Euangelij est Iesus Christus, non iam docens quid facere quid fugere oporteat (quod legis perpetuum est officium) sed seipsum in æternam vitam gratis offerens credentibus.* In 1. Ioan. 2. v. 7. edit. 1565. *Sed numquid Euangelium noua quædam lex est? Minimè.* Et in Apolog. altera contra Saintem volum. 2. theol. pag. 333. *Cum veteres nonnulli legis, & quidem nouæ seu secundæ nomen aliquando nouo fœderi siue Euangelio tribuerint, facit &c. vt hanc formulam Scripturis insitatam prorsus repudiem.*

Non condidit nouam aliquam legem.
Non docet quid oportet facere aut fugere.
Noua lex repudiāda.

Christus non tulit nouas leges. Petrus Martyr in Rom. 3. pag. 78. in folio: *Sed quod Christus nouas leges tulerit, prorsus negamus.*

Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 4. pag. 991. *Fuit quidem Christus quà Deus, lator & author legis cum Patre, in carne verò non venit vt legislator, sed vt redemptor.* Et in Galat. 6. le-

ctione 71. *Euangelium noua lex dicitur improprie, quatenus lex sumitur pro doctrina.* Perkinsus in Galat. 6. tom. 2. col. 350. *Euangelium nullo modo noua lex dici debet.* Idem habet Polanus periodo 3. disput. 36. *Euangeliũ nullo modo noua lex.*

Pouellus in epist. dedicat. lib. de Adiaphoris. *Constanter inficiamur Christum legislatorem esse.*

COLLATIO.

Secundum Scripturam, Christus est legifer, habet legem, mandat, præcipit, dat mandatum nouum, imponit iugum, onus. Consentiunt Catholici.

Secundum Protestantes, Christus non est legislator, non legislator sed interpres, non venit vt legislator, non est exactor, omnis legislator est minister peccati: Non tulit, non condidit leges, non tradidit nouas leges, non formauit mores, non tradidit præcepta de moribus, non docuit quid oporteat facere aut fugere. Euangelium non est lex noua, nullo modo lex. Quæ ita apertè sunt contra Scripturam, vt Perkinsus ipse prout referemus lib. 2. cap. 25. dicat *eos mutare Christum in propria figmenta, qui negant eum esse Dominum ad dandum mandata.*

ART. VIII. AN CHRISTVS QVA homo sit Iudex.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. IOan. 5. v. 22. *Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Et v. 27. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* *Christus iudex quà filius hominis.*

Actor. 10. v. 42. *Ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Et cap. 17. v. 31. *Statuit diem in quo iudicaturus est orbem in viro in quo statuit fidem præbens omnibus suscitans eum à mortuis.* *Quà vir.*

Symbolum Apostolorum: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Incarnat. cap. 16. *Potestas iudicandi exterius & sensibiliter data Christo est, quia Filius hominis est.*

Digitized by Google

NEGANT PROTESTANTES.

Christus non Iudex sed tantum consolator.

Lutherus postilla in Dominicam 3. Aduentus fol. 38. *Hic à scandalo caue diligentissimè, quòd obijciunt tibi quicunque docent te operari & non potius credere, qui Christum legislatorem tibi faciunt & iudicem, neque sinunt eum tantùm auxiliatorem & consolatorem tibi aduenire.* Et in die Pentecostes fol. 276. *Deus Filium suum ita tibi proponit, quòd sit seruator & non iudex. At isti bonum illum seruatorem, ceu seuerum iudicem præfixerunt. —Quod si talem de Christo imaginem conceperimus, vt cogitem illum iudicem esse, ab illo mihi timeo illicò, tum sequitur vt ab eo alienus fiam, ac meticulosus coram Deo reddar, ita vt odia quoque in eum exerceam.*

Non Iudex sed seruator.

Idem Lutherus in 2. Galat. tom. 5. fol. 321. *Ego à puero sic imbutus eram, vt conterritus palluerim audito tantùm nomine Christi, quia persuasus eram eum esse iudicem. Ideo duplex mihi labor est, vt hoc malum corrigam. Primùm, vt dediscam illam veterem inolitam opinionem de Christo legislatore & iudice, vtque damnem & repellam eam.* Idem sentiunt alij, qui (vt cap. 15. referam) dicunt Christum non exacturum à fidelibus rationem operum. Nam si Iudex est, rationem exiget.

Damnanda opinio de Christo iudice.

COLLATIO.

Iuxta Scripturam: Christus est constitutus Iudex viuorum & mortuorum, habet potestatem iudicandi quia Filius hominis est, & in eo Deus iudicaturus est orbem. Assentiuntur Catholici.

Iuxta Protestantes: scandalum est facere Christum iudicem, Christus tantùm est auxiliator & consolator, non iudex: si conciperetur vt Iudex alieni ab eo essemus, & odia in ipsum exerceremus, & Protestantes laborant vt damnent opinionem de Christo Iudice.

ARTIC. IX. AN CHRISTVS CONDIderit nouum Testamentum.

Christus condit testamentum non secundũ vetus.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Hierem. c. 31. v. 31. & Hebr. 8. v. 8. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super Domum Israel & super do-*

mum Iuda *Testamentum nouum, non secundùm Testamentum quòd feci Patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de terra Aegypti.*

Hebr. 8. v. 6. & 7. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud priùs culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur.* *Et melius testamentum.*

Hebr. 9. v. 15. *Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* *Nouum testamentum.*

Galat. 4. v. 24. *Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidē &c.* Matth. 26. vers. 28. *Hic est sanguis meus noui testamenti.* Et Lucæ 22. vers. 20. *Hic est Calix nouum testamentum in meo sanguine.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 8. *Christus in vltima cœna condidit suum testamentum, & proinde impleuit figuram testamenti veteris.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Heluetica cap. 17. *Cum semper vnus modò sit Deus, vnus mediator Dei & hominum, vnus Spiritus, vna salus, vna fides, vnum Testamentum vel fœdus, necessariò consequitur &c.* *Est vnum testamētū.*

Zuinglius in Elencho Tom. 2. fol. 31. *Duo testamenta dicuntur, non quod duo diuersa testamenta sint — loquitur Paulus de duobus testamentis, sed alterum καταχρηστικῶς testamentum vocat.* Item. *Testamentum vocat Paulus, non quod verè testamentum esset.* Fol. 33. *Vnum ergo ac solum testamentum est, vnum solummodò testamentum.* Sermone primo Bernæ habito fol. 532. *Atqui cum duo testamenta non sint, hoc vnum sit oportet.* Et in Rom. 4. Tom. 4. pag. 417. ait quod vetus & nouum testamentum sunt *vnicum & idem testamentum & fœdus.* Similiter Bullingerus decade 3. serm. 8. fol. 148. *Non duo diuersa testamenta. Vnum solummodò testamētū. Non duo testamenta. Vnicum & idem testamentum.*

Caluinus 2. Institut. cap. 10. §. 2. *Patrum omnium fœdus adeo substantia & reipsa nihil à nostro differt, vt vnum prorsus atque idem sit, administratio tamen variat.* *Vnū prorsus testamentū substantia & reipsa.*

Non duo reipsa. Beza in Matth. 26. v. 28. *Fœdera duo dici non possunt nec debent, quasi duo reipsa extiterint, cum vnicum illud Patribus quidem promissum & ab ijs expectatum nobis autem tandem exhibitum semper extiterit in Christo vnico.* In sua Confess. c. 3. art. 18. *Si rem ipsam spectemus, vnum semper fuit & erit fœdus inter Deum & homines, verùm si quis circunstantias considerat, duo sunt fœdera siue testamenta,* Et contra Heshusium vol. 1. theol. pag. 283. *Vetus & nouum fœdus vnicum est & singulare fœdus, siue authorem, siue materiam, siue finem & scopum vtriusque spectes.* Et pag. 7. *Sola cœna Domini excepta, (in qua tamen idem Christus sed impari mensura communicatur) nullum est inter duo fœdera discrimen, siue causam efficientem siue formam in genere, siue materiam, siue denique finem spectes.* Similia habet Sadeel ad articul. 5. abiurat. pag. 423.

Vnum quoad materiam & finem.

Petrus Martyr in locis classe 2. cap. 16. §. 2. *In vtroque fœdere res ipsa & substantia omnino eadem est, qualitates tantummodò quædam variant.* Et §. 27. *Omnino statuendum est, veteris & noui testamenti vnum atque idem inter Deum & homines esse fœdus.*

Vnum & idẽ fœdus.

Vvitakerus controuer. 2. qu. 2. cap. 3. pag. 460. *Est vnum idemque fœdus, licet pro ratione temporis diuerso modo initum.*

Serranus contra Hayum parte 3. pag. 217. *Idem fœdus, vocatur vetus & nouum, quamuis reuera idem sit.*

Reuera idem.

Bucanus in Institut. theol. loc. 22. pag. 209. *Duo testamenta vnum sunt substantia, seu causarum omnium respectu, efficiente, materia, forma, & fine.*

Idem quoad omnes causas.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus condidit nouum testamentum, secundum testamentum, aliud testamentum, posterius testamentum, nouum testamentum, non secundùm vetus, melius testamentum sancitũ melioribus repromissionibus & quod prius testamentum non vacabat culpa. Consentiunt Catholici.

Protestantes dicunt, quòd testamentum Christi cum veteri testamento est vnum & idem, idem quoad rem & substantiam, vnum prorsus & idem quoad rem ipsam, vnicum & singulare quoad efficientem, materiam, formam, & finem

finem, sola cœna excepta, quòd tantum qualitates variant, quòd tantùm diuerso modo sit initum: quòd non sunt duo reipsa testamenta, non duo diuersa, non duo, sed vnum ac solum, vnum modò, vnum solummodo testamentum, vnicum & idem testamentum. Quæ ita clarè repugnant Scripturæ, vt multi Protestantes id agnoscant, sicut videbimus lib. 2. c. postremo.

ART. X. AN CHRISTVS QVA HOMO laborauerit ignorantia.

NEGAT SCRIPTVRA.

IOan. 16. v. 30. Discipuli dicunt: *Nunc scimus, quia scis omnia.* Et Ioan. vltimo v. 17. Petrus ait: *Domine tu omnia scis.* Ioannis 7. v. 15. *Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas scit cum non didicerit?*

Christus scit omnia. Scit literas cum non didicerit.

Ioan. 2. v. 24. *Iesus non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.* Et ca. 18. v. 4. *Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit &c.*

Scit quid est in homine.

Coloss. 2. v. 3. *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

In eo sunt omnes thesauri scientiæ.

NEGANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 3. parte qu. 15. art. 3. *Sicut in Christo non fuit fomes peccati: ita non fuit in eo ignorantia:* Et qu. 11. art. 1. *Cognouit omnia singularia, præterita, præsentia, & futura.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Non omni tempore sciebat omnia.

Lutherus concione de Natali Domini fol. 67. *Christus non quolibet tempore intellexit omnia.* Vide plura in Hospin. parte 2. fol. 16. & 17.

Non omnia nouit ab initio.

Zuinglius in cap. 2. Lucæ. *Anima Christi in dies profecit cum ab initio non omnia nosset.*

Non nouit speciem arboris.

Caluinus in Matth. 21. v. 18. *Nihil absurdi est, si dicamus secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam.* Et in cap. 24. v. 36. *Nihil absurdi fuit, Christum aliquid secundum hominis sensum nescire.* Et in 2. Lucæ v. 40. *Eius anima subiecta fuit igno-*

Nescinit aliquid. Subiectus fuit ignorantiæ.

rantiæ. Caluinum defendit Sadeel respons. ad articul, abiurat. 30. pag. 454.

Beza in Hebr. 5. v. 7. *Christus sibi ipsi etiam quatenus homo est, ignorationem arcanorum Dei consiliorum ascribere non veretur.* Et in colloq. Montisbel. pag. 177. *Agnoscere nos oporret, Christum tempore humilitatis suæ secundum humanitatem suam multa ignorasse propter nos.* Et pag. 249. cum interrogaretur. *An Christi anima nunc in gloria omnia sciat etiam cogitationes hominum?* respondit: *Nescio.* Item interrogatus: *An homo Christus secundum humanum spiritum, hoc est, secundum animam seu anima sit* καρδιαγνώστης? respondit: *Non.*

Multa ignorauit.

Non nouit secreta cordis.

Bucerus in cap. 24. Lucæ: *Humanam ignorantiam assumpsit.* Gallasius in lib. 2. Irenæi c. 49. *Ita Christus ignorauit, vt disceret ipse, & erudiretur more hominum.*

Ignorauit ita vt disceret more hominum.

Danæus contr. 2. pag. 143. *Anima Christi verè quædam ignorauit & nesciuit.* Item: *Christus ignorat, vbi positum fuerat cadauer Lazari.*

Vorstius in Antibellarmino pag. 36. *Christum iuxta animam suam seu naturam humanam quædam verè & propriè ignorasse, his ferè argumentis probare solemus.*

Proprie ignorauit.

Paræus lib. 5. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 14. pag. 836. *Christus infans cum ignorantia conceptus & natus est.—Ignorauit ficus in arbore.* Et in Collegio Theol. 9. Disput. 6. *Quædam in statu humilitatis mente humana vere aliquando ignorauit.*

Ignorauit ficus in arbore.

Vvitakerus ad rationem. 8. Campiani p. 35. *Ignorantia laborasse Christum, inquis affirmant, Certe. Quidni enim id possint affirmare?*

Serranus contra Hayum parte 3. pag. 284: *Christum aliquid, dum in terris esset, ignorasse, dicit Scriptura.* Pag. 285. *Ignorantiæ obnoxium fuisse nostra causa tam rectè dicitur, ac illum pro nobis fuisse mortuum.* 289. *Pucrili ignorantiæ & obliuioni eum fuisse obnoxium Lucas testatur.* Et 290. *Hanc certè ignorantiæ infirmitatem Filium Dei nostra causa pertulisse qui negat, negat salutis nostræ fundamentum.*

Obnoxius fuit pucrili ignorantiæ.

Ignorantia Christi fundamentum salutis.

COLLATIO.

Secundùm Scripturam, Christus sciebat omnia quæ ventura erant super eum; sciebat omnia, nouit omnes, sciebat

quid esset in homine, sciebat literas etsi eas non didicerat, & erant in eo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ. Consentiunt Catholici.

Secundum Protestantes, Christus non semper omnia intellexit, ab initio non omnia nouit, aliquid nesciuit, multa ignorauit, assumpsit ignorantiam, eius anima subiecta erat ignorantiæ, verè & propriè quædam ignorauit, non erat καρδιαγνώστης, ignorauit vbi positum erat cadauer Lazari, ignorauit ficus in arbore, nesciuit speciem arboris, erat obnoxius puerili ignorantiæ, & ita ignarus vt opus haberet erudiri more aliorum hominum. Atque hæc ignorantia Christi est salutis nostræ fundamentum.

ART. XI. AN CHRISTUS QUA HOmo fuerit verè peccator & exosus Deo.

NEGAT SCRIPTURA.

MAtth. 3. v. 17. *Et ecce vox de Cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Idem Marci 1. v. 12. & 2. Petri. 1. v. 17. *Cõplacuit Deo in Christo.*

Hebr. 7. v. 26. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Et cap. 9. v. 14. *Quantò magis sanguis Christi, qui seipsum obtulit immaculatum Deo, &c.* *Christus innocens segregatus à peccatoribus.*

1. Petri 1. v. 19. *Redempti estis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* Et cap. 2. v. 22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* *Immaculatus. Incontaminatus.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 7. de Iustificat. cap. 10. *Est non solum nouus sed & blasphemus loquendi modus, denominare Christum, siue per imputationem siue quocunque modo, peccatorem.* Et Antidoto in Matthæum cap. 26. v. 39. *Tenendum est Christum, nec aliquod inconsideratum votum emisisse, nec correctione aliquid dignum dixisse, nec preces non moderatas obtulisse, nec placida vnquam moderatione caruisse.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus in psalm. 22. Tom. 3. ita ait de Christo: *Vide-*

Christus fluctuat inter laudem & blasphemiam.
Maximus peccator.
Sub potestate Diaboli.
Inhumanè repulit matrem.
Nihil filij erga eam tulit.
Inhonorauit eam.
Erat vilissimus omnium peccatorum.
Non erat persona innocens.

tur in semet ipso absorbere tentationẽ blasphemiæ, quæ penè eruptura videbatur, velut inter laudem & blasphemiam fluctuans & obmutescens. Tom. 4. in cap. 53. Isaiæ. fol. 222. *Maximus peccator est, vt nullus sit maior in toto genere humano quàm Filius Dei.* Et fol. seq. ait: *Quod sit sceleratus, reus mortis, sub potestate Diaboli & inferni.* Postilla in Dominicam 2. post Epiphaniã f. 178. scribit, quòd Christus *inhumanè modestissimam matris admonitionem repulit, quòd inhumanè se habuit ac nihil filij præ se erga Charissimam matrem tulit*, ac facit Beatam Virginem ita de Christo querentem: *Durè repellens me inhonorauit, & responso tam inhumano coram tot conuiuis suffudit.* Et apud Hospin. part. 2. Histor. fol. 17. inquit: *Christus verus est Deus & seruus & vilissimus omnium peccatorum.*

Idem Lutherus Tom. 5. in cap. 3. Galat. fol. 348. *Omnes Prophetæ viderunt hoc in spiritu, quòd Christus futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, quòd nullus vnquam in mundo maior fuerit, quia existens hostia pro peccatis iam non est persona innocens & sine peccatis, sed peccator. —Si vis negare eum esse peccatorem & maledictum, negato etiam passum, crucifixum, & mortuum.* Fol. 349. *Quæcunque peccata, ego, tu, & nos omnes fecimus & in futurum faciemus, tam propria sunt Christi, quàm si ea ipse fecisset. Et 350. vocat suauissimam doctrinam & consolationis plenissimam, quæ docet Christum pro nobis factum maledictum, hoc est* (inquit ipse) *peccatorem obnoxium iræ Dei,* Et 351. *Non debemus Christum fingere innocentem & priuatam personam, vt Sophistæ & ferè omnes Patres, Hieronymus, & alij fecerunt.*

Erat peccator obnoxius iræ Dei.
Verissimè peccator.
Iniustus, reus, exosus Deo.

Illyricus in Confessione Antuerpiensi c. 6. & in Apologia eiusdem: *Verissimè dici potest peccator, per potentissimam Patris imputationem.* Et in Claue Scripturæ impressa Basileæ 1609. parte 1. verbo *Peccatum*, col. 858. ait, quòd Christum *Deus per imputationem fecerit peccatorem, aut iniustum, reum, Deo exosum.* Et parte 2. col. 534. addit quod Christus *sciebat se Deum sibi iratum habere.* Et in 2. Corinth. 5. v. 21. *Factus est propter nos imputatiuè, ex bona voluntate Patris, omnium maximus peccator.* Et in Matthæi 3. v 15. ait, quòd fuit *imputatiuè omniũ immundissimus, & necesse habuit baptismatibus & iustitiis mũdari.*

Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ artic. 4. pag.372. *Christus nobis factus est peccator, non inhærente qualitate, sed sola imputatione, qua Deus in ipso conuenire fecit omnium nostrum peccata.*

Reineccius to. 3. Armaturæ cap. 15. pag. 137. *Aeternus Pater ipsi* (Christo) *tam culpam quàm pœnam imposuit.* Tom. 4. c. 22. pag. 340. *Deus constituit Filium suum peccatorem.* Hæc Lutherani.

Caluinus in 2. Corinth. 5. vers. 21. *Quomodo iusti coram Deo sumus? Qualiter scilicet Christus fuit peccator.* In Galat. 3. v. 13. *Peccator erat & maledictionis reus, non tam in se quidem quàm in nobis.* *Christus peccator sicut nos iusti.*

Idem Caluinus in 26. Matth. v. 39. ita scribit: *Abruptum fuisse* (Christi) *votum fateor, Inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillabat. Votum illud subito elapsum castigat & reuocat. Non fuit hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia præsentem Cœlestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis redemptorem.* In c. 27. v. 46. *Sed absurdum videtur Christo elapsam esse desperationis vocem. Solutio facilis est: quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde.* *Reus maledictionis. Habuit abruptũ votũ. Quasi vacillat inter tẽtationes. Corrigit vocẽ suam. Elapsa ei desperationis vox.*

Ibidem in v. 47. *Sic videmus omni ex parte fuisse vexatum, vt desperatione obrutus ab inuocando Deo absisteret, quod erat saluti renunciare.* Et in Ioan. 12. v. 27. *Mortem refugiendo mollitiem suam fatetur.* Item: *Votum illud quod ingens mœstitia expresserat mox corrigit. Votum, quod agnoscit suæ vocationi aduersum, retractat. Votum illi inconsideratè effluit, cui statim renunciandum est.* Et cum minimum votum vel cogitatio de re à Deo prohibita, licet inuoluntaria, sit peccatum mortale, dignũ maledictione Dei & pœna æterna ex doctrina Caluini 2. Institut. c. 8. §. 38. Bezæ in Rom. 7. v. 7. 1. Ioan. 5. v. 16. & Protestantium communiter, dicere eos oportet, quòd eiusmodi vota in Christo fuerint peccata mortalia. *Obrutus desperatione. Mollitiem suam fatetur. Corrigit & retracta vota.*

Beza in 2. Corinth. 5. v. 21. *Christus factus est peccatum pro nobis, id est, peccator, non in sese sed ex omnium nostrorum pecca-* *Factus est peccator.*

Et execrabilis.

Pater propriè execratus est filiū.

torum reatu ipsi imputato. Et in Galat. 3. v. 13. exponit illud *Factus pro nobis maledictum, id est, execrabilis.* Et addit: *In eo posita est tota nostra spes, in eo sita est salus nostra, quòd Deus noster propriè & sine tropo effuderit omnem iram in Filium suum, propriè & sine tropo sit eum, quatenus vas noster erat in carne nostra, execratus, vt nos reciperet in gratiam.*

Verè factus est peccator.

Perkinsus in Cathol. Reform. Contr. 4. c. 4. to. 1. col. 385. *Respondeo posse nos dicere & quidem benè, quòd Christus factus sit peccator idque verè.* Et de sermone Domini in monte to. 2. col. 212. *Certißimè affirmare possumus Christum per & propter peccata nostra peccatorem factum fuisse, non actu sed per imputationem.*

Paræus lib. 2. de Iustificat. cap. 7. pag. 472. *Quomodo Christum Deus fecit peccatum, id est, peccatorem, ita nos in Christo reddimur iusti.* Et cap. 10. pag. 509 *Frustra negat aduersarius Christum factum fuisse peccatorem.* In Galat. 3. lect. 35. *Factus est execratio, hoc est, execrabilis.*

Eguit Baptismo.

Danæus Controuer. de Baptismo cap. 23. pag. 422. *Quod autem excipit iste meram esse blasphemiam, si Christus pro nobis peccator fuisse dicatur & Baptismo eguisse, est hoc ipsum blasphemum. — Christus ipsemet docuit se Baptismo hoc, quâ pro nobis homo factus erat, egere.*

Tilenus in Syntagmate cap. 4. pag. 38. *Christus non incommodè dicatur peccator, non in se sed in nobis, nempe ex peccatorum nostrorum reatu ipsi imputato, quemadmodum nos sumus iusti non in nobis sed in ipso.*

Factus est execrabilis.

Maledictus, sicut damnati.

Culpabilis.

Piscator in thesibus lib. 2. pag. 125. *Christus ratione imputationis fuit verè peccator, quià verè imputata sunt ei peccata nostra à Deo, quippe cum propter illa verè factus sit* κατάρα *execratio, id est execrabilis. Execrabilis autem Deo est nemo, nisi propter peccatum, id est, quatenus peccator vel est vel censetur.* Et pag. 619. *Maledictum esse, commune fuit Christo cum illis omnibus quibus dicet ipse in die iudicij: Ite maledicti in ignem æternum.*

Molinæus in scuto fidei artic. 17. sect. 31. pag. 144. *Christus reddidit se culpabilem, vt nos redderet absolutos.*

Scharpius de Iustificat. Controu. 9. pag. 154. cùm Bellarminus diceret: *Blasphemum esse, Christum peccatorem appel-*

lare, respondit: *Blasphemus est Bellarminus, & Scripturæ contradicit.*

COLLATIO.

Scriptura ex professo docet, quòd Christus erat segregatus à peccatoribus, innocẽs, impollutus, immaculatus, incontaminatus, quòd non fecit peccatum, quòd fuit dilectus Deo, & in quo Deo complacuit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Deus fecit Christum peccatorem, iniustum, reum, & exosum sibi, quòd Christus fuit culpabilis, peccator, verè peccator, verissimè peccator, peccator sicut nos iusti, maximus peccator, vilissimus peccator, peccator obnoxius iræ Dei, quòd inhumanè se habuit & nihil Filij præ se tulit erga Matrem, quòd habuit orationem non meditatam, Votum abruptum, votum suæ vocationi aduersum, inconsideratum, corrigendum, retractandum, renunciandum, quòd mollitiem suam fatebatur, aliquando non reputabat se missum ad redimendum mundum, velut inter laudem & blasphemiam fluctuabat, inter tentationum fluctus quasi vacillabat, elapsa est ei desperationis vox, desperatione obrutus ab inuocando Deo desistebat, quod erat saluti suæ renunciare: quòd sciebat Deum sibi iratum esse, quod egebat Baptismo, quòd erat maledictus, maledictus communiter cum damnatis, & execrabilis, & demùm quòd sit blasphemum hæc negare.

ART. XII. AN CHRISTVS RENVERIT fungi officio mediatoris.

NEGAT SCRIPTVRA.

LVcæ 12. v. 50. Christus ait: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur.* *Christus flagrat desiderio patiendi.*
Matth. 16. v. 23. cum Petrus eum dehortaretur à Passione: *Conuersus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Et Matth. 25. v. 53. *An putas, quia, non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* *Cibus Christi, vt patiatur pro nobis.*

Ioan. 4. v. 34. inquit. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Et cap. 18. v. 11. instan-

te passione: *dixit Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam illum?*

Vult bibere calicem passionis.

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Matth. 26. vers. 39. *Caluinus affirmat, quòd Christus redemptoris officio defungi quantum in se est renuerit ac detrectarit: qua grauior accusatio vix à* Pagano *aut Iudæo aliquo Christo intentari potuit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Caluinus in Ioan. 12. v. 27. *Mortem refugiendo, mollitiem suam fatetur.* Item. *Votum, quod agnoscit vocationi suæ aduersum, retractat.* Idem. In Matth. 26. v. 39. *Nondum tamen prorsus soluta est quæstio: Nam cum nuper dictum fuerit rectè compositos fuisse omnes Christi affectus, quomodo nunc se ipsum corrigit? sic enim affectum suum subigit in obsequium Dei, quasi modum excesserit. Certè in primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi, quantum in se est, renuit ac detrectat. Respondeo in eo nihil fuisse vitij, quòd obiecto mortis terrore simul oblata est caligo, vt alijs omnibus omissis ad votum illud prosiliret. Neque hic subtiliter disputare necesse est, an illi obrepere potuerit salutis nostræ obliuio.* Ibidem: *Non reputabat in ipso momento se hac lege missum esse humani generis redemptorem.*

Potuit illi obrepere obliuio salutis nostræ.

Perkinsus in serie causarum &c. cap. 15. Tom. 1. col. 17. scribit, quòd Christus erat *obnoxius huic infirmitati: Non meminisse impositum munus ob agonem concutientem sensus.* Et c. 18. col. 19. *Paulò ante mortem Christi dolor spiritum eius sic turbauit, vt intrinsecus & mirum stuporem, & obliuionem impositi muneris ad tempus incuteret.*

Potuit non meminisse muneris. Oblitus est muneris sui.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus tanto desiderio flagrabat fungendi officio redemptoris, vt coarctaretur donec illud perfecisset: quòd grauiter increpabat S. Petrum quando vel dehortabatur eum à Passione vel eam impedire conabatur, quòd eius cibus erat facere voluntatem Patris, & perficere opus eius. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd habuit votum suæ vocationi aduersum: quòd quantum in se erat, renuebat fungi officio mediatoris, quòd non sit necesse disputare an potuerit obliuisci

uisci nostræ salutis: quòd ad tempus obliuiscebatur impositi sibi muneris.

ARTIC. XIII. AN CHRISTVS TIMVErit de sua salute æterna.

NEGAT SCRIPTVRA.

IOan. 11. v. 41. *Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me, Ego autem sciebam quia semper me audis.* C. 5. v. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Cap. 16. v. 28. *Relinquo mundum & vado ad Patrem.* Cap. 17. v. 10. *Et iam non sum in mundo, & ij in mundo sunt, & ego ad te venio.*

Christus scit quod Pater semper eum audit. Manet in dilectione Patris.

Lucæ 22. v. 69. *Ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Cap. 23. v. 48. *Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso.*

Vadit ad Patrem. Sciebat se fore in Paradiso.

Actorum 2. v. 25. *Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.*

Non commouetur.

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Promptuario Quadrages. feria 4. hebdom. Sanctæ: *Non timet* (Christus) *vel minimam à Deo quoad animæ statum, derelictionem — Quomodo cuiquam credibile esse potest diuinæ maledictionis aut desertionis vel minimam suspicionem in Christum cadere potuisse?*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus in psalm. 22. To. 3. fol. 330. *Cum percussio Dei qua pro peccatis percutit, non solum pœna mortis sit, sed & pauor & horror perturbatæ conscientiæ, quæ iram æternam sentit & sic habet ac si in æternum esset derelinquenda, & proijcienda à facie Dei, certè pronum sequitur & ipsum* (Christum) *passum esse pauorem horroremque conscientiæ perturbatæ & irã æternam gustantis — Quæ autem absurditas, Christo tribuisse conscientiam metuentem ad modicum tempus?* Et fol. 331. ait quòd Christus *non aliter in anima sit pauefactus, quàm nos vel damnati, dum sentiunt horrere ac fugere Deum.* Et addit fol. 333. *Quod vagantissimis pauoribus, in-*

Habuit perturbatã conscientiã. Non aliter pauefactus quam damnati. Vagantissimis pauoribus perturbatissimus.

Summè desperans.

quietissimisque affectibus fuit perturbatissimus Et fol. 330. citato ait *Christum fuisse simul summè gloriantem, & summè desperantem.*

Melancthon in 26. Matth. apud Hoffmeisterum in Arti. 3. Confess. Augustanæ: *Tertia causa pauoris Christi, fuit eademque summa, sensus quidam desertionis & iræ diuinæ, quo fluctuabat Christus inter infernum & vitam.*

Fluctuabat inter infernũ & vitã.

Illyricus in Matth. 26. v. 37. *Describitur agon Christi, non tam cum morte quàm cum ipsa ira Dei.*

Lobechius disput. 6. pag. 119. *Sentiebat iram Dei in se effusam, & horrendum iudicium aduersus peccatum sibi impositum.* Ita Lutherani.

Caluinus 2. Institut. c. 16. §. 12. *Ad aliud tandem cauillum transiliunt; quamuis mortem timuerit Christus, maledictionem & iram Dei, à qua se tutum esse nouerat, non timuisse.* Et respondet: *Asperius & magis arduum fuisse Christo certamen, quàm cum morte communi.* Et in suo Catechismo. c. de fide p. 17. *Quia, vt pro peccatoribus satisfaceret, coram Dei tribunali se sistebat, torqueri hac anxietate eius conscientiam oportebat, ac si derelictus à Deo esset, imò ac si Deum haberet infestum.*

Torquebatur anxietate ac si Deum haberet infestum.

Idem Caluinus in Matth. 26. v. 37. *Horribilis exitij abyssus metu & anxietate duriter eum cruciauit.* In v. 39. *Necesse illi fuit profundam mortis abyssum exhorrescere. — Hic indocti homines insurgunt, remque indignam esse clamitant, quòd veritus sit Christus absorberi à morte: Ego autem ipsos mihi respondere velim, quemnam fuisse metum putent, qui guttas sanguineas Christo expressit: Nunquam enim nisi à diuo & insolito horrore fluxisset mortalis ille sudor — Diuinæ maledictionis horrore perculsus est Christus.* Idem habet in c. 27. v. 46. & in Actor. 2. v. 24. Præterea in Hebræos 5. v. 7. inquit: *Non dubito, quin significet Apostolus, exauditum fuisse Christum ex eo quod timebat, ne scilicet malis obrutus succumberet vel morte absorberetur.*

Horruit abyssum exitij. Profundam abyssum mortis. Timuit absorberi à morte. Timuit diuinam maledictionẽ. Ne à morte absorberetur.

Beza in Hebræ. 5. v 7. *Non desunt, qui clamitent actum esse de Christi diuinitate, si hæc interpretatio admittitur: Timuisse Christum ne malis obrutus succumberet vel morte absorberetur. At ego quæro, an non Christus non modo naturam, sed etiam omnes quantumlibet abiectas & infirmas hominis affectiones vno excepto*

peccato assumpsit, — Et verò nisi hoc etiam modo tentatus est, excepto peccato Pontifex noster, quomodo nos ab hoc malo, quod vnũ est ex præcipuis, id est, à penitissimo illo iræ Dei sensu, à pauore & perculsione animi, de iudicio illo iræ Dei seuerissimo cogitantis, liberauerit? Ibidem bis ait: *Metuit ne malis obrutus succumberet vel morte absorberetur.* Item: *Penè sibi persuadet de se actum esse. — Iudicij Dei horrore sic fuit perculsus, vt nullum extet vel vnquam extare possit simile exemplum.* Et in Lucæ 22. v. 44. *Neque enim cum mortis duntaxat terroribus luctabatur Christus, vt cæteri homines solẽt, sed cum terribili Patris irati iudicio, quo nihil formidabilius cogitari potest, quia nimirum peccatorum nostrorum onus in se receperat. Itaque in hac Christi deiectione consistit nostræ consolationis summa.*

Timuit iudicium iræ Dei.

Pene persuasit sibi de se actum esse.

Summa cõsolationis Protestantium.

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 12. pag. 806. cum Bellarminus dixisset: *Qui fide certus est de sua salute, non potest timere,* respondet: *Propositio, nisi limitetur, est vniuersaliter falsa — Quis certior salutis & prædestinationis suæ, quàm Saluator noster, & tamen nonne clamauit in cruce non sine timore Deus meus &c?*

Timuit de salute.

Serranus contra Hayum parte 2. pag. 289. *Cum mortis æternæ horrore colluctabatur, æternorum suppliciorum pondera exhorrescebat.*

Timuit supplicium æternum.

COLLATIO.

Secundum Scripturam, Christus sciebat, quòd Pater eum semper audit, quòd manebat in Patris dilectione, quòd ibat ad Patrem, quod ipso die passionis futurus erat in paradiso, quòd Pater semper erat ei à dextris, ne commoueretur. Eadem docent Catholici.

Secundũ Protestantes, Christus passus est horrorẽ conscientiæ iram æternam gustantis, non aliter fuit in anima pauefactus, quàm damnati, erat summè desperans, fluctuabat inter infernum & vitam, colluctabatur cum horrore mortis æternæ, exhorrescebat supplicia æterna, habuit magis arduum certamen quàm cum morte communi, cruciatus fuit metu horribilis exitij, exhorruit profundam abyssum mortis, veritus est absorberi à morte, perculsus fuit horrore diuinæ maledictionis, torquebatur anxietate ac si Deum haberet infestum,

timuit de salute, penè persuasum illi fuit actum de se, percussus fuit horrore iudicij Dei magis quàm vnquam vllus fuit aut esse possit, & in huiusmodi horrore Christi consistit nostræ consolationis summa.

ART. XIV. AN CHRISTVS ACCEPErit mandatum à Patre ponendi animam suam, seu moriendi.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Christus habuit mādatum ponendi animam.

IOannis 10. v. 18. *Nemo tollit eam* (animam) *à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Et c. 18. v. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.*

Fuit obediēs vsque ad mortem.

Philippens. 2. v. 8. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 3. parte qu. 47. artic. 2. *Christus mandatum accepit à Patre vt pateretur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non fuit lex vt Christus moreretur.

Polanus in disputationibus priuatis periodo 1. disput. 36. pag. 93. *Dicunt: lex lata est, vt* (Christus) *moreretur, sed hoc est contra Scripturam — Ita enim ipsius meritum non fuisset voluntarium.*

Paræus in cap. 4. Galat. lect. 51. ait Socinum arguisse, quòd Christus non potuit nos redimere, si subiectus fuisset legi, quia nemo redimit soluendo quod ipse tenetur dare. Et addit Paræus quosdam negare, quòd Christus fuit subiectus legi; ipseque inquit, quòd fuit subiectus legi naturæ, sed quòd redemit nos subeundo mortē (seu vt ipse loquitur maledictionem) quam non tenebatur subire. Atqui si non tenebatur subire mortem, certè mors non fuit ei præcepta. Vnde in c. 2. lect. 26. ait, quod *mors fuit respectu Christi præstatio indebi-*

ti sui, & ita meritum. Idemque debent alij dicere, qui negant nos mereri, quia tenemur facere bona quæ facimus. Vnde Vorstius in Antibellarm. pagin. 638. *Vbi debitum est, ibi meritum propriè dictum esse non potest.* Itemque illi, qui asserunt, quòd meritum non debet esse præceptum: vt Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ artic. 4. *In omni merito propriè dicto, necesse est vt oblatio sit non præcepta:* Aut ergo censent Christum morte sua non propriè meruisse, aut eam non fuisse illi præceptam.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus accepit mandatum à Patre ponendi animam suam, quòd Pater dedit illi calicem passionis, quòd Christus fuit obediens vsque ad mortem, & quòd eius obeditione cõstituimur iusti. Atqui (vt ait ipse Polanus parte. 2. Thesium pag. 219.) *Obedientia, ne quidem cogitari potest, nisi respectu legis cui illa præstatur.* Eadem docent Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non fuit lex lata Christo vt moreretur, quòd non fuit subiectus legi.

ART. XV. AN CHRISTVS MERVERIT aliquid sibi vel ipse habuerit aliquid propter meritum.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

PHilippens. 2. v. 8 & 9. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem crucis, Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.* *Christus exaltatus propter humiliationẽ.*

Hebræos 2. v. 9. Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum. *Coronatus propter passionem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 3, parte qu. 19. art. 3. *Christus gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam, sicut est ascensio, veneratio, & alia eiusmodi, habuit per meritum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Philippens. 2. v. 9. *Nec Christus sibi quicquam vel quæsiuit vel accepit.* Et 2. Instit. cap. 17. §. 6. *Quærere an* *Nihil sibi accepit. Nihil sibi meruit.*

Christus sibi ipsi meruerit (quod faciunt Scholastici) non minus stulta est curiositas, quàm temeraria definitio, vbi hoc idem asserunt. —Quibus meritis assequi potuit homo, vt iudex esset mundi, caput Angelorum?

Non potuit mereri vt esset iudex.

Danæus Controuers. 2. pag. 207. *Sententiarij Christum sibi quoque meritum aiunt: nos autem negamus.*

Nõ meruit exaltationem.

Paræus lib. 5. de Iustificat. c. 3. pag. 1237. *Falsum: Christum sibi esse meritum exaltationem.*

COLLATIO.

Iuxta Scripturam, Christus fuit exaltatus & donatus nomine super omne nomen propter humiliationem suam, & coronatus gloria propter passionem, Consentiunt Catholici.

Iuxta Protestantes, Christus non meruit exaltationem: Nihil sibi accepit, nihil sibi meruit, non potuit mereri vt iudex esset mundi, caput Angelorum.

ART. XVI. AN CHRISTVS DIGNO PRETIO nos redemerit, seu verè meruerit nostram redemptionem.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Emit pretio magno.

1. Corinth. 6. v. 20. *Empti estis pretio magno.*

1. Timoth. 2. v. 6. *Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem* (Græcè ἀντίλυτρον) *pro omnibus.*

Dedit ἀντίλυτρον.

1. Petri 1. v. 18. *Non corruptilibus auro vel argento redempti estis —sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

Redemit nos pretioso sanguine.

1. Ioan. 3. v. 16. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* C. 4. v. 10. *Deus misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*

Anima sua.

Psalmo 129. v. 7. *Quoniam apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 3. parte qu. 48. art. 2. *Christus ex charitate & obedientia patiendo maius Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret recompensatio totius offensæ humani generis — Passio Christi*

non solùm sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis.

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus 2. Institut. c. 17. §. 1. *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere vellet iudicio Dei, non fore merito locum; quia non reperietur in homine dignitas quæ possit Deum promereri.* Et §. vltimo: *Quibus meritis asse qui potuit homo, vt iudex esset mundi, caput Angelorum.* Et 3. Institut. c. 11. §. 12. *Stultè ab eo obijcitur: iustificandi virtutem tam Angelis quàm hominibus longè superiorem esse; quando hoc non ex dignitate Creaturæ cuiusquam, sed ex Dei ordinatione pendet. Si Angelis libeat Deo satisfacere, nihil proficient, quia non sunt ad hoc destinati; homini autem Christo hoc singulare fuit, qui legi subiectus est, vt nos à maledictione legis redimeret.*

In iudicio Dei Christus nō potuit mereri.

Vis iustificandi nō ex dignitate Christi.

Idem Caluinus in 1. Ioan. 4. v. 10. *Respondeo: cum dicitur Christus placasse nobis Patrem, hoc ad sensum nostrum referri. Nam vt sumus malè nobis conscij, Deum non nisi iratum & infestum concipere possumus, donec à reatu Christus nos absoluat. — Ergo quoad fidei nostræ sensum Deus nos in Christo amare incipit.* Ac si dicat, Christus non re ipsa placauit nobis Patrem, sed tantùm fecit nos sentire quòd Pater erat nobis placatus.

Christus placauit Patrē quoad sensum nostrum.

Danæus Controuers. 2. lib. 5. pag. 210. *Tres meriti conditiones necessariæ deficiunt in opere Creaturæ & Christi hominis ad Creatorem: — Nam per vnionem hypostaticam accepit omnia Christus per quæ mereri dicitur: ergo minimè meretur:* Quæ verba in vno exemplari reperi aperta & oculis exposita, in alio verò tecta à charta agglutinata, in qua alia erant verba typis impressa. Et pag. 200. *Christus, quà homo, nihil apud Deum propriè meritus est.* Et pag. 202. *Imò nec in hac serui forma quicquam sibi mereri potuit Christus, quoniam in ea forma fuit creatura. At verò creatura de suo Creatore nihil mereri potest.*

Tres necessariæ conditiones meriti desunt in opere Christi.

Nihil propriè meruit.

Spindlerus apud Schusselburg. lib. 4. Theol. Caluin. c. 5. pag. 62. *Errant Lutherani, asserentes Christi mortem esse λύτρον sufficiens pro omnium & singulorum hominum peccatis.*

Christi mors nō sufficiēs λύτρον.

Piscator apud Vorstium in Parasceue cap. 6. pag. 31. *Christus ne sufficienter quidem, ne dum efficaciter, pro omnibus mortuus est.*

Ne sufficiēter mortuus pro omnibus.

Christi sanguis non satisfecit iustitiæ Dei.

Vvelsingius apud Homium in Specimine Controuer: Belgicarum articul. 21. pag. 73. *Christi sanguine satisfactum iustitiæ Diuinæ fuisse pro peccatis nostris, nec id vsquam extat, & apertè pugnat cum liberali & iusta peccatorum remissione, quam Deus nobis per Iesum Christum obtulit.*

Mereri, est sordidum.

Paræus lib. 5. de Iustificat. cap. 3. pag. 1237. *Mereri seruorum est, seruile, sordidum.*

Christus non meruit cælum.

Tindallus Pseudoapostolus Angliæ art. 7. apud Foxum in Actis pag. 1136. edit. 1610. *Christus cum omnibus operibus suis non merebatur Cœlum.* Idem sequitur ex opinione eorum, qui (vt supra retulimus) dicunt opus meritorium non debere esse vel debitum vel præceptum.

COLLATIO.

Iuxta Scripturam: Est copiosa redemptio apud Deum, Christus emit nos pretio magno, redemit nos pretioso suo sanguine, mediator Dei & hominũ dedit se ipsum ἀντίλυτρον pro nobis, Deus posuit animam suam pro nobis, misit Filiũ suum propitiationem pro peccatis nostris; Atqui copiosa redemptio, pretium magnum, ἀντίλυτρον, sanguis Christi, mediator Dei & hominum, anima Dei, Filius Dei, est dignum & iustissimum pretium pro peccatis. Consentiunt Catholici.

Secundum Protestantes: non est in Christo locus merito si opponatur iudicio Dei; virtus iustificandi in ipso non pendet ex dignitate sed ex Dei ordinatione; Christus cum omnibus operibus suis non merebatur Cælum; non merebatur; tres conditiones necessariæ ad meritum illi defuerunt; sanguis eius non satisfecit iustitiæ Dei: ne sufficienter mortuus est pro omnibus; mors eius non potuit esse sufficiẽs λύτρον pro peccatis omnium; mereri est seruorum, seruile, sordidum, & cum dicitur placasse Patrem, id refertur ad sensum nostrum.

ART.

ART. XVII. AN CHRISTVS SANGVINE suo, seu morte corporea nos redemerit.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

COlossens. 1. v. 22. *Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem.* Et v. 20. *Pacificans per Sanguinem Crucis eius siue quæ in terris siue quæ in Cælis sunt.* *Reconciliauit per mortem. Pacificauit per sanguinem.*

Hebr. 10. v. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Et cap. 9. v. 12. *Per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta.* Ephes. 1. v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* *Sanctificati per oblatione corporis.*

1. Petri. 1. v. 19. *Redempti estis pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* *Redempti per sanguinem.*

Apocalyps. 5. v. 9. *Redemisti nos Deus in sanguine tuo.* *Pretioso sanguine. In sanguine.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 3. parte qu. 48. art. 5. *Pretium redemptionis nostræ, est sanguis Christi, vel vita eius corporalis, quæ est in sanguine.* Stapletonus in Promptuario Quadrages. feria 4. hebdom. sanctæ: *Caluinus non solùm aliud pretium præter mortem corpoream Christi, sed aliud maius, idemque excellentius statuit: Hoccine Christianæ aures ferre possunt?*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus 2. Institut. c. 16. §. 10. *Nihil actum erat, si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus. — Aliud maius & excellentius pretium fuit, quòd diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* *Nihil actū per solam corpoream mortem. Aliud excellentius pretium.*

Vvitakerus lib. 8. contra Duræum: sect. 18. *Caluinus verissimè scripsit: Nihil actum fuisse, si mortem tantùm corpoream Christus obijsset.*

Perkinsus de sermone Domini in monte Tom. 2. col. 576. *Ratio ipsa dictat, mortem corporalem solam* (Christi) *eos redimendo esse non posse, qui mortem corporis & animæ meruerunt.* *Mors corporalis Christi non sufficiebat.*

Beza lib. quæstionum & Respons. in Volum. 1. Theol. pag. 657. *In medijs Inferorum cruciatibus versatus est, vt nos plenè ab vtraque morte liberaret.* Et in cap. 22. Lucæ v. 44. ait, quòd posita est nostræ cum Deo reconciliationis summa in

lucta Christi cum terribili Patris irati iudicio.

Scharpius de Iustificat: Controuer. 16. pag. 236 scribit, quòd nonnulli Protestantes *aiunt Scripturæ loca, in quibus dicitur Christum pro nobis mortuum esse, tantùm debere intelligi de sensu iræ Dei, non autem de morte naturali, & mortem corporis ad expiationem nihil contulisse, nec satisfactionis pro peccatis partem fuisse.* Et ipse pag. 243. inquit: *Sola passio* (Christi) *pœnæ debitæ, non meretur vitam.* Idem docent Spindlerus, Piscator, & Vvelsingius citati artic. præcedenti.

Mors corporis nihil contulit ad expiationē.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus sanctificauit nos per oblationem corporis sui, quòd reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, quòd pacificauit omnia per sanguinem crucis eius, quòd inuenit æternam redemptionem per proprium sanguinem, quòd redemit nos per sanguinem, pretioso sanguine, in sanguine suo. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd mors corporalis Christi nihil contulit ad expiationem, nec fuit pars satisfactionis pro peccatis: quòd sola non merebatur vitam, nec sufficiebat redimere eos qui mortem corporis & animæ meruerant; quòd nihil actum fuisset si Christus tantùm mortem corpoream passus esset, sed quòd fuit aliud maius & excellentius pretium, in quo posita est nostræ cum Deo reconciliationis summa. Quæ tam aperte contradicunt Scripturæ, vt ipse etiam Caluinus id fateatur, prout videbimus lib. 2. c. vltimo.

ARTIC. XVIII. AN CHRISTVS MORtuus sit pro impijs & reprobis:

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Christus mortuus pro impijs.

ROm. 5. v. 6. *Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est?* C. 14. v. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.*

Pro ijs qui pereunt.

1. Corinth. 8. v. 11. *Et peribit infirmus in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est.*

Pro iniustis.

1. Petri 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis.*

2. Pet. 2. v. 1. & seq. *Fuerunt verò & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem — quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.* *Pro ijs qui superducũt sibi perditionem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 7. *Dominus pro iniustis passus & mortuus est.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus lib. contra Heshusium pag. 849. *Scire velim, quomodo Christi carnem edant impij, pro quibus non est crucifixa, & quomodo sanguinem bibant, qui expiandis eorum peccatis non est effusus?* *Non mortuus pro impijs.*

Beza in Colloquio Montisbel. p. 447. *Christus non est mortuus pro peccatis damnatorum. — Non pro impijs & damnatis effudit sanguinem in remissionem peccatorum.* In 2. part. Respons. ad acta illius Colloquij p. 215. *Et certè nobis intolerabilis vox vestra visa est: Christum esse mortuum pro damnatis.* Et pag. 221. *Iterum dico, & coram tota Dei Ecclesia profiteor; falsum, blasphemum, impium esse dicere Christum, siue quod ad Dei consilium attinet, siue quod ad effectum, non minus pro damnandorum peccatis passum esse & satisfecisse, quàm pro peccatis Petri & Pauli & omnium Sanctorum.* Et epistol. 28. *Falsum est, Christum etiam esse infidelium mediatorem.* *Non pro peccatis dãnatorum. Non pro damnatis. Non est mediator infidelium.*

Zanchius in summa prælectionum tom. 7. col. 272. *Christus secundum propositum Patris pro ipsis tantùm electis natus, precatus, mortuus, passus est.* Idque repetit col. 274. Et in depulsione Calumniarum col. 253. *Reprobi non sunt redempti per Christũ.* Et c. 265. *Pro solis electis obtulit se Christus, non pro mundo, hoc est, pro reprobis incredulis.* *Mortuus tantùm pro electis. Reprobi nõ redẽpti per Christum.*

Rainoldus thesi 4. p. 122. *Mali, vt dicantur fideles ob fidei professionem aut temporariam fidem: redempti tamen non sunt fundatiuè in Christo.* *Mali non redempti in Christo.*

Perkinsus de Prædestinat. tom. 1. col. 135. *Quos non agnouit aliquando, nunquam emit vel redemit pretio sanguinis.* Et col. 137. *Horum Christus semiredemptor tantùm est, & proinde non redemp-* *Christus nõ redemptor reproborũ.*

ror. Et de desertion. &c. col. 1023. *Christus Electorum solummodo, & nullorum præterea, redemptor existit.*

Mortuus pro solis electis. Mediator tantum electorum.

Contra-Remonstrantes in Collatione Hagæ pag. 133. *Christus propriè mortuus pro solis Electis.* Et 138. *Est mediator destinatus solis Electis & non alijs quoque seruandis.* Idem docet Polanus in Sylloge parte 1. p. 259. Bucanus in Institut. loco 36. Riuet tractatu 3. Sect. 35. & alij.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus mortuus est pro impiis, pro iniustis, pro ijs qui pereũt, & perdũtur: quòd emit magistros mẽdaces qui introducunt sectas perditionis, & superducunt sibi perditionem, & quorum perditio non dormitat. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus non est mortuus pro impijs, non pro damnatis, non pro peccatis damnatorum, tantùm pro electis: quòd reprobi non sunt redempti per Christum, nec empti, nec redempti: quòd mali non redempti in Christo: quòd Christus non est mediator infidelium, quod est mediator destinatus solis Electis, non redemptor reproborum. Quæ tam directè contradicunt Scripturæ, vt multi Protestantes id confiteantur, prout videbimus lib. 2. cap. vltimo.

ART. XIX. AN CHRISTVS MORTVVS sit pro omnibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Mortuus pro omnibus. Saluator omnium hominum. Mortuus pro omnibus. Pro peccatis totius mundi.

2. COrinth. 5. v. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.*

1. Timoth. 2. v. 6. *Christus Iesus qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* C. 4. v. 10. *Qui saluator est omnium hominum, maximè fidelium.*

Hebr. 2. v. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.*

1. Ioan 2. v. 2. *Et ipse est propitiatiò pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* cap. 4. v. 14. *Pater misit Filium saluatorem mundi.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap.3. Etsi *Christus pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis eius beneficium recipiunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in 1. Ioan. 2. v. 2. citat.: *Sub omnibus, reprobos non comprehendit.* Et in 1. Timoth. 2. v. 5. *Particula vniuersalis, semper ad hominum genera referri debet, non ad personas.* *Non pro reprobis.*

Bucerus apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 109. *Cum pro multis & non pro omnibus sanguinem suum effusum iri dixerit, ipsum &c.* *Non pro omnibus.*

Sadeel ad Artic. Abiurat. 7. pag 425. *Perperam loquuntur, cùm aiunt per mortem Christi fuisse redempta totius mundi peccata.* *Non redemit totius mundi peccata.*

Zanchius in thesibus tom. 7. col. 281. *Dici non potest Dei voluntatem propriè & simpliciter fuisse, vt Christus pro salute omnium moreretur.* *Non mortuus pro salute omnium.*

Perkinsus de Prædestinat. Tom. 1. col. 144. *Christum omnes & singulos ex parte sua redemisse & reconciliasse Deo, ex his tamen plurimos quoad euentum damnari, mirè absurdum.* Et de sermone Dom. in monte tom. 2. col. 341. *Opinio redemptionis vniuersalis, est humani cerebri commentum.* *Non redemit omnes & singulos.*

Piscator in Thesibus lib. 1. pag. 447. *Vtrùm Christus pro omnium & singulorum hominum peccatis satisfecerit, sicque vniuersalem redemptionem pro vniuersis & singulis acquisierit? Nego.* Et lib. 2. pag. 371. *Non pro omnibus in vniuersum hominibus, sed pro solis Electis mortuus est Christus—Christum pro omnibus hominibus mortuum esse sufficienter sed non efficaciter, negamus.* Pag. 177. *Non igitur Christus pro omnibus sed pro aliquibus mortuus est.* *Non redemit omnes & singulos. Non sufficienter mortuus pro omnibus.*

Grossius in Analysi Abacuc 2. v. 4. pag. 389. *Turpiter errant illi, qui contendunt Christum pro vniuersis & singulis hominibus nullo dempto aut excluso mortuum esse ad salutem ipsorum æternam.* *Non pro omnibus sed pro aliquibus.*

Bucanus in Institut. Theol. loc. 36. pag. 396. *An non Christus est omnium redemptor? Minimè.* *Non est redemptor omnium.*

Riuettus in Controuers. tract. 3. sect. 35. pag. 951. *Christus*

non est mortuus pro omnibus vniuersaliter. Sic etiam Pareus in Collegio Theol. 7. Disput. 5. Colleg. 8. Disput. 23.

COLLATIO.

Iuxta Scripturam, Christus est Saluator mundi, saluator omnium hominum maximè fidelium, est propitiatio pro peccatis totius mundi, dedit se ipsum redemptionem pro omnibus, gustauit mortem pro omnibus, est mortuus pro omnibus qui mortui sunt. Consentiunt Catholici.

Iuxta Protestantes, Christus non est mortuus pro omnibus sed pro aliquibus, non pro vniuersis & singulis, non redemit omnes & singulos, non potest dici Deum propriè voluisse vt moreretur pro omnibus, non est redemptor omniũ, neque efficaciter neque sufficienter mortuus est pro omnibus. Quæ tam apertè contradicunt Scripturæ, vt multi Protestantes id agnoscant, sicut ostendemus lib. 2. cap. postremo. Imo ipse Caluin. in Isaiæ 42. v. 6. ait quòd Deus *omnes homines, nemine dempto, ad se vocat, omnibusque Christum destinat vt ab ipso illuminemur.* Idque ait Prophetam ibi docere.

ART. XX. AN SANGVIS QVO CHRIstus nos redemit computruerit & corruptus fuerit?

NEGAT SCRIPTVRA.

Deus non dat Sanctũ suum videre corruptionem.

ACtor. 2. v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

1. Petri. 1. v. 19. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

NEGANT CATHOLICI.

Sanguis Christi non quid corruptibile.

Sanctus Thomas 3. parte qu. 54. art. 2. *Totus sanguis qui de corpore Christi fluxit, cũ ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Substantia sanguinis Christi periit.

Perkinsus in cap. 1. Apocalyp. tom. 2. col. 41. *Substantia illius sanguinis* (Christi) *quæ effusa est perijt, quicquid garriant Papistæ.* Et in Cathol. Reform. Controuers. 10. cap. 3. to. 1. col.

424. *Sanguis qui in cruce ex manibus, pedibus, & latere Christi effusus in terram defluxit, non est recollectus, neque vnquam rursus rediit in venas suas, neque quisquam scit quid de eo sanguine sit factum.* *Non fuit recollectus.*

Beza in 2. parte Respons. ad Acta Colloquij Montisbel. pag. 108. *Qui tamen ipse sanguis è vulneribus Christi stillans quò deuenerit, & an rursum ab ipso resurgente sit idem ille receptus, curiosum ac etiam profanum fuerit disputare.* *Profanum disputare quò deuenerit.*

Musculus in locis titulo de Cœna pag. 678. *Non est vt disputemus de sanguine Christi quonam peruenerit postquam in terram fuit effusus, an receptus in clarificatum ipsius corpus fuerit, vel secus.* *Nō disputandū quò deuenerit.*

Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. artic. 20. f. 84. refert Curæum asserentem *Sanguinem Christi pro nobis effusum in cruce, dudum dißipatum esse.* Item: Erastum & eius complices dicentes, *sanguinem Christi pro peccatis nostris effusum, computruisse, nec amplius esse in rerum natura.* Similia refert de alijs ibidem fol. 85. & in Catal. Hæret. to. 3. pag. 332. *Dißipatus est.* *Computruit nec est amplius in rerū natura.*

Germanus Bauarus apud Feuardentium lib 4. Theomachiæ Caluin. cap. 16. *Christi sanguis substantialis non præbetur in cœna, quandoquidem in terra corruptus sit*, Similia habent Vvitembergenses ibidem. *Corruptus est.*

COLLATIO.

Scriptura docet, Sanctum Dei non vidisse corruptionem, neque redemptos nos esse rebus corruptibilibus, sed pretioso sanguine Christi. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, profanum esse quærere quò deuenerit Christi sanguis, quòd sanguis eius est dissipatus, corruptus non recollectus, computruit, perijt, non est amplius in rerum natura.

ART. XXI. AN CHRISTI ANIMA descenderit ad Inferos.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ACtorum 2. v. 27. dicitur de Christo: *Non derelinques animam meam in Inferno.* Ibidem v. 31. *Prouidens locutus est de* *Anima Christi fuit in inferno.*

resurrectione Christi, quia neque derelictus est in Inferno, neque caro eius vidit corruptionem.

Symbolum Apostol. *Descendit ad Inferos.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Descendit ad Inferos. Stapletonus in Antidoto Actor. 2. v. 27. *Hic locus descensum Christi ad Inferos quoad animam iuxta Symboli Christiani articulum luculenter probat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non descendit. Vrsinus in Catechismo pag. 274. *Neque anima Christi descendit. Anima Christi post mortem non fuit in Inferno.*

Non abijt ad sedes inferorum. Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 23. *Caluinus defendit animam Christi nunquam ad Inferorum sedes abiisse.* Et lib. 9. sect. 27. *Christi animam à corpore solutam, non modò ad Inferos nequaquam descendisse, sed mox in Cælum sublatam esse, credo.* *Nequaquã descendit ad Inferos.*

Non descendit ad inferos. Perkinsus in explicat. Symboli to. 1. col. 678. *Quod si dicamus, Christum anima sua descendisse ad Inferos, quid aliud facimus, quàm vt perspicuam illam primi & secundi Adami antithesim de medio tollamus?*

Bucerus in cap. 27. Matth. pag. 512. *Quæ Theologi superioris sæculi de reali illo descensu Christi disputarunt, non sunt.*

Non descẽdit reipsa ad Inferos. Beza in Actor. 2. v. 27. *Qui per Inferos intellexerunt locum, quem vulgò vocamus Les Enfers, quasi eo reipsa descenderit spiritus Christi, valde profectò sunt hallucinati.*

Descensus ad inferos est fabula. Serranus contra Hayum parte 3. pag. 522. *Beza Pontificiæ fabulæ de animæ Christi ad Inferos descensu aditum præcludere volens &c.*

Non refert scire. Hemingius in Enchyridio Theol. Classe 3. pag. 263. *Non refert scire magnoperè quomodo Christus ad Inferos descenderit, modò vera fide teneatur ipsum ab inferorum potestate nos liberasse.*

Ad nulla loca inferni descendit. Polanus in Disput. priuatis Periodo 2. disput. 23. *Christi anima ad nulla loca inferni descendit.* Idem habet period. 1. disp. 7 Sic etiam & Pareus in collegio Theol. 1. disp. 5. Et 6. disput. 10. & 9. disput. 6.

Vorstius in Antibellarm. pag. 45. *Christus neque secundum diuinitatem, neque secundum corpus, neque secundum animam localiter ad Infernum, hoc est, locum aliquem subterraneum descendit.*

Aretius in locis parte 1. fol. 72. *Alij* (Protestantes) *planè negant omnem descensum Christi ad Inferos: nonnulli grauiùs impugnant hunc descensum, dicunt enim planè tollendam è Symbolo hanc sententiam.* Quid simile refert Campianus Ratione 8. tentatum fuisse in conuenticulo Londinensi. *Tollendus articulus de descensu ex Symbolo.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd anima Christi fuit in Inferno. Et Symbolum Apostolorum, quòd descendit ad Inferos. Eadẽ Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non descendit ad Inferos, nequaquam descendit ad Inferos, non abijt ad sedes Inferorum, non reipsa descendit ad locum Inferorum, non realiter descendit ad Infernum, quòd ad nulla loca Inferni descendit, quòd non magnoperè refert scire quomodo ad Inferos descenderit, quòd descensus Christi ad Inferos sit fabula Pontificia, quòd sit tollendus è Symbolo. Hanc etiã Contradictionem agnoscunt Protestantes lib. 2. capit. vltimo.

ART. XXII. AN CHRISTVS SVBIERIT poenas Inferni, Damnatorum, & mortem secundam.

NEGAT SCRIPTVRA.

ACtor. 2. v. 24. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus Inferni, iuxta quod impossibile erat tenere illum ab eo.* *Christus soluit dolores inferni.*

Psalmo 87. v. 8. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* *Erat liber inter mortuos.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Promptuario Quadragesf. Feria 4. hebmad. Sanctæ ait esse *verba verè satanica & execrandas blasphemias Caluini, quòd Christus diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus in Psalm. 22. tom. 3. fol. 330. *Passus est* (Christus) *ea quæ pro peccatis nos pati oportuisset, & quæ damnati iam patiuntur.* Fol. 333. *Hic clarè videmus Christum passum esse pœnam peccatis propriè debitam, & gustasse mortem & Infernum.* Et in c. 42. Genes. tom. 6. fol. 586. *Arbitror Christum sustinuisse dolo-* *Passus est pœnam dãnatorũ. Gustauit infernum.*

res Inferni,—Sciamus Christum oportuisse ferre pœnam gehennæ. Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ Art. 3. disput. 10. pag. 324: *Veros Inferni dolores Christus est perpessus.*

Tulit pœnā gehennæ.

Lobechius disput. 6. p. 130. *Nihil incommodi habet dicere Christum perpessum esse in anima sua iram Dei aduersus peccata, & quidem talem qualem damnati experiuntur, partim in hac vita, partim in futura vita.* Idque repetit pag. 136. vbi etiam addit quòd *sustinuit supplicium desperatorum ac damnatorum ac sempiternas pœnas.*

Sustinuit supplicium dānatorū.

Reineccius tom. 2. Armaturæ c. 49. pag. 159. *In horto & in cruce sensit dolores Infernales.* Et p. 162. *Conqueritur se sustinere supplicium desperatorum ac damnatorum.* Hæc Lutherani.

Sensit dolores infernales.

Caluinus 1. Instit. c. 16. §. 10. *Eam mortem pertulit quæ sceleratis ab irato Deo infligitur — diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit. §. 11. Cum Diaboli potestate, cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conseruit.* In Catechismo c. de Fide, quærit: *Quî fieri potest, vt Christus qui salus est mundi, huic damnationi subiectus fuerit?* & respondet. *Non ita illam subijt vt sub ea maneret.* Item: *Hinc colligimus, quid differat conscientiæ tormentum quod sustinuit, ab eo quo cruciantur peccatores quos Dei irati manus persequitur, Nam quod in illo temporarium fuit, in ijs est perpetuum. Sic est.* Et in Rom. 10. v. 6. *Inferorum horrores subijt, vt nos inde liberaret.*

Supplicium dānatorū. Diros cruciatus damnatorum.

Subijt damnationem.

Horrores inferorum.

Beza lib. quæst. & respons. vol. theol. 1. pag. 657. *In medijs Inferorum cruciatibus versatus est.* Et Actorum 2. v. 27. inquit: *Quidam non ita pridem ausus est scribere, Christi animam verè ad loca illa puniendis reprobis destinata peruenisse, & ibi quoque pœnas peccatis nostris debitas luisse.*

Danæus Controuers. 2. pag. 165. *Bellarminus respondet solā mortem, quam in corpore passus est Christus, satisfecisse Deo pro peccatis nostris. Falsum est hoc quoque. Nam stipendium peccati est mors, sed ea duplex est. Prima, quæ est animæ à corpore separatio; & secunda, quæ est Dei ab anima nostra — Hanc vtramque, ac proinde corporis & animæ mortem passus est, & quidem totam pro nobis Christus, non autem solius corporis.*

Passus est mortem secundam & separationē animæ à Deo.

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 36. *Quem illum sensum fuisse putes, qui Christo tantum angorem ac tristitiam attu-*

lit, vt sudorem ei sanguineum expresserit; Num mortem verò illam quæ vitam sensumque aufert? Et lib. 8. contra Duræum sect. 20. ait, quòd Christus *Inferni dolores ad tempus sustinuit.*

Perkinsus in Explicat. Symboli col. 679. *Alij sic exponunt: Sensit ac pertulit cruciatus & angustias Inferni: Bona & vera est hæc expositio.* Col. 680. *Verba illa: Crucifixus, mortuus, & sepultus, non intelligi oportet de communi ac consueta morte, sed de morte execrabili ac maledicta, qua plenam sustinebat iram Dei Christus, imò angustias Inferni cum corpore tum animo.* Et tom. 2. in 3. Galat. col. 143. *Neque in eo offendiculum vllum est, si dicatur eum tulisse pœnas Inferni.* De sermone Dom. col. 575. *Christus peccata Electorum pertulit, vnà cum pœna iis debita, substantiam eius quòd attinet, mortem nempè primam & secundam.—secunda tamen morte non est propriè mortuus, eam tamen pertulit.* *Pertulit cruciatus inferni.* *Passus est mortem execrabilē.* *Tulit pœnas inferni.* *Mortem primam & secundam.*

Parkes contra Vuilletum pag. 114. *Lutherus, Illyricus, Latimerus, docebant Christum descendisse in Infernum anima & corpore, ibique sustinuisse tormenta post mortem.*

Vrsinus in Catechismo pag. 277. *Summos cruciatus angustias & dolores Christus perpessus est in anima sua, quales damnati experiuntur—Debuit nos ab angustiis & cruciatibus Inferni liberare: ergo debuit ipse hos experiri.* 278. *Credere in Christum qui descendit ad Inferos, est credere Christum in anima sua sustinuisse cruciatus & dolores Infernales.* *Expertus est cruciatus inferni.*

Polanus in Sylloge thesium parte 3. pag. 450. *Mortuus est Christus æterna morte.* Et tum ibi pag. 449. & parte 2. pag. 90. & 91. & in Syntagmate Theol. lib. 6. cap. 21. ait Christum sustinuisse dolores Inferni. *Mortuus est morte æterna.*

Vorstius in Antibellarmin. pag. 40. *Sustinuit cruciatus Infernales.* *Sustinuit cruciatus infernales.*

Piscator in thesibus lib. 2. pag. 370. *Vt Christus iudicio Dei pro nobis satisfaceret, atque ita Deum nobis reconciliaret, oportuit eum pro nobis gustare mortem æternam seu bibere poculum iræ Dei, hoc est, sentire cruciatus Infernales.* *Gustauit mortem æternam.*

Festus Homius in Disput. 10. pag. 39. *Hæc est mors illa æterna, quam nostri vice pati debuit & perpessus est, consistens in immensitate agonum, cruciatuum, & dolorum Infernalium.* *Passus est mortem æternam.*

Scharpius de Iustificat. Controu. 1. pag. 18. ait, quod

passiua iustitia Christi, quæ nobis imputatur ad iustificationem, erat *sensus iræ Diuinæ & mortis æternæ.*

Arsit flammis inferni.

Pareus in Galat. 3. lectione 35. *Luit æternam execrationem, non duratione quidem, sed æquiualentem virtute.* Et in Collegio Theol. 2. disput. 5. citat Brentium dicentem, quòd *flammis inferni arsit*, Vide colleg. 9. disput. 6.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus erat liber inter mortuos, quòd soluit dolores Inferni, quòd non potuit ab eo teneri. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd passus est ea quæ damnati patiuntur, gustauit Infernum, sustinuit dolores inferni, perpessus est veros dolores Inferni, sensit dolores infernales, sustinuit dolores & cruciatus Infernales, versatus est in medijs cruciatibus Inferorum, tulit pœnam gehennæ, talem pœnam qualem damnati patiuntur, sustinuit supplicium damnatorum, pertulit diros cruciatus damnati hominis, subijt damnationem, & quod est perpetuum in damnatis fuit temporarium in ipso, sustinuit sempiternas pœnas, sustinuit mortem execrabilem, passus est mortem secundam quæ est mors animæ & separatio à Deo, sensit mortem æternam, gustauit mortem æternam, passus est mortem æternam, mortuus est æterna morte, sustinuit angustias Inferni cùm corpore tum anima, sustinuit tormenta in Inferno post mortem & corpore & anima.

ARTC. XXIII. AN CHRISTVS INGRESSUS sit ad Discipulos ianuis clausis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Christus ingressus cùm fores essent clausæ. Et ianuis clausis.

IOan. 20. v. 19. *Cum sero esset die illo vno sabbathorum, & fores essent clausæ vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio.* Et v. 26. *Et post dies octo iterum erant Discipuli intus & Thomas cum eis, venit Iesus ianuis clausis & stetit in medio &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Ioan. 20. v. 19. *Dicit Euangelista intrasse Chri-*

stum ianuis clausis : quæ verba omnem aditum patefactum excludunt.

NEGANT PROTESTANTES.

Petrus Martyr in Dialogo col. 97. *Non tradit Euangelista. Dominum esse ingressum ostijs manentibus clausis — Domino itaque cùm vellet ingredi, fores vltrò cesserunt.* Contra Gardinerum col. 200. *Vos fingitis mansisse lapidis & ligni soliditatem, atque ea salua neque cedente, corpus Christi transisse.* In Disput. Oxoniensi pag. 190. ait *vi Diuinitatis cessisse fores.* Et in 1. Corinth. 11. fol. 158. *Potentia Diuina monumentum aperire potuit & ianuas clausas patefacere, vt velum templi disrupit.*

Fores cesserunt.

Patefecit ianuas.

Caluinus in Admonit. vltima ad Vvestphalum pag. 805. *Verùm si Christus diuina sua virtute fores clausas miraculo patefecit, an ideo sequetur corpus eius esse immensum* ? Et pag. 824. *Quomodo per fores clausas transierit Christus, alibi dictum fuit : Sibi enim fores aperire potuit, & lapidem quoque obsignatum, vt necesse non fuerit corpori naturam auferre, quo per lignum vel lapidem penetraret.* Similia habet Sadeel ad Artic. Abiurat. 27. p. 451.

Patefecit fores.

Aperuit fores.

Beza in Ioan. 20. v. 19. *Vel sponte patuerunt Christo fores vel ipsi etiam parietes ei fuerunt peruij.* Et contra Vvestphalum vol. 1. Theol. p. 231. *Caluinus mauult clausas fores commemorari ab Euangelista, vt significetur aduentanti Christo sponte patuisse.* Ibidem contra Brentium pag. 562. ait *partes ianuarum fuisse diuulsas.* Et vol. 3. contra Iac. Andreæ pag. 128. Vult quòd *paries iussu Dei patuit.*

Patuerunt fores.

Partes ianuarum diuulsæ.

Bucerus apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. Art. 31. fol. 163. *Vt enim inuisibilem se totum facere potuit, ita potuit & inuisibiliter per apertas fores ingredi, neque oportuit duo corpora simul esse in eodem loco.*

Ingressus per fores apertas.

Aretius apud eundem ibid. f. 166. *Porro an clausis foribus ingressus sit Christus quæri solet, & ex verbis quidē Euangelistæ id colligi non potest, nam fores clausas fuisse solum refert, tū quia vespera, tū quia cœtus illic esset congregatus in metu : ita clausæ à Christo deprehensæ sunt, an vero clausis relictis sit ingressus, incertum est : Fieri potest, vt apertæ sint sponte ad Christi præsentiam.*

Vrsinus in Miscellaneis Catechet. pag. 102. *Falsum est,*

quòd transierit per ianuas clausas, cum ei cedere potuerint.

Zuinglius in Historiam Resurrectionis to. 4. pag. 397. *Absurdum est & impossibile, corpus Christi substantiam ligni penetrasse.*

Hospinianus parte 2. Hist. fol. 56. *Cum Scriptura pugnat hæc opinio, de penetratione corporis* (Christi) *per clausas ianuas.*

M. Antonius de Dominis lib. 5. de Republ. cap. 6. num. 180. *Potuit Christus verè aperire sibi ianuas vnico momento, & statim claudere, ac interim tenere oculos discipulorum ne viderent & ianuas aperiri & ipsum ingredi, donec in medio esset.*

Aperuit fores. Piscator in Respons. ad Buscherum c. 13. pag. 526. *Quasi vero non sit probabilius, Christum aperuisse fores clausas nutu potentiæ suæ diuinæ.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus venit ad Discipulos ianuis clausis, & cùm fores essent clausæ. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fores cesserunt Christo, patuerunt fores, partes ianuarum fuerunt diuulsæ, patuit paries, quòd Christus aperuit fores, patefecit fores, quòd ingressus est per apertas fores, non clausis foribus. Quæ Protestantes aliqui fatentur Scripturæ repugnare. Vide lib. 2. cap. vltim.

ART. XXIV. AN CHRISTVS PEnetrauerit Cælos.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Penetrauit cælos. HEbr. 4. v. 14. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit Cælos, Iesum Filium Dei &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 6. *De corpore Christi non nisi temerè dici potest, Cælos omnes disruptos fuisse cùm ipse ad Patrem ascenderet.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non penetrauit. Tilenus in Syntagmate c. 8. pag. 84. ait Christum cælos ascendisse *absque dimensionum penetratione.* Et Ministri in Colloquio Parisiensi anno 1566. dicunt Christum ascendere non potuisse, nisi fissis & diruptis Cælis.

Vorstius in Antibellarm. pag. 399. *Contradictoria est corporum penetratio.* Et pag. 402. *Principium petitur in omnibus exẽplis quæ pro dimensionum penetratione afferuntur, cùm reuera nihil tale vspiam in Scriptura legatur.* Similiter Hospinianus parte 2. Histor. fol. 56.

M. Antonius de Dominis lib. 5. de Republ. cap. 6. num. 182. *Penetrationem non admitto.* Et Gualterus in Ioan. 20. vocat portentum noui dogmatis, *duo corpora in eodem loco simul esse posse.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus penetrauit Cœlos. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd ascendit in Cœlum absque dimensionum penetratione, fissis & diruptis Cœlis, quòd penetratio est impossibilis & portentum noui dogmatis.

ART. XXV. AN CHRISTVS IN COELO oret pro nobis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis* 1. Ioan. 2. v. 1. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.*

Rogat Patrem.

Est aduocatus apud Patrem.

Rom. 8. v. 34. *Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Interpellat pro nobis.

Heb. 7 v. 25. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis cap. 20. *Christus pro omnibus interpellat.* Et lib. 2. de Missa cap. 8. *Christus solus est immediatus intercessor noster apud Patrem.*

Toletus in Ioan. 16. Annotat. 35. *Christum in Cœlis orare pro nobis Patrem, vt homo est, docent Sacri Doctores, quamuis id aliqui negent, sed improbabiliter.*

NEGANT PROTESTANTES.

Petrus Martyr in 1. Corinth. 13. fol. 195. *Sed Christum pro*

Christum intercedere nihil nisi &c.

nobis intercedere apud Patrem, isti scire debent nihil aliud esse, nisi quòd semper Patri adest, eiusque præsentia quoniam pro nobis in mortem traditus est Dei misericordia erga Electos elicitur promptissimè. Idque repetit in locis Classe 3. c. 13. §. 17.

Caluinus in Ioan. 16. v. 25. *Cæterùm cùm dicitur intercedere Christus pro nobis apud Patrem, nihil de ipso carnale imaginemur, ac si ad Patris genua procumbens preces suppliciter conciperet, sed virtus Sacrificij quo semel nobis Deum placauit, semper vigens & efficax sanguis quo expiauit peccata nostra, obedientia quam præstitit, continua est pro nobis intercessio.*

Non concipit preces.

Idem in Rom. 8. v. 34. *Porro hanc intercessionem carnali sensu ne metiamur, non enim cogitandus est supplex flexis genibus, manibus expansis, Patrem deprecari, sed quia apparet ipse assiduè cum morte & resurrectione sua, quæ vice sunt æternæ intercessionis & viuæ orationis efficaciam habent, vt Patrem nobis concilient, meritò dicitur intercedere.*

Mors eius est vice orationis.

Beza in Confessione c. 4. sect. 16. *Neque tamen Christum imaginemur tanquam supplicem pro nobis deprecari, sed perpetuo vnici sacrificij odore nos Patri reconciliare, ac preces nostras coram Deo efficaces reddere.* Et lib. Quæstionum & Respons. volum. 1. Theol. pag. 559. *Quod nonnulli de Christi supplicatione & ad genua Patris abiectione somniant, inane commentum est.* Similia habet in Ioan. 16. v. 27.

Non suppliciter deprecatur pro nobis. Non supplicat.

Polanus in Sylloge Thesium parte 2. p. 191. ait, quod Christus est *deprecator apud Patrem, partim apparendo in Cælo coram Patre, partim cupiendo salutem Electorum.*

Cupit salutē electorū.

Bucanus in Institut. Theol. loc. 35. pag. 372. *Christus non quidem gestu aliquo aut precibus, quasi Patris genibus aduolutus, suppliciter pro nobis deprecatur, sed tum merito & virtute mortis suæ, tum Patri preces nostras offert.* Similia docet Perkinsus in serie Causarum cap. 18. tom. 1. col. 21. Vrsinus in Catechismo. p. 301. Bullingerus Decade. 4. serm. 6. Zuinglius in Exegesi to. 2. fol. 354. & alij. Quæ ex multorum Protestantium iudicio apertè contradicunt Scripturæ, vti videbimus lib. 2. c. vltimo.

Non precibus deprecatur.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus in Cælis est aduocatus noster,

noster, rogat pro nobis, interpellat pro nobis, est semper viuens ad interpellandum pro nobis, Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus cupit salutem Electorum, sed non supplicat, non supplex deprecatur, non precibus suppliciter pro nobis deprecatur, non preces suppliciter cōcipit, sed eius intercessio nihil aliud est nisi eius præsētia & mors ac resurrectio eius sunt vice æternæ intercessionis & viuæ orationis. Quæ pugnare cum Scriptura quidam Protestantes confitentur. Vide lib. 2. cap. vlt.

SVMMA HVIVS CAPITIS de Christo.

IN superiori capite vidimus, quòd Protestantes clamant Catholicos nouitium Deum fabricare, quodque hoc in eos verius competit: modò videbimus quòd simile nobis obijciunt de Christo, quod reuera in ipsos quadrat. Sic enim Perkinsus in Conflictu Christi cū Diabolo t. 2. c.130. *Christus Papistarum est fictitius Christus.* Et in c.2. Apoc. co. 189. *Christus Papistarum PseudoChristus est imò idolum Christi.* Ex ijs autē quæ in hoc capite retulimus perspicuè apparet, quòd Protestantes alium Christum nobis describant, quàm Scriptura ac Catholici proponant. Nam iuxta Scripturam & Catholicos, Christus etiam quâ homo est adorandus, inuocandus, caput Ecclesiæ, legislator, Iudex, potest dimittere peccata, facere miracula, Iuxta Protestantes nihil eorum ei competit. Ex sententia Protestantium, Christus quâ homo, fuit ignarus, verissimè peccator, timuit de salute; non autem ex sententia Scripturæ & Catholicorum. Secundum Scripturam & Catholicos, Christus homo aliquid sibi meruit, verè meruit nostram redemptionem idque per corpoream mortem & sanguinem, neque sanguis eius vidit corruptionem. Secundum Protestantes, nihil sibi meruit, non meruit nostram redemptionem iusto pretio sed acceptatione Patris, nec per corpoream mortem sed per aliud excellentius pretium, & sanguis eius computruit nec amplius est in rerum natura. Iuxta Scripturam & Catholicos, Christus mortuus est pro

impijs, pro perditis, pro omnibus, descendit ad Inferos, erat liber à pœnis Infernalibus: ingressus est ad Discipulos clausis ianuis, penetrauit Cœlos, ibique orat pro nobis. Quorum omnium nihil ex sententia Protestantium illi conuenit.

Protestãtes furantur à Christo Honorem. Perspicuum etiam est, quòd Protestantes instar verorum furum furantur à Christo homine honorem: quia negant illum, vt homo est, esse inuocandum, adorandum, caput Ecclesiæ, legislatorem, iudicem. *Potentiam.* Furantur potentiam, quia negant eum, vt homo est, posse viuificare, remittere peccata, suscitare mortuos, ingredi ianuis clausis, penetrare Cœlos, facere vllum verum miraculum. *Scientiam.* Furantur scientiam, quia negant eum, quà homo est, scire omnia, nosse corda hominum, audire preces nostras, nosse species arborum; & dicunt opus habuisse erudiri more hominum. *Iustitiam.* Furantur Iustitiam seu virtutem, quia dicunt quòd fuit verè & verissimè peccator, quantum in se erat renuit fungi officio mediatoris, habuit vota inconsiderata & aduersa suæ vocationi, inhumanè se gessit erga matrem, fassus est suam mollitiem, elapsa est ei vox desperationis, obrutus erat desperatione, erat summè desperans. *Certitudinẽ salutis.* Furantur certitudinem salutis, quia dicunt quòd timuit de sua salute, & penè persuasus erat actum esse de se. *Dignitatẽ.* Furantur dignitatem, quia dicunt, quòd nihil actum fuisset per corpoream eius mortem, sed opus erat alio excellentori pretio, quòd non potuit mereri esse iudex mundi, quòd omnibus operibus non merebatur Cœlum, quòd non meruit redemptionem mundi ex dignitate sed ex ordinatione seu acceptatione diuina. *Bonitatem.* Denique furãtur bonitatem seu misericordiam, quia dicunt quòd non sit mortuus pro impijs, pro reprobis, pro omnibus, sed tantum pro paucis electis, & quòd modò in Cœlis non orat pro nobis. Ablatis autem à Christo homine honore, potentia, sciẽtia, iustitia, dignitate, certitudine salutis, bonitate, quid illi restat nisi nudum & inane nomen Saluatoris seu Redemptoris? Vnde rectè Augustinus in Enchyridio c. 4. *Si diligenter quæ ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos.* Sed iam de Angelis & Sanctis in Cœlo cum Deo & Christo regnantibus agamus.

CAPVT TERTIVM
DE ANGELIS
ET SANCTIS IN COELO.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN ANGELI ET SANCTI IN COELO faciant voluntatem Dei.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

SALMO 102. v. 20. & 21. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius — Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* *Angeli faciunt verbum Dei. Faciunt voluntatem Dei.*

Matth. 6. v. 10. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* *Voluntas Dei fit in Cœlo.*

Apocalypſ. 21. v. 27. *Non intrabit in eam* (ciuitatem Cœleſtem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* *Nihil inquinatum in Cœlo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari c. 6. *In Cœlo Angeli Sancti Deo promptè, perfectè, atque in omnibus obediunt.* *Angelorũ obedientia opus habet venia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Coloſſenſ. 1. v. 20. *In hac ipſa obedientia, quam* (Angeli) *præſtant Deo, non eſt tam exquiſita perfectio, vt Deo omni ex parte & citra veniam ſatisfaciat.* Idem 3. Inſtit. c. 14. §. 16. *Ad ſummam illam Dei iuſtitiam ne Angeli quidem reſpondent.* Et cap. 17. §. 9. *Coram oculis Dei nec Angeli ſatis iuſti.* *Angelis ineſt ſtultitia, vanitas, culpa.*

Idem Concione 16. in Iob. pag. 68. *Ineſt Angelis ſtultitia & vanitas, id eſt, culpa — Deus reperit in ſuis Angelis quod merito* *Angelis ineſt id quod merito reprehẽdatur.*

reprehendat—Ne Angeli quidem ea ſunt perfectione, in qua ſeuerè examinata, nihil reprehenſione dignum reperiatur.

COLLATIO.

Scriptura docet, quod Angeli faciunt verbum Dei, faciunt voluntatem Dei, quòd voluntas Dei fit in Cœlo, quòd nihil coinquinatum intrat in Cœlum. Similiter Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd obedientia Angelorum non eſt perfecta, opus habet venia, non reſpondet iuſtitiæ Dei, quòd Angeli in oculis Dei non ſunt ſatis iuſti, quòd ipſis ineſt ſtultitia, vanitas, culpa, & id quod Deus meritò reprehendat.

ART. II. AN SANCTI IAM FRVANTVR Cœleſti beatitudine.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Sācti ſunt ante thronū Dei in templo eius. *In paradiſo cū Chriſto.*

APocal. 7. v. 14. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni, & ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.*

Lucæ 23. v. 43. *Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Tridentin. ſeſſ. 25. *Fideles diligenter inſtruant, docentes eos, Sanctos vnà cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus offerre.* Et ibidem dicitur: *Sanctos æterna felicitate in Cœlo frui.*

NEGANT PROTESTANTES.

Patres dormiunt vſq; ad nouiſſimum diem. *Neſciunt quid agatur.*

Lutherus Poſtilla in Dominicam 2. poſt Trinitatem fol. 285. *Omnes ante Chriſti incarnationem Patres in Abrahæ ſinum migrarunt, hoc eſt, in morte firma fide in verbo hoc permanſerunt, inque eo verbo obdormierunt, & adhuc hodie inibi dormiunt ad vſque nouiſſimum diem, demptis qui cum Chriſto reſurrexerunt.* Et to. 6. in cap. 25. Geneſ. fol. 322. ait, quòd *Sancti dormiunt & neſciunt quid agatur.* Idemque habet to. 4. in c. 9. Eccleſiaſtis & c. 36. & 37. & in cap. 2. Ionæ.

Caluinus in 2. Petri 2. v. 4. *Hinc colligere licet, non modò*

quam pœnam sustineant reprobi post mortem, sed qualis etiam sit filiorum Dei conditio. Nam in spe certæ beatitudinis placidè acquiescunt, quamuis ea nondum fruantur. Et in Matth. 22. v. 23. *Neque enim Deus pronunciat animas à morte superstites, quasi iam præsenti gloria & sua beatitudine fruantur, sed earum spem in vltimum vsque diem suspendit.* Similia habet in Math. 27. vers. 43. & in Lucæ 16. v. 22. Et 3. Institut. c. 25. §. 6. ait esse stultum & temerarium disputare, an Sancti iam Cœlesti gloria fruantur. Idem indicat Bucanus lo. 39. pag. 447. Itemque Danæus controuers. 7. pag. 1265: cùm inquit: *Quòd si tam felices eas* (animas) *iam esse vult Bellarminus, quàm tunc* (post resurrectionem) *procul dubio est hæreticus.*

Sancti nondum fruuntur certa beatitudine. Non fruuntur præsenti beatitudine.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Sancti iam sunt ante thronum Dei, & in tēplo eius, & in paradiso cum Christo. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Sancti nondum fruantur certa beatitudine, non iam præsenti gloria & sua beatitudine fruantur, sed quòd earum spes in vltimum vsque diem suspendatur; quòd omnes Patres præter eos qui surrexerunt cum Christo dormiunt vsque ad nouissimum diem: quòd Sancti dormiant & nesciant quid agatur: quòd sit stultum & temerarium disputare an iam Cœlesti gloria fruantur.

ARTIC. III. AN GLORIA OMNIVM Sanctorum sit æqualis?

NEGAT SCRIPTVRA.

1. COr. 5. v. 41. *Alia claritas solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.*

Gradus claritatis inter Sanctos.

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Iustificat. c. 16. *Testimonia Scripturæ docent præmia in Cœlo non esse paria.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Petrus Martyr in 1. Corinth. 15. v. 32. *Quòd si Deus in attribuenda vita æterna dignitatem nostrorum operum non respicit, vnde nam eliciemus istos præmiorum gradus?* Item: *Distinctionem*

Non sunt gradus præmiorū.

præmij substantialis & accidentalis aduersarij confinxerunt. Habebunt splendorem solis, id est, æquè summam gloriam.

Omnes habent æquè summam gloriam.

Paræus lib. 5. de Iustific. c. 20. pag. 1458. *Fingunt* (Papistæ) *varios vitæ æternæ gradus.* Similia habet lib. 3. c. 16.

Non sunt varij gradus vitæ æternæ.

Perkinsus in 1. Galat. to. 2. pag. 191. *Omnes Electi fruuntur æquali gloria essentiali.*

Omnes fruentur æquali gloria.

COLLATIO.

Sciptura docet, quòd mortui resurgentes different ab inuicem in gloria, sicut stellæ differunt ab inuicem in claritate. Sic etiam Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non sunt gradus præmiorum, quòd varietas graduum in vita æterna sit figmentum, quòd omnes habebunt æquè summam gloriam, quòd omnes fructur æquali gloria essentiali. Quæ tam clare pugnāt cum Scriptura, vt aliqui Protestantes id agnoscant, vt videre licet lib. 2. cap. vltim.

ART. IV. AN ANGELI ET SANCTI in Cœlo orent pro nobis.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Angelus orat pro Israelitis. Item Onias & Hieremias.

ZAchariæ 1. v. 12. *Et respondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituū vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es?*

2. Machabæorum 15. v. 13. *Erat huiuscemodi visus* (Iudæ) *Oniam manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum.* Et v. 14. *Hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta Ciuitate, Hieremias Propheta Dei.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 25. c. de Inuocat. Sanctorum ait: *Illos qui asserunt Sanctos pro hominibus non orare, impiè sentire.*

NEGANT PROTESTANTES.

Sanctorum intercessio est fraus & fallacia.

Confessio Gallica Artic. 24. *Credimus quicquid homines de mortuorum Sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse, quàm fraudem & fallacias Sathanæ.* Sic etiam Heluet. cap. 5.

Apologia Confess. Augustanæ c. de Inuocat. Sanctorū:

Illud dicunt sine testimonio Scripturæ, quòd (Sancti) *sint mediatores intercessionis.* Similiter Kemnitius in Exam. Concilij Trident. Titulo de Inuocatione, & Reineccius to. 3. Armaturæ cap. 21. qui etiam to. 4. c. 7. pag. 44. ait : ***Sanctorum auxilium esse nullum.***

Sanctorum auxilium est nullum.

Herbrandus in Compendio Theol. loco de Precatione. pag. 570. *Sed quod obiicitur Sanctos pro nobis orare, id incertum est.*

Zuinglius in Explanat. art. 20. *Ex sacris bibliis, neque doctrina, neque exemplum vllum adduci potest, quod probet Diuos in Patria pro nobis intercedere.* Ibidem. *Si pro nobis orant vt vos fingitis, Deum nihil mouebunt: ex corde enim non fit.*

Si orant, id non ex corde faciunt.

Bullingerus Decade 4. sermone 5. fol. 224. *Solus Christus intercedit, non Diui intercedunt.* Item: *Scriptura non docet Angelos intercedere.* De origine cultus Diuorum cap. 15. fol. 40. *Nō decet Sanctos, vt officium Christi ad se rapientes, pro nobis orent.*

Nec Angeli nec Sancti intercedunt.

Non decet eos pro nobis orare.

Caluinus 3. Instit. cap. 20. §. 21. *Quis vel Angelus vel Dæmon vlli hominum de eiusmodi, quā fingunt, Sanctorum intercessione syllabam vnquam renunciauit?* Et in 1. Cor. 13. v. 8. *Papistæ commenti sunt mortuorum animas pro nobis orare apud Deum.* Et in 1. Timoth. 2. v. 5. *Merum est figmentum natum in eorum cerebris, mortuos pro nobis intercedere.*

Sanctos orare pro nobis, commentum. Merum figmentū.

Petrus Martyr in 1. Cor. 13. fol. 195. *Fortasse illic Sancti adeò sunt de voluntate Dei erga nos certi, vt orare nec velint nec possint.* Et in locis Classe 3. c. 13. §. 16. *Quamquam ego facilè admisero Sanctos in Patria votis ardentissimis salutem Electorum optare, non tamen ausim dicere, eos pro illis orare.*

Optant, nō orant pro nobis.

Vrsinus in Catechismo qu. 99. pag. 647. *Libenter concedimus Sanctos in Cœlis optare salutem militantis Ecclesiæ in terra,* Similiter Sadeel ad Artic. 57. abiurat. pag. 312.

Optant.

VVitakerus ad Rationem 4. Campiani p. 19. *Num martyres Diuique cœlites pro nobis Christo supplicent, nescimus.*

Nescitur vtrum supplicent.

Danæus Controuers. 7. pag. 1310. *Sancti intercedere & orare pro nobis apud Deum minimè possunt.* pag. seq. *Falsa propositio est, Sanctos qui iam in Cælum recepti sunt orare Deum in genere pro nobis qui hîc viuimus.* Et 1315. *Non quicquam vel in generali vel in speciali pro necessitatibus viuentium in his terris à Deo postulant.*

Nō possunt orare pro nobis.

Nec in generali nec in speciali.

Nec in genere nec speciali.

Polanus in Disput. Priuatis. Disput. 25. *Sancti Defuncti non intercedunt apud Deum pro nobis viuentibus, nec in genere nec in particulari.*

Serranus contra Hayum parte 3. pag. 134 *Orant alij pro alijs fideles dum in hac vita versantur, quia communi necessitate vitæ inter se continentur, & obeunda sunt vocationum munia, quæ omnia non cadunt in mortuos.* Similiter Bucanus in Instit. Theol. loc. 35.

Nec Angeli nec Sancti orant pro nobis. Peccarent, si orarent pro nobis.

Vorstius in Antibellarm. pag. 285. *Negatur Sanctos Angelos, in primisque animas Iustorum iam mortuorum in specie pro nostris necessitatibus orare.*

Paræus in Collatione 3. Sualbacensi pag. 36. *Culpam incurrerent, si pro nobis orarent; nam & Deum immisericordiæ accusarent, quasi Christi orationem non sufficienter exaudiret, & Christum vel oscitantiæ vel impotentiæ arguerent.* Et in Collegio Theologico 5. Disput. 19. *Sanctos in cælo pro nobis intercedere apud Deum vel Christum, Scripturis Sacris non docetur sed negatur.* Similiter Colleg. 9. disput. 18.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Angelus, itemque Onias, & Hieremias post ipsorum mortem, orabant pro populo Dei. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quod nesciunt, incertum est, Scriptura non docet Sanctos orare pro nobis; quòd optant, non orant pro nobis; quod Angeli & Sancti non orant, non intercedunt pro nobis, non id faciunt ex corde, non orant nec in genere nec in particulari pro nobis, non possunt orare pro nobis, non decet eos, peccarent si orarent pro nobis, & quòd Sanctorum intercessio est commentum, figmentum, fraus, & fallacia Satanæ. Quæ, quantum ad Angelos spectat, tam manifestè repugnant Scripturæ, vt etiam Caluinus id fateatur, prout patebit lib. 2. c. vltimo.

ART.

ART. V. AN SANCTIS CVRÆ sint res nostræ.

Affirmat Scriptvra.

2. MAchabæorum 15. v. 12. & 15. *Erat autem huiuscemodi visus—extendisse Hieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe Sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israel.* *Hieremias curat res populi Dei.*

1. Corinth. 15. v. 8. *Charitas nunquam excidit.* *Charitas Sanctorum non excidit*

2. Petri 1. v. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.*

Affirmant Catholici.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis c. 18. *Angeli orant pro nobis & curam nostri gerunt etiam in speciali: ergo multo magis & spiritus hominum beatorum faciunt.*

Negant Protestantes.

Caluinus 3. Instit. c. 20. §. 23. *Quis enim Sanctorum de populi salute laborare credendus sit, cessante Moyse, qui alios omnes in hac parte longo interuallo, dum viueret, superauit.* Et in Lucæ 16. v. 29. *Hic ineptè arguti sunt Papistæ, dum probare volunt mortuos curam agere viuorum, quo cauillo nihil est putidius.* In 1. Corinth. 13. v. 8. *Quid impedit quò minus Sancti tranquilla pace nunc fruentes, charitatem præsentibus officiis minimè exerceant? Quid absurdi quæso in eo Papistæ reperient? —Quid si negem Sanctos esse pro nobis sollicitos?* Et in 1. Zachariæ v. 12. *Officia charitatis scimus restringi ad cursum præsentis vitæ.* *Sancti non laborant de salute populi.* *Non agunt curam viuorum.* *Non sunt pro nobis solliciti.*

Beza in Lucæ 15. v. 10. *Animabus Sanctorum in Cœlis receptis ista quæ in terris geruntur curæ esse, vel etiam esse nota, ne dum vt inuocari debeant, quis rectè propterea sibi vel aliis persuaserit?* *Non curant ea quæ geruntur in terra.*

Volanus lib. 2. contra Scargam pag. 1065. *Quicunque Sanctorum in Cœlo degentium sit status, aut quacunque charitate sint erga nos affecti, vt inquirere non necessarium nobis ducimus: ita &c.*

Paræus in Collatione 3. Sualbacensi p. 36. *De Sanctis in Cœlo, quòd videant & curent nostras necessitates, Scriptura negat.* *Non curãt nostras necessitates.*

Tindallus apud Foxum in Actis pag. 1137. edit. 1610. *Quor-*

sum erigis Ecclesias in honorem Sanctorum, vt eos facias amicos tuos? Non eo indigent, imo non sunt amici tui. Et Lutherus Postilla in Dominicā 9. post Trinitatem fol. 306. *Neque tui amici sunt, sed eorum, à quibus suis temporibus beneficium acceperunt.*

Non sunt amici nostri.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd charitas non excidit, quòd Hieremias curabat salutem populi, quòd Sanctus Petrus dabat operam frequenter habere fideles post obitum suum vt memoria tenerent sua dicta. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non ducunt necessarium inquirere qua charitate Sancti sint erga nos affecti, quòd non laborant de salute nostra, non agunt curam nostri, non sunt solliciti pro nobis, non curant res nostras, non sunt amici nostri.

ART. VI AN ANGELI ET SANCTI audiant orationes & intelligant res nostras.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Angeli audiunt orationes nostras.

TObiæ 12. v. 12. Raphael Angelus ait: *Quando orabas cum lachrymis, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.*

Vident pœnitentiam peccatoris.

Luc. 15. v. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et c. 16. v. 29. Abraham ait: *Habent Moysem & Prophetas.*

Sciunt persecutionem & vindictam Sanctorum.

Apocalypſ. 19. v. 1. & 2. *Post hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in Cœlo dicentium: Alleluia, Laus & gloria & virtus Deo nostro est, quia vera & iusta iudicia sunt eius qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis c. 20. *Non est verum, Sanctos ignorare quid ab illis petamus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nō intelligunt inuocationem nostram.

Apologia Confess. Augustanæ c. de Inuocat. Sanctorum: *Non possit affirmari, quòd Sancti intelligant inuocationem nostram.*

Caluinus 3. Institut. cap. 20. §. 24. *Quis eo vsque longas illis (Sanctis) esse aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigantur, oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris aduigilent?* Et in 1. Cor. 13. v. 8. *Sancti ignorant conditionem nostram.*

Non audiunt voces nostras non vident necessitates.

Beza in 1. Ioan. 2. v. 1. *Spiritus Beatorum nullam habent rerum Inferiorum notitiam.* Et lib. quæst. & respons. vol. 1. Theol. pag. 661. *Quod excipiunt, spiritibus Sanctorum petitiones nostras à Deo patefieri, facilè est, vt stultum & crassum commentum repudiare.*

Ignorant cõditionem nostram. Nullã habent notitiã nostrarum rerũ.

Vvitakerus ad Rationem 4. Campiani pag. 19. *Quid nos agamus, id eos (Sanctos) ignorare certum est.*

Ignorant quid agamus.

Aretius in locis parte 2. fol. 45. *Addendum est, nescire mortuos quid hic agatur.* Idem ait Sadeel ad art. 57. abiurat, & Polanus in Disputationibus priuatis Disput. 25.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Angelus audiebat orationem Tobiæ, quòd Angeli gaudent de pœnitentia peccatoris, quòd Abraham sciebat fideles habere Moysem & Prophetas, quòd Sancti norunt nequitias meretricis magnæ, eiusque pœnam, & vindictam Seruorum Dei. Consentiunt Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Sancti non intelligunt inuocationem nostram, non audiunt voces nostras, ignorant cõditionem nostram, ignorant quid nos agamus, nullam habent rerum Inferiorum notitiam, & quòd petitiones nostras à Deo illis patefieri, est stultum & crassum commentum.

ARTIC. VII. AN ANGELI VEL SANCTI offerant preces nostras Deo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

TObiæ 12. v. 12. cit. Angelus ait. *Quando orabas cum lachrimis, ego obtuli orationem tuam Domino.*

Angelus offert preces Tobiæ.

Apocalyps. 5. v. 8. *Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli Cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Ibidem c. 8. v. 3. *Et alius Angelus ve-*

Seniores offerunt orationes sanctorũ.

Angelus offert orationes omnium Sanctorum.

nit & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt ei incensa multa vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis cap. 16. *Caluinus significat, non solum Sanctos homines, sed etiam Sanctos Angelos non posse Deo preces nostras offerre, quod est contra apertissimam Scripturam.*

NEGANT PROTESTANTES.

Solus Christus offert preces.

Caluinus 3. Instit. cap. 20. §. 20. *Christus Sanctuarium Cæli ingressus ad consummationem vsque sæculorum, solus, populi eminus in atrio residentis vota, ad Deum defert.* Idem docet Bullingerus lib. de Origine cultus Diuorum c. 18. fol. 47. & alij omnes Protestantes, qui vel negant Angelos seu Sanctos audire preces nostras, vel eos esse mediatores intercessionis.

Angeli nō offerunt preces.

Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 7. *Dicuntur* (verba Angeli Tobiæ loc. cit.) *humano more. Etenim opus non est vt Angeli preces nostras Domino offerant, quia non Deus de longè.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Angelus obtulit orationem Tobiæ Domino: quòd viginti quatuor seniores obtulerunt coram agno orationes sanctorum, quòd Angelus obtulit de orationibus Sanctorum omnium ante thronum Dei. Consentiunt Catholici.

Protestantes volunt solum Christum & non alium offerre orationes nostras, & Angelos non offerre.

ARTI. VIII. AN ANGELI VEL SANCTI sint orandi.

AFFIRMANT SCRIPTVRA.

Iacob orat Angelum.

GEnes. 48. v. 16. Iacob ita orat: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.*

Rogat Angelum.

Oseæ 12, v. 31. dicitur de eodem Iacob: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum & confortatus est, fleuit & rogauit eum.*

Tobiæ 5. v. 21. Ita orat Tobias: *Sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum:*

Tobias orat Angelum.

Lucæ 16. v. 24. & 27. Christus siue in historia siue in parabola inducit Diuitem ita orantem: *Pater Abraham miserere mei: Rogo te* Pater *Abraham &c.* Nec tamen vel ipse vel Abraham damnat hanc orationem vt impiam, aut idololatricam, sed duntaxat reijcit vt nimis seram. Apocalyp. 1. v. 4. Ioannes ita orat: *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu Throni eius sunt, & à Iesu Christo.*

Diues orat Abraham.

Ioannes orat septem Spiritus.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident sess. 25. cap. de Inuocat. Sanctorum ait: *Bonum atque vtile esse, Sanctos vnà cum Christo regnantes suppliciter inuocare.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Anglica art. 22. *Doctrina Romanensium de Inuocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta:* Similiter Confessio Heluetica cap. 5. Vuirtembergica c. de Innocat. Sanctorum. Augustana cap. 21. Saxonica cap. 22. & Articuli Smalcaldici cap. de Inuocatione.

Inuocatio Sāctorum, futilis, ficta.

Beza in 1. Ioan. 2. v. 1. *Sanctorum vita defunctorum animæ in Cælos receptæ inuocari sine impietate non possunt.* Et lib. quæst. & respons. vol. 1. Theol. pag. 675. ait *Angelorum & Sanctorum mortuorum inuocationem impiam esse idololatriam.*

Impia.

Idololatrica.

Herbrandus in Compendio Theol. loco de Precatione. pag. 569. *Sanctorum mortuorum inuocatio planè ethnica est, & idololatria.*

Ethnica.

Rainoldus in Colloquio suo cap. 1. sect. 2. Vocat inuocationem Sanctorum, *basiliscum maximè pestilentem.*

Maximè pestilens.

Perkinsus in serie causarum c. 21. to. 1. col. 31. *Inuocatio Sanctorum & Angelorum multò magis impia est.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Iacob Patriarcha orauit Angelum, rogauit Angelum, quòd Tobias precatus est Angelū: quòd Diues inuocauit Abraham, nec tamen ob id vel ab ipso vel à Christo fuit reprehensus; quòd S. Ioannes inuocauit septem spiritus qui sunt ante thronum Dei. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd inuocatio Angelorum aut Sãctorum est res futilis, inaniter conficta, impia, ethnica, Idololatrica, maximè pestilens Basiliscus.

ART. IX. AN PER SANCTORVM nomina Deus sit orandus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Moyses orat per nomina Sanctorũ.

EXodi 32. v. 11. & 13. *Moyses orabat Dominum Deum suum dicens: Recordare Abraham Isaac & Israel seruorum tuorum quibus iurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas Cæli.*

Psalmo 131. v. 10. *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.*

Item Salomon.

2. Paralip. 6. v. vltimo. Salomon sic orat: *Memento misericordiarum* Dauid *serui tui.*

Et Azarias.

Danielis 3. v. 35. Azarias ita orat. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum & Israel sanctum tuum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis c. 19. *In testamento veteri orabant homines Deum, & allegabant merita* Sanctorum *qui iam obierant, vt illis ipsorum orationes iuuarentur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Saxonica c. 22. ait quòd in Prophetis nulla huiuscemodi fiat compellatio: *Exaudi me Deus propter Abraham.*

Deus non orandus per nomina Sãctorum.

Caluinus. 3. Instit. c. 20. §. 21. *Per Sanctorum nomina* (in Papismo) D*eus obsecratur.* Idem improbat in libro de vera Ecclesiæ reformat. pag. 338. & alij omnes, qui negant Deum orandum per alium quam per Christum solum.

Tilenus in Syntagmate c. 50. pag. 571. *Vbi Deus propter Abrahamum vel Dauidem se facturum aliquid pollicetur, aut vt faciat rogatur, non merita* Sanctorum *illorum ei offeruntur, vt quæ petuntur per illa impetrentur: sed fœdus gratiæ cum illis initum commemoratur.* Idem docet Illyricus in sua Claue parte 2. tract. 6. col. 557. Sadeel ad Artic. 57. abiurat. Perkinsus in Cathol. reform. cont. 14. ca. 4. & alij.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Moyses orabat Deum per nomẽ Abrahæ, Isaac, & Israël: quòd Azarias idem faciebat, quòd Salomon orabat per Dauid & misericordias eius. Assentiuntur Catholici.

Protestantes improbant huiusmodi modum orandi, ac negant eum extare in Prophetis.

ART. X. AN OB SANCTORVM merita Deus hominibus misereatur.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

3. Regum 15. v. 4. *Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret Filium eius post eum, eò quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini.* *Deus benè facit propter Dauid.*

4. Regum 19. v. 34. *Protegam vrbem hanc & saluabo eam propter me & propter Dauid Seruum meum.* *Protegit vrbẽ propter Dauid.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Promptuario Cathol. in festo omnium Sanctorum: *Merita Sanctorum, quibus pij iuuantur, Scriptura multis exemplis ostendit.*

Bellarminus lib. 2. de Missa c. 8. *Per Sanctorum merita & preces à Deo misericordiam petimus Christo mediante.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ c. de Inuocat. Sanctorum. *Nos sentimus, quòd non sit confidendum, quòd merita Sanctorum nobis applicentur, quòd propter illa Deus nobis reconcilietur, &c.* *Non reconciliatur propter merita Sanctorum.*

Caluinus 3. Institut. c. 20. §. 21. *Ad conciliandam Dei beneuolentiam, Sanctorum merita subinde obtruduntur.* Et de vera Eccles. reform. pag. 339. *Minimè ferendum est quòd ex Dei liberalitate, Christique gratia ea* (merita Sanctorum) *prodesse nobis dicunt tàm ad protectionem, quàm gratiæ impetrationem.* *Merita Sanctorum non prosunt nobis.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus benè faciebat Abiæ pronepoti Dauidis propter Dauid, & eo quod Dauid fecisset rectum in oculis suis, id est, propter rectè facta seu merita Daui-

dis: quod protexit Hierusalem propter se & propter Dauidem. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd propter merita Sanctorum Deus nobis non reconciliatur: quòd illa non prosunt nobis ad protectionem aut gratiæ impetrationem.

ART. XI. AN ANGELI SEV SANCTI sint venerandi seu colendi inclinatione corporis.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Loth adorat Angelos. Item Balaã.

GEnes. 19. v. 1. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, & sedente Loth in foribus Ciuitatis, qui cum vidisset eos surrexit & iuit obuiam ijs, adorauitque pronus in terram, & dixit: Obsecro Domini &c.*

Numerorum 22. ver. 31. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terram.*

Et Iosue.

Iosue 5. v. 13. cùm Iosue vidisset Angelum, & interrogasset quis esset, ac Angelus respondisset: *Sum princeps exercitus Domini: Cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait, &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 25. *Per imagines quas osculamur & coram quibus caput aperimus, Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneramur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Cœlites non colendi. Non venerandi.

Confessio Heluetica. c. 5. *Sanctos Cœlites nec adoramus, neque colimus, neque inuocamus.*

Lutherus Postilla in Dominic. 23. post Trinitatem fol. 344. *Quid enim Sanctorum cultus & veneratio aliud fuit, nisi diabolica res?*

Chytræus in Respons. ad Posseuinum impress. Rupellæ 1586. p. 84. *Imò expressè etiam Angelorum adoratio verbo Dei prohibetur.*

Caluinus 1. Instit. c. 12. §. 3. Προσκυνεῖν *illè Angelum non potuit, quin ex Dei gloria detraheret.* Similia habet in Coloss. 2. v. 18.

Nõ colẽdi.

Beza Apologia altera contra Saintem v. p. 2. 355. *S. Virginem coli nolo,* sic etiam in Coloss. 2. v. 18.

Bullin-

Bullingerus Decade 4.serm.9.fo.252. *Cauendum, ne adoremus, inuocemus, aut colamus Angelos.* *Angeli nō colendi.*

Humfredus ad Rationem 3. Campiani p.263. *Statuit* (Vigilantius) *Sanctos non esse venerandos, nec ad eorum memoriam superstitiosè cursitandum: Nos idem constituimus.* *Nec venerandi.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Loth visis Angelis adorauit pronus in terram, quòd Iosue audito ab Angelo quòd esset princeps exercitus Domini, cecidit pronus in terram & adorauit: quòd Balaam adorauit Angelum: & tamen hæc eorum adoratio nec ab ipsis Angelis, nec à Scriptura improbatur. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non licet venerari, colere, aut προσκυνεῖν Angelos vel Sanctos, sed quod sit diabolica res. Et tamen ita scribit Lutherus ipse Epist. ad Erphurdienses tom.7. fol.500. *Nec tamen putarim eos respuendos aut condemnandos esse, qui Sanctos adhuc colunt nulla præsumpta fiducia. Quicquid enim Sanctis faciunt, Christo faciunt. Nec fieri potest, quin honoris beatis Diuis habiti etiam Christus sit particeps.*

ARTI. XII. AN SANCTI SINT A NOBIS imitandi?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. Corinth. 11. vers. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* *Sancti imitandi.*

Philippens. 3. v.17. *Imitatores mei estote, Fratres, & obseruate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram,*

2. Thessalon. 3. v. 7. *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos.* *Oportet imitari Sanctos.*

Hebræos. 13. v. 7. *Mementóte præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Lucæ 9. v. 54. *Fideles Christiani Sanctorum Patrum exempla piè ac studiosè imitantur.*

NEGANT PROTESTANTES

Non imitandi.

Lutherus postilla in Festo S. Ioannis fol. 378. *Nequaquā hominibus pro suggestu declamitando hæ næniæ occini deberent, vt Diuos imitarentur, & eorum vestigijs insisterent.* Et in ferijs eiusdem fol. 91. *Occupauit & inualuit diuturnus error, vt omnes Sanctorum opera & conuersationem consideremus, & sequi studeamus, existimantes stulti hanc summam esse pietatem — Via Domini neque exempla admittit Sanctorum, sed solius Domini iussa in omnibus exspectat.* Et in die Epiphaniæ fol. 138. *Requirit Deus vt solam suam Scripturam sequamur, & nequaquam exempla Sanctorum.* Similia habet Caluinus in Ioannis 4. v.20.

Non sequendi. Nō admittenda exēpla eorum. Non sequenda.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, Sanctos esse imitandos, iubet imitari eos, & ait quòd oportet eos imitari. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, Sanctos non esse imitandos vel sequendos, nec eorum exempla admittenda vel sequenda.

ARTIC. XIII. AN SANCTI HOMINES recipiant nos in æterna tabernacula?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Recipiunt nos.

LVcæ 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidot. Lucæ 16. vers. 9. citat. *Docet* (Christus) *illos quibus benefecimus recipere nos in æterna tabernacula, id est, Christum propter illos non solum ratione operis ipsius, sed etiam ipsis intercedentibus reddere vitam æternam.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non recipiunt.

Lutherus Postilla in Dominic. 9. post Trinitatem fol. 307. *Non accipiendum est, quod homines in æterna tabernacula sint nos recepturi: cæterùm eius receptionis causa & fidei nostræ in illis exercitæ atque ostensæ testes erunt, ob quam fidem in æternas nos mansiones Deus transfert.*

Illyricus in Claue Scripturæ part. 2. tract. 4. col. 332. ait, quòd verba citata Scripturæ dicuntur per Mimesim: Et

tractat.6 col.551. inquit. *Pauperes Dicuntur accipere suos benefactores in æterna tabernacula, cùm hoc opus sit solius Patris propter meritum Filij.* *Solus Pater recipit.*

Caluinus in Lucæ. 16. v.9. citat. *Non intelligit vel deprecatores quærendos esse vel patronos, qui suo præsidio nos tegant ac defendant — stultè vero & absurdè, qui mortuorum precibus vel suffragijs iuuari nos hinc colligunt.* *Nō iuuant nos pecibus aut suffragijs.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Sancti homines quibus benefacimus recipiunt nos in æterna tabernacula. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non recipiunt, sed solus Pater nos recipit, quòd illi suis precibus vel suffragijs nos non iuuabunt.

ART. XIV. AN VLLI SANCTI DICI possint spes nostra?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. Thessalon. 2. v.19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* *Thessalonicenses sunt spes Apostoli.*

Ioan. 5. v. 45. *Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib.1. de bonis Operibus in particulari c. 15. *Beata virgo dicitur spes nostra, quoniam post Dominum in ipsius potissimum intercessione confidimus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in sua Confessione in Opusculis pag.109. *Inuectæ sunt multæ precularum species, cum horrendis blasphemijs coniunctæ, vt cùm Virgo Porta salutis, spes nostra, ab Infidelibus vocatur.* Et lib. de necessitate Reform. Ecclesiæ pag.62. damnat quòd Beata *virgo spes nostra nominetur.* *B. Virgo nō est spes nostra.*

Beza in Ioan. 2. v.5. *Eò vsque inualuit Idololatria, vt non pudeat Mariam, Cœli Reginam, spem, vitamque suam vociferari.* *Non spes nostra.*

Sic etiam in Apocal. 8. v. 3. & Apologia altera contra Saintem pag. 355.

Non spes nostra. Petrus Martyr in 1. Corinth. c. 3. fol. 67. in octauo: *B. Virginem dicunt spem suam, quasi velint in Creatura spem ponere.*

COLLATIO.

Scriptura disertè dicit, quòd Thessalonicenses erãt spes, gaudium, & corona gloriæ Apostoli ante Dominum: quòd Iudæi sperabant in Moyse; nec in hoc eos reprehendit, Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sit Idololatria & horrenda blasphemia dicere, quòd Beata virgo sit spes nostra.

ART. XV. AN VLLI SANCTI HAbuerint potestatem faciendi miracula?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Apostoli habebant potestatem faciendi miracula. MAtth. 10. v. 1. *Conuocatis duodecim Discipulis suis dedit illis potestatem spirituũ immundorum vt eijcerent eos, & vt curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.*

Marci 3. v. 15. *Et dedit illis potestatem curandi infirmitates & eijciendi dæmonia.* Similia habet Lucas c. 10. v. 19.

Alijs datur hæc potestas. 1. Corinth. 12. v. 8. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ—alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Ecclesia c. 14. *Quomodo potuit Deus apertiùs sententiam suam explicare, quàm tribuendo vni donum singulare miraculorum?*

NEGANT PROTESTANTES.

Nulli hominũ data est hæc potestas. Perkinsus in 3. Galat. v. 3. tom. 2. col. 123. *Deus nunquam dedit vlli hominum potestatem faciendi miracula, vel mediatè vel immediatè.*

Non transfunditur in Sanctos. Vrsinus in Catechismo qu. 99. pag. 644. *Non transfunditur in Sanctos vis edendi miracula, proinde dicuntur ea facere metonimicòs.*

Sola Dei virtus facit. Beza in 1. Corinth. 12. v. 6. *At in edendis miraculis, si opus ipsum spectes, sola illa Dei virtus agit prorsus ἀκοινωνήτως, quam ne in*

Angelos quidem ipsos transfundit—Quid igitur dixerit aliquis: Num in edendis miraculis Sancti Dei homines fuerunt quasi stipites & trunci? Nequaquam: Nam aut suis precibus impetrarunt à Deo miracula, aut Dei voluntatem intrinseco charismate, vel peculiari reuelatione intelligentes, eam declararunt, sed ita vt nulla vis ipsorum vlla ex parte ad miraculorum effectionem vt causa efficiens concurrerit.

Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 373. *An Deus vlli creaturæ communicet vim miracula faciendi? negamus, quia vis faciendi miracula est omnipotentia ipsa.* *Nulli creaturæ communicatur.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Apostoli habuerunt potestatem eijciendi dæmonia & curandi infirmitates, quòd alijs datur gratia sanitatum & operatio virtutum. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vis faciendi miracula nō transfunditur in Sanctos, non communicatur vlli Creaturæ, quòd non datur vlli hominum potestas faciendi miracula vel mediatè, vel immediatè; quod Sancti homines solùm impetrāt vel declarant miracula, quòd illa sola Dei virtus facit, quòd vis faciendi miracula est ipsa omnipotentia Dei.

ART. XVI. AN SANCTI REGNENT cum Christo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

APocalypsis 5. v. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* *Regnant super terrā.*

Ibidem cap. 20. v. 4. *Et vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.* v. 6. *Et erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis.* *Cū Christo.*

Cap. 22. v. 5. *Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.*

Cap. 2. v. 27. *Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes & reget eas in virga ferrea.* c. 3. v. 21. *Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo: sicut & ego vici & sedi cum patre meo in Throno eius.* *Regunt gentes. Sedent in throno Christi.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Sanctis c. 18. *Habemus Spiritus hominum beatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes & regere eas, ac sedere in Throno Christi, id est, cum illo præsidere toti mundo.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nō regnāt cū Christo.

Reineccius tomo 4. suæ Armaturæ cap. 7. pag. 44. *Sancti cum Christo non regnant.* Idem docet Vorstius in Antibellarmino. pag. 293. & sentiunt alij omnes, qui negant Sanctos curare aut scire ea quæ in terris aguntur, inde enim sequitur, quod non regnant super terram neque regunt gentes, prout Scriptura disertè docet. Nam & sciunt & curant ea quæ regunt.

Pareus in Collegio Theol. 9. Disput. 18. ait quòd sit error dicere: *Quod sicut Angeli sic & Spiritus beatorum hominum sint nobis regendis & gubernandis à Deo præfecti.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quod Sancti regnant cū Christo, sedent in Throno eius, regnant super terram, & regunt gentes, Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quod non regnant cum Christo, quòd non sciunt nec curant ea quæ fiunt super terram aut quæ gentes faciunt.

ARTC. XVII. AN ALIQVIS SANCTOrum præter Christum fuerit plenus gratia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

B. Virgo plena gratia.

LVcæ 1. v. 28. Angelus ait ad B. Virginem. *Aue gratia plena.*

Actorum 6. v. 3. *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu Sancto & sapientia.*

Item S. Stephanus.

Et v. 8. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 3. parte q. 27. art 5. *B. virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima auctori gratiæ.*

NEGANT PROTESTANTES.

Illyricus in Lucæ 1. v. citat: *Malè versum est: Gratia plena, solus enim Christus est plenus gratia & veritate.* Idem sentiunt alij Protestantes, qui aut nolunt Angelum salutasse B. Virginem gratiâ plenam, aut dicunt nullam esse in nobis iustitiam seu gratiam inhærentem. De quibus dicemus infra cap. 16. art 8.

Nemo præter Christũ plenus gratia.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet quòd B. Virgo fuit plena gratia, item S. Stephanus & alij.

Protestantes dicunt, quòd solus Christus fuit plenus gratia, quòd alij nullam habuerint gratiam seu iustitiam inhærentem.

SVMMA HVIVS CAPITIS de Angelis & Sanctis.

EX ijs quæ in hoc capite retulimus liquet, quòd Protestantes longè aliter depingunt Angelos & Sanctos quam Scriptura & Catholici. Nam iuxta Scripturam & Catholicos, sunt perfectè iusti & perfectè faciunt voluntatem Dei, non autem iuxta Protestantes. Ex sententia Scripturæ & Catholicorum, orant pro nobis, curant res nostras, audiunt preces nostras: Ex sententia Protestantium nihil horum illis conuenit. Secundum Scripturam & Catholicos, sunt orandi, venerandi, imitandi à nobis, Deus per eorum nomina inuocandus, qui propter eorum rectè facta nobis benefacit: secundum Protestantes nihil horum illis tribuendũ. Secundum Scripturam & Catholicos, fruuntur Cælesti beatitudine, & habent potestatem faciendi miracula; secundum Protestantes nondum fruuntur beatitudine, neque eiusmodi potestatem habere possunt.

Itaque Protestantes furantur ab Angelis & Sanctis potentiam, dum negant eos esse capaces virtutis faciendi miracula; furantur perfectam iustitiam seu pietatem, quia negãt eos esse perfectè iustos seu ita facere voluntatem Dei vt non egeant venia. Furantur honorem, quia negant eos esse à no-

Protestãtes furantur à Sanctis. Potentiam. Iustitiam. Honorem.

Dignitatẽ. Scientiam. Charitatẽ. Beatitudinem.

bis venerandos, imitandos, orandos, aut Deum per eorum nomina inuocandum. Furantur dignitatem, quia negant Deum ob eorum merita nobis benefacere. Furantur scientiã, quia negant Sanctos scire res inferiores. Furantur charitatem, quia negant Sanctos orare pro nobis, curare res nostras, aut exercere officia charitatis erga nos. Furantur denique cœlestem gloriam & beatitudinem, quia negant eos eâ frui vsque ad diem nouissimum. Hactenus de ijs quæ in Cœlis, iam quæ in terris sunt videamus: ac primùm de verbo Dei.

CAPVT QVARTVM
DE VERBO DEI
SIVE SCRIPTVRA.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN VLLA LOCA SCRIPTVRÆ sint difficilia intellectu?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Quædam difficilia in Scripturis.

2 PETRI 3. v. 16. *Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu.*

AFFIRMANT CATHOLICI

Stapletonus in Antidoto Ioan 17. v. 20. *Catholici omnem Scripturam perspicuam & claram esse negant.*

NEGANT PROTESTANTES

Nulla abstrusa, omnia exposita.

Lutherus lib. de Seruo Arbitrio to. 2. fol. 426. *Esse in Scriptura quædam abstrusa, & non omnia exposita, inuulgatum est quid-*

quidem per impios Sophistas. Fol. sequ. *Nihil prorsus relictum est obscurum aut ambiguū, sed omnia sunt per verbū in lucem producta apertißimā & declarata tot orbi quæcunque sunt in Scripturis* Et f. 440. *De tota Scriptura dico: Nullam eius partem volo obscuram dici:* Similia habet Postilla in Festo S. Iacobi fol. 430.

Nihil obscurum.

Nulla pars Scripturæ obscura.

Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ pag. 453. *Nihil notius & dilucidius ipsa Scriptura, in ijs præsertim capitibus quæ de salutis nostræ ratione agunt.*

Salomon Gesnerus in Compendio Doctrinæ Cælestis loco 1. pag. 342. *Sacræ literæ regeneratis, & in timore Domini eas expendentibus, non sunt obscuræ.*

Gerlachius to. 1. Disput. 1. pag. 9. *Nos verbum Dei adeo clarum esse asserimus, vt veram sententiam in rebus controuersis perspicuè ostendat.* Item: *Nos dicimus vniuersam Scripturam adeo perspicuam esse, vt nulla prorsus interpretatione opus habeat.* Ita Lutherani.

Vniuersa Scriptura perspicua.

Zuinglius in suo Ecclesiaste t. 2. f. 51. Si *Hebræam linguam perinde ac Germanicam intelligamus, veteris testamenti oracula nos nunquam latebunt. Similiter si Græcam linguam æquè vt vernaculam hanc cognouerimus, nihil etiam testamento nouo comprehensum est, cuius sensus captum nostrum poßit effugere.*

Bullingerus sermone 3. de Verbo Dei fol. 8. *Scriptura non est obscura pijs*, Idque repetit fol. sequ.

Caluinus in Matthæi 13. v. 11. *Hoc semper fixum manet, non esse obscurum Dei verbum, nisi quatenus ipsum mundus sua cæcitate obtenebrat.* Et in Actor. 18. v. 28. *Detestabilis est in Deum contumelia, quòd Papistæ Scripturam obscuram esse & ambiguam insimulant. Quorsum enim locutus esset Deus, nisi liquida inuictaque in eius verbis se proferret veritas.*

Non obscura.

Beza in Galat. 3. v. 1. *Quæ est eorum impudentia, qui de Apostolicorum Scriptorum obscuritate queruntur.* Et lib. quæst. & respons. vol. 1. Theol. pag. 673. *In sacris literis satis planè & perspicuè explanantur veræ religionis dogmata.*

Zanchius de Scriptura Tom. 8. colum. 408. *Quomodo igitur Scriptura potest vlla sui parte appellari obscura?* Et col. seq. *Si Scriptura nulla sui parte obscura est, vt antea ostensum est à nobis, multò minus in ijs quæ ad salutem necessaria sunt.*

Nulla pars Scripturæ obscura.

Vvitakerus Controuers. 1. qu. 4. cap. 3. pag. 341. & sequ. ait quòd *vniuersa doctrina Scripturarum, tota Euangelij doctrina sit clara* Et addit; Non dicit *Petrus Paulinas Epistolas obscuras esse, imò nequidem in Paulinis Epistolis esse quædam obscura.* Ibidē cap. 1. pag. 335. & sequ. *Nullum dogma obscurum esse, verißimum est, omnes articuli Fidei sunt manifesti.* Et Controu. 2. qu. 5. c. 7. pag. 513. *Scripturæ luce claritate omnes omnium Patrum libros superant.*

Tota Euāgelij doctrina clara.

Non quædā difficilia in Epistolis Pauli.

Perkinsus in Conflictu Christi & to. 2. col. 118. *Scripturæ euidenter alloquuntur omnes illuminatos à Dei spiritu.*

Academia Nemausiensis in Respons. ad Iesuitas Tournonios impres. Rupellæ anno 1584. pag. 529. *Nefas est existimare, quicquam ad salutem nostram pertinere, quod non illorū* (Prophetarum & Apostolorum) *monumentis planè & perfectè contineatur.* Et pag. 531. *Ex his efficitur omnes res fidei in Scripto illo verbo, id est Prophetarum & Apostolorum Scriptis planè & perspicuè contineri.*

Omnia plenè & perfectè continētur in Scriptura.

Planè & perspicuè.

Serranus contra Hayum parte 3. pag. 267. ait, quòd *non sit vlla aut ambiguitas aut obscuritas in rebus aut verbis Scripturæ.* Et pag. 269. Quod, *omnia salutis nostræ mysteria Dominus in Scriptura perspicuè patefecerit.*

Author præfationis in tom. 5. Iesuiticæ doctrinæ Rupellæ 1596. Vocat execrandum mendacium, quòd *Scripturæ non omnia continent Religionis mysteria explicitè.*

Explicitè. Clarè.

Piscator in thesibus lib. 1. loc. 1. pag. 19. *Omnia fidei dogmata clarè in Scripturis tradi affirmamus.*

Molinæus in suo scuto pag. 28. reprehendit Catholicos, quòd dicant Scripturam esse obscuram. Et pag. 24. & 344. ait, quòd *est clara, nec opus habet interpretatione in rebus quæ sufficiunt ad salutem.* Similiter Homius disput. 4. pag. 15.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet quòd in Epistolis S. Pauli sunt quædam difficilia intellectu. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt quòd Scriptura est clara, omnes omnium Patrum libros claritate superat, non est obscura, nō obscura pijs, euidenter alloquitur omnes illuminatos à Deo, clarè docet omnia quæ sufficiunt ad salutem, clarè tradit om-

nia fidei dogmata, planè continet omnes res fidei & quicquid ad ſalutem noſtram pertinet, explicitè continet omnia Religionis myſteria, perſpicuè patefacit omnia ſalutis noſtræ myſteria, quod nullum dogma ſit obſcurum, omnes articuli fidei manifeſti, vniuerſa doctrina Scripturæ clara, quòd nulla obſcuritas ſit in rebus aut verbis Scripturæ, nulla in Scriptura abſtruſa, ſed omnia expoſita, nihil obſcurum, nulla pars eius abſcura, quod in Epiſtolis Pauli non ſunt quædam difficilia intellectu. Quæ tam manifeſtè pugnant cum Scriptura vt aliquando Proteſtantes id fateantur, prout videbimus lib. 2. cap. vltimo.

ARTIC. II. AN SCRIPTVRA POSSIT intelligi ſine illuſtratione Spiritus Sancti.

NEGAT SCRIPTVRA.

2. PEtri 1. v. 20. *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.*

Expoſitio Scripturæ non fit propria interpretatione.

Matth. 13. v. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Cœlorum, illis autem non eſt datum.*

Lucæ 24. v. 45. *Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas.*

Chriſtus aperit intelligẽtiam Scripturæ.

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 11. de Principijs doctrinalibus cap. 2. *Spiritus Dei, à quo Scripturarum intelligentia peti & subminiſtrari debet, non eſt in ipſis Scripturis quærendus &c.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Beza de Notis Eccleſiæ vol. 3. Theol. 137. *Vt autem quid de ſingulis noſtræ religionis articulis in ſumma ſenſerint ac docuerint Prophetæ ac Apoſtoli, intelligatur, ſola penè non penitus obtuſo ingenio, & linguarum peritia, attenta denique lectione opus eſt.* Et pag. ſequ. Κατάληψις *quidem omnium eſt aliquo iudicio præditorum, ad* ἐπιστήμην *autem externa quoque diuini Spiritus illuſtratione, propter humani iudicij cœcitatem, opus eſt.*

Mediocre ingenium intelligit Scripturam.

Vvitakerus lib. 2. de Scriptura cap. 8. ſect. 16. pag. 313. *Dico Scripturas ante fidem & abſque fide intelligi poſſe.* Pag. ſequ. *Sin, ne omnino intelligi Scripturas ſine peculiari Spiritus Sancti*

Scriptura intelligitur ſine fide. Sine peculiari gratia.

gratia posse sentias, in maximo errore es. Et Controuers. 1. qu. 6. cap. 13. pag. 395. *Quod ad Scientiam literæ attinet, nullum est Ecclesiæ priuilegium.*

Quiuis potest intelligere Scripturam.

Mortonus in Apologia parte 2. lib. 5. cap. 10. *Vel quiuis, impijssimus licet, Scripturas scrutari ad scientiam, quamuis non ad sapientiam possit, id est, ad veritatis cognitionem, etiamsi non ad adeptionem salutis.* Idem sentiunt alij articulo præcedente citati, qui dicunt Scripturam esse claram, perspicuam, non obscuram, non habere opus interpretatione & similia: Nam ad cognoscendum sensum talis Scripturæ non opus est lumine supernaturali.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Prophetia, hoc est intelligentia Scripturæ non fit propria interpretatione, quod datur quibusdam tanquam peculiare donum non commune alijs nosse mysteria Regni Cœlorum, quòd opus erat vt Christus suis discipulis aperiret sensum vt intelligerent Scripturas. Similiter Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Scriptura potest intelligi sine fide, & sine peculari gratia Sancti Spiritus, quòd quiuis, impijssimus licet, potest ex ijs peruenire ad cognitionem veritatis, quòd summa singulorum nostræ Religionis articulorũ possit intelligi solo mediocri ingenio, linguarum peritie, & attenta lectione: quod χατάληψις est omnium aliquo iudicio præditorum: quod ad scientiam literæ attinet, nullum est Ecclesiæ priuilegium. Quæ tam apertè sunt contra Scripturam, vt aliqui Protestantes id agnoscant, prout referemus lib. 2. cap. 24.

ART. III. AN EVANGELIVM PROMITTAT salutem sub conditione operum.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Euãgelium promittit salutem sub conditione pænitentiæ.

MAtth. 3. v. 2. Ioannes Baptista ita exorsus est prædicationem Euangelij: *Pænitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum.*

Matth. 4. v. 7. *Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Pæni-*

tentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum.

Acto. 2. v. 38. Petrus sic auspicatur prædicationem Euangelij: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et Actorum 17. v. 30. ita prædicat Paulus Euangelium: *Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.*

Lucæ 5. v. 32: Christus ait: *Non veni vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam* Et cap. vltimo v. 46. *Oportebat Christũ pati & resurgere à morte tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.* *Christus venit vocatum ad pœnitentiam.*

Hebræos 12. v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit.* Et Ioannis 3. v. 5. & c. 6. v. 53. dicitur, quòd nemo habiturus sit vitam nisi renatus sit ex aqua & manducet carnem Christi: quæ prædicatio est propria Euangelio. *Sine sanctimonia Deus non videbitur.*

Heb. 10. v. 36. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. can. 20. *Si quis hominem iustificatum & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum: quasi verò Euangelium sit absoluta & nuda promissio sine conditione obseruationis mandatorum Dei, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ fol. 60. in 8. *Nonne Euangelium pollicetur etiam ijs remissionem peccatorum & salutem, qui nulla habent prorsus bona opera?* *Salus promissa ijs qui nulla habent bona opera.*

Lutherus de votis to. 2. fol. 271. *Propriè Euangelium est meræ promissiones Dei, exhibita beneficia hominibus annunciantes.* Præfat. in 1. Petri to. 5. fol. 431. εὐαγγέλιον *nihil aliud significat, quàm prædicationem gratiæ per Christum.* Postilla in Dominic. 3. Aduentus fol. 56. *Ad Euangelium nihil tuorum operum sequi oportet, neque enim lex est quæ opera requirat, sed fides sola, quod in eo nihil fiat quàm quod offertur & promittitur diuina gratia.* Ibidem. *Quicquid legeris promissionum, scias Euangelium esse, quicquid autem præceptorum, legem.* In die Natiuitatis fol. 60. *Nihil in Euangelio, nisi meram gratiam meramque bonitatem legimus & au-* *Euãgelium est mera promissio.* *Nihil aliud quàm prædicatio gratiæ.* *Non requirit opera.*

Non fert vt prædicetur de operibus. *dimus annunciari.* In die Ascensionis fol. 264. *Toties diximus, Euangeliū ferre non posse, vt de operibus prædicetur, quātumuis bona, magnaue fuerint.* Et ibidem in Instructione de Moyse fol. 449. *Euangelium non prædicat nobis hoc illud ve faciendum aut omittendum, aut exigit à nobis quicquam.* In Colloq. apud Vlenberg. Causa: *Quisquis dicit quod Euangelium requirit opera ad salutem, mendax est.*

Non prædicat quicquā esse faciendum aut omittendū.

Theologi Saxonici apud Schusselburg. to. 7. Catal. Hæret. p. 803. damnāt Maiorem, quòd *Vrgeat Euangelium, etiam propriisimè sumptum, esse concionem pœnitentiæ & remissionis peccatorum.*

Non est concio pœnitentiæ.

Kemnitius in locis titulo de Iustificat. p. 222. *Si statuatur propriam Euangelij doctrinam esse, non tantùm de fide gratuitæ promissionis propter Christum, sed & de nouitate seu bonis operibus: tum statim sequetur, etiam bona opera ingredi iustificationem, vt causam partialem.* Et p. 224. *Qui disputant Euangelium propriè dictū, non tantùm continere promissionem gratiæ, verùm etiam doctrinam de bonis operibus, tales quid dicunt, non intelligunt: Hoc enim modo discrimen legis & Euangelii confunditur.* Similia habet lib. de Origine Iesuitarum. pag. 45.

Non est doctrina de bonis operibus. *Nō cōtinet talem doctrinam.*

Gerlachius to. 2. Disput. 13. *Lex requirens opera, propriè non pertinet ad Euangelium.* Item. *Rectè dicitur non Euangelium, sed legem requirere opera.* Rursus: *Euangelii promissiones non sunt conditionales, sed operum respectu, absolutæ.*

Euangelij promissiones non cōditionales.

Adamus Francisci in Margarita Theologica loc. 8. pag. 90. *Promissio Euangelij non est conditionalis.*

Lobechius Disp. 9. p. 187. *Verbum Euangelii non ostendit quid operando facere, sed quid credere debeamus.* Ita Lutherani.

Euāgelium non ostēdit quid faciēdum.

Caluinus in Rom. 10. v. 8. *Sicut lex opera exigit: Euangelium nihil aliud postulat, nisi vt fidem afferant homines ad recipiendam Dei gratiam.* Et in Antidoto Concilij sess. 6. can. 20. *In eo differt à lege* Euangelium, *quia non sub conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittat.* Idem 3. Instit, ca. 11. §. 17.

Nihil aliud postulat nisi fidem. *Non promittit vitā sub conditione operum.*

Beza in Catechismo Compendiario vol. 1. Theol. pag. 689. ita distinguit legem & Euangelium, quòd *lex est doctrina, quâ docentur homines quomodo se erga Deum & quomodo erga sese mutuo gerere debeant: Euangelium est doctrina Cœlestis, ex*

qua discimus quæ nobis credenda sunt ad nostram per vnicum Iesum Christum salutem. Similia habet Author Respons. ad Theses Valentianas to. 5. doctrinæ Iesuiticæ, pag. 789. impress. Rupellæ 1586.

Petrus Martyr in Rom. 11. pag. 537. *Negamus testamentum Dei de peccatorum remissione in Christo, habere adiunctam conditionem.* *Non habet adiunctam conditionẽ.*

Perkinsus in Galat. 3. to. 2. col. 152. *Euangelium offert largiturque vitam gratis sine conditione vllius operis, nihilque requirit nisi acceptationem rei oblatæ.* *Offert vitã sine conditione vllius operis.*

Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 1. pag. 938. *Euangelium strictè est doctrina gratiæ, sic solum conditionem fidei requirit.* cap. 2. pag. 945. *Quòd Euangelium vitam æternam promittat gratis sub sola conditione fidei, esse verissimum & solidissimum ostendetur.* Ibidem pag. 949. *Tertio significato* (intelligit strictè & propriè) *Euangelium habet promissiones salutis sub sola conditione fidei, & comminationes mortis, sub sola conditione incredulitatis: Istæ promissiones & comminationes solæ sunt propriæ Euangelij & Euangelicæ, aliæ omnes sunt quasi mixtæ, partim Euangelicæ partim legales.* Et pag. 962. *Euangelium vitam promittit sub conditione solius fidei in Christum.* *Requirit solũ conditionẽ fidei.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Ioannes Baptista, Christus ipse, & Apostoli inceperunt prædicationem Euangelij à pœnitentia agenda tanquam à conditione necessaria ad obtinendum Regnum Cœlorum: quòd Christus venit vocare peccatores ad pœnitentiam; quòd pœnitentia prædicanda sit in nomine eius: quòd Deus in Euangelio annunciat hominibus vt omnes vbique agant pœnitentiam; quòd sine sanctimonia nemo Deum videbit; quòd nemo vitam habebit nisi renascatur ex aqua & manducet carnem Christi. Similiter docent Catholici.

Protestantes dicunt, quòd propria doctrina Euangelij est tantùm de fide non de bonis operibus: quòd Euangeliũ propriè dictum non contineat doctrinam de bonis operibus: quòd Euangelium ferre non possit vt prædicetur de operibus: quòd non ostendat quid debeamus operari: quòd

non prædicet nobis hoc illudue faciendum aut omittendum, aut exigat à nobis quicquam: quòd non promittat vitam sub cõditione operum; quòd illius promissiones nõ sunt cõditionales, sed respectu operũ, absolutæ, quòd polliceatur promissionem & salutem ijs qui nulla prorsus habent bona opera; quòd sit mera promissio beneficiorum Dei, quòd nihil postulet nisi fidem: quòd promittat vitam sub sola conditione fidei, sub conditione solius fidei, quòd aliæ omnes promissiones de remissione aut salute sint legales: quòd non habeat adiunctam conditionem. En quale Euangelium inuexit Lutherus, quale sequuntur Protestantes, nimirum quòd nihil docet de bonis operibus, non ostendit quid debeant operari, non prædicat quid sit faciendum aut omittendum, non requirit opera, non fert prædicari de operibus: Hoc scilicet illis est Euangelion seu lætum nuncium, nihil audire de bonis operibus faciendis vel malis fugiendis. Quod pugnare cũ Scriptura fatetur Pareus Collegio Theol. 1. Disput. 9. his verbis: *Euangelium propriè concio pœnitentiæ vocatur, quia non minus pœnitentiã quàm fidem requirit in saluandis. Marci. 1.15. Resipiscite & credite Euangelio.*

ART. IV. AN EVANGELIVM arguat peccata.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Ira Dei reuelatur in Euangelio. Paracletus arguit mũdum de peccato.

ROma. 1. v. 17. & 18. *Iustitia* Dei *in eo* (Euangelio) *reuelatur.* —— *Reuelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem.* Ioan. 16. v. 8. Et *cum venerit ille* (Paracletus) *arguet mundum de peccato.* Idem patet ex dictis Scripturæ relatis articulo præcedenti & alijs, quibus docet Euangelium fideles debere abstinere à peccatis.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Rom. 1. v. 18. *Absurdè & impiè dicitur: ad Euangelii ministerium non pertinere vt arguat peccatum.*

Euãgelium non minatur.

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus postilla in festo omnium Sanctorum fol. 441. *Lex*

Lex mandat, minatur & vrget: Euangelium autem nullas minas intendit, non impellit.

Liber Concordiæ Lutheranorum c. 5. pag. 593. *Quando lex & Euangelion inter se conferuntur, credimus, docemus, & confitemur, quòd Euangelion non sit concio pœnitentiæ arguens peccata, sed quòd propriè nihil aliud sit, quàm lætissimum quoddam nuncium & concio plena consolationis, non arguens aut terrens.* Et pag. seq. *Reiicimus vt falsum & perniciosum dogma, cùm asseritur quòd Euangelion propriè sit concio pœnitentiæ, quodque non sit tantummodò concio de gratia Dei.* Idem habet Adamus Francisci in sua Margarita Theol. pag. 3. 87. & 93.

Nõ arguit peccata. Nõ terret.

Est tantum concio de gratia.

Gesnerus in Compendio doctrinæ Cœlestis loc. 15. pag. 433. *Euangelium in stricta & propria significatione non rectè appellatur concio pœnitentiæ.*

Schusselburg. to. 4. Catalogi Hæret. p. 209. *Euangelium propriè loquendo nullum arguit peccatum, sed hoc est legis officium proprium & propriissimum.* Et l. 1. Theol. Caluin. Artic. 11. fol. 39. negat, quòd Euangelium, *accuset, terreat, damnet.*

Nõ arguit peccata.

Caluinus 2. Institut. cap. 10. §. 4. *Euangelica prædicatio, nihil aliud, quàm paterna Dei indulgentia iustificari præter suum meritum peccatores, pronunciat.*

Nihil aliud pronuntiat nisi indulgentiam.

Beza in Rom. 1. v. 18. *Arguere peccata, potius ad legis, quã ad Euangelii ministerium pertinet.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd in Euangelio reuelatur ira Dei super omnem impietatem, quòd spiritus Euangelij arguit mundum de peccato: quòd Ioannes Baptista, Christus, & Apostoli inceperunt prædicationem Euangelij à prædicatione pœnitentiæ & terruerunt homines à peccatis. Similiter Catholici.

Protestantes dicunt, quod Euangelium propriè dictum nullum arguit peccatum, nullas minas intendit, non rectè appellatur concio pœnitentiæ, non arguit aut terret, sed nihil est aliud quàm lętissimum nuncium, tantummodò concio de gratia Dei, & nihil aliud pronunciat, quàm Dei indulgentia peccatores iustificari præter suum meritum.

ART. V. AN EVANGELIVM SIT Contrarium legi?

NEGAT SCRIPTVRA.

Euãgelium nõ destruit legem. Christus nõ soluit legẽ.

ROma 3. v. vltimo. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.* Galat. 3. v. 21. *Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit.* Matth. 5. v. 17. *Non veni soluere legem, sed adimplere.*

NEGANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 1. 2. qu. 107. Artic. 3. *Aliquid continetur in alio virtute, sicut tota arbor continetur in semine: & per hunc modum noua lex continetur in veteri.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lex & Euãgelium per se contraria. Duplex via salutis & contraria. Euãgelium cõtradictorium legi. Corrigit legem.

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 1. col. 10. *Duo sunt genera doctrinæ, lex & Euangelium, eaque per se suaque natura reuera contraria.* Col. seq. *Hæc reuera est clauis totius Scripturæ aut Theologiæ, scire in ea contineri duplex genus doctrinæ & duplicem viam salutis, quæ sunt sibi inuicem per se planè contrariæ.* Et col. 39. *Pugnat omnino per se lex & Euangelium. Pugnant hæ doctrinæ, sed inferior lex cedit superiori Euangelio, sicque cadente altera contradictoria, altera remanet vera.* Similia habet tract. 6. col. 460. Vbi etiam col. 547. & 551. ait, quòd Euangelium *corrigit legem.*

Protestãtes mitigant legem Dei.

Schusselburg. tom. 7. Catal. Hæret. pag. 446. *Verum est: necessaria est integra perfectaque obedientia ad salutem, nam ipsemet Dominus dixit; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Sed mihi contra data est plena potestas interpretandi aut mitigandi istum rigorem. Interpretor igitur & mitigo sic: Necessaria est saluando perfecta obedientia, scilicet sua vel aliena.* Et pag. 449. vult dicta legis *emendari ac corrigi per Euangelium.* Similia habet Hunnius de Iustificat. p. 175.

Iustitiæ legis & Euãgelij contrariæ.

Caluinus 2. Institut. c. 9. §. 4. *Paulus iustitiam legis & Euangelij facit inter se contrarias.* Et cum Protestantes omnes doceant, quòd lex dicat, nisi seruemus legem non saluabimur: Euangelium autem dicat, non esse opus seruare legem ad hoc vt saluemur, sed sufficere quòd credamus; manifestũ

est, quòd ex ipsorum sententia lex & Euangelium sunt doctrinæ contrariæ, quia lex dicit obseruationem sui necessariam esse ad salutem, Euangelium vero id negat: Et tamen ita scribit Pareus in Galat. 3. lectione 40. *Si doctrina legis & doctrina Euangelij mutuò repugnent, Deus in verbo suo sibi repugnaret; quod absit.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides Euangelij non destruit sed statuit legem, quòd Christus author Euangelij non venit soluere legem, sed adimplere. Similiter Catholici.

Protestantes dicunt, quòd lex & Euangelium sunt per se suaque natura reuera contraria, quòd omnino per se pugnāt, quòd sint contradictoria, quòd eorum iustitiæ sint inter se contrariæ, quòd sint duæ viæ salutis sibi inuicem per se contrariæ, quòd lex corrigitur ab Euangelio, quòd Protestantes habent plenam potestatem illam mitigandi. Quæ sunt tam apertè contra Scripturam, vt Protestantes id agnoscant. Vide lib. 2. c. vlt.

ART. VI AN LEX MOYSIS PRÆCIPIAT fidem in Christum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOan. 1. v. 45. *Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, inuenimus Iesum Filium Ioseph à Nazareth.* Et cap. 5. v. 46. Si *crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* *Moyses scripsit in lege de Christo.*

Lucæ 24. v. 27. *Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Et v. 44. *Necesse est implere omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me.* *Scriptum in lege Moysis de Christo.*

Actorum 3. v. 22. *Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me ipsum, audietis iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis* Cap. 26. v. 23. *Nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse & Moyses, si passibilis Christus &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Iustificat. cap. 4. *Paßim in Euangelio legimus, varia in Christo mysteria fuisse completa: quoniam sic Scriptum erat in lege aut Prophetis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lex Moysaica non præcipit fidem in Christum.

Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 16. pag. 270. *Fides non est opus legis, neque enim lex Mosaïca præcipit fidem in Christum.* Et lib. 2. cap. 4. pag. 431. *De Fide in Christum, de fide iustificante, de fide remißionis peccatorum lex nescit.*

Nescit fidẽ in Christũ. Non requirit fidem in Christum.

Perkinsus in Galat. 3. to. 2. col. 139. *Euangelium requirit fidem in Christum mediatorem θεάνθρωπον, quam fidem lex nunquam cognouit.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Moyses scripsit in lege de Christo, quòd in lege Moysis sunt quædã scripta de Christo. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd lex Mosaïca non præcipit fidem in Christum, nescit fidem in Christum, nunquam cognouit fidem in Christum.

ARTI. VII. AN VERBVM TRADITVM seu traditiones non scriptæ sint tenendæ?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Traditiones non scriptæ, tenendæ.

2. THessalon. 2. v. 15. *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 4. *Sacrosancta Synodus traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit ac veneratur.*

NEGANT PROTESTANTES

Non est fides sine Scriptura.

Iacobus Andreæ lib. contra Hosium pag. 169. *Fides non est fides, sed opinio incerta, quæ non expresso Scripturæ testimonio nititur.*

Vvigandus apud Schusselburg. to. 7. Catalogi Hæret. p.

681. *Tantùm ea dogmata, quorum verba seu æquipollentia in rebus in sacra Scriptura extant, sunt in* Ecclesia Dei *asseueranda & tradenda.* *Tantum scripta dogmata tenenda.*

Caluinus in Gratulatione ad Præcentorem pag. 377. *Nihil credendum, quod non expressum sit in Scriptura.* Et de Scādalis, pag. 101. *Nihil recipi volumus, nisi claris solidisque Scripturæ testimonijs probatum.* Et ad Articulum 20. Parisiensem pag. 229. *Constituimus rectam fidem in solis Scripturis fundatam esse.* *Nihil credendū nisi scriptum.*

Beza in Rom. 1. v. 17. *Christiani nullum aliud fidei istius obiectum agnoscunt, quàm verbum Dei scriptum.* *Nullum obiectum fidei nisi scriptum.*

Danæus Controuers. 7. pag. 1350. *Fidei Christianæ fundamentum, vnicum est, nempe Dei verbum, & quidem solum scriptum.*

Hospinianus part. 2. Histor. Sacramentariæ fol. 23. *Magistratus Tigurinus mandauit, ne quid posthac aliud Ecclesijs suis proponant & annuncient, quàm purum putum verbum Dei* Prophe*tarum & Apostolorum libris comprehensum.* *Nihil docendū nisi purū verbū scriptum.*

Perkinsus in Cathol. Reform. Controuer. 20. c. 2. *Nos agnoscimus solum verbum Dei Scriptum.*

Vvitakerus Controuer. 1. qu. 3. c. 10. pag. 327. *Neque enim traditiunculas non scriptas moramur.* Et qu. 6. c. 6. pag. 373. *Traditiones minimè requiruntur.* *Traditiones non curandæ.*

Lutherus postilla in ferias S. Stephani fol 86. *Nihil affirmādum, quàm quod in Scriptura expressum fuerit.*

COLLATIO.

Scriptura iubet tenere tam traditiones quæ discuntur per sermonem, quàm quæ per Epistolam seu Scripturam. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd duntaxat dogmata Scripta sunt asseueranda & tradenda, nihil credendum nisi Scriptum, nihil docendum nisi purum putum verbum scriptum, nullum obiectum fidei nisi Scriptum: quòd scriptura sit vnicum fundamentum fidei, & quod traditiones non scriptas non morantur.

SVMMA HVIVS CAPITIS de Scriptura.

QVÆ in hoc capite recitauimus, clarè ostendunt, quòd Protestantes multò aliter sentiunt de Scriptura seu verbo Dei scripto, quàm Scriptura ipsa ac Catholici. Nam Scriptura ipsa vnà cum Catholicis docet, quòd in ipsa sunt quædam difficilia intellectu, quòd non potest intelligi absque illustratione Spiritus Sancti: quòd Euangelium promittit salutem sub conditione operum: quòd Euangelium arguit peccata, quòd lex Mosaïca præcipit fidē in Christum: quòd lex non est contraria Euangelio: quòd traditiones non scriptæ sunt tenendæ: quorum omnium contraria docent Protestantes.

Quot & quanta Protest. furantur à Scriptura.

Ostendunt etiam, quòd Protestantes furantur à scriptura excellentiam, quâ superat humanum captum: ab Euangelio, consensum cum lege, & doctrinam qua docet necessitatem operum ad salutem: à lege Moysis, quòd doceat fidem in Christum: & demum furantur omne verbum Dei traditum.

CAPVT QVINTVM DE SANCTO PETRO ET APOSTOLIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN SANCTVS PETRVS FVERIT primus Apostolorum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ATTH. 10. v. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus.* *Petrus primus Apostolorum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus libro 1. de Rom. Pontifice. c. 18. *Petrus positus est primus ratione dignitatis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Articuli Smalcaldici p. 345. *Non tribuimus aliquam prærogatiuam Petro.* *Nō habuit vllam prærogatiuam.*

Lutherus in Galat. 2. to. 5. fol. 300. *Hic locus clarè testatur, omnes Apostolos habuisse æqualem vocationem & mandatum, omnino inter eos fuit æqualitas: Nullus Apostolus maior est alio.*

Bidembachius in suo Consensu supra citato pag. 698. *Ex quibus omnibus palam fit, aut fuisse æqualitatem, & ἰσοτιμίαν inter Petrum & reliquos Apostolos, aut &c.* Et pag. 697. *Nihil aliud reperies, quàm fuisse vnum ex numero duodecim parem reliquis.*

Zuinglius in Explanat. Artic. 34. *Neque in officio prædicandi neque in alijs, Christus Petrum alijs præposuit.* *Non præpositus alijs.*

Caluinus in Matth. 20. vers. 25. *Ostendit Primatum, qui certaminis inter ipsos causa erat, in regno suo nullum esse.* *Nō habuit primatum.*

Beza in Matth. 10. v. 2. *Quid si hoc vocabulum* (Primus) *ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire.*

Nihil peculiare illi datum.

Vvitakerus Controuer. 3. qu. 5. cap. 3. pag. 604. *Vbicunque mentio facta est Petri, si locum paulo penitius introspiciamus, nihil illi tributum inueniemus, quod non alijs* Apostolis *conueniat.* Et controuerſ. 4. qu. 2. cap. 2. pag. 551. *Paulus se Petro per omnia æqualem facit.*

Minor Paulo.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. pag. 1139. *Paulus erat maior* Petro *per testimonium Christi.*

Omnes Apostoli pares. Nullus omnino primatus inter eos.

Festus Homius in Disput. 12. pag. 47 *Omnes Apostoli fuerunt pares dignitate, authoritate, iure, & potestate.* Et pag. 48. P*etrus nullum inter Apostolos primatum obtinuit.*

Illyricus in Præfat. libri de sectis p. 31. *Apparet Christum nullum omninò primatum vlli homini in sua* Ecclesia *dedisse,* Si autem nullum omnino primatum dedit, nullum constituit primum.

Collatio.

Scriptura disertè docet, quòd Petrus erat primus Apostolorum. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Petrus nullam habuerit prærogatiuam, nullum Primatum, quòd non fuit in aliquo præpositus alijs, quòd omnes Apostoli habuerint æqualem vocationem, omnimodam æqualitatem, quòd nullus fuerit maior alio, sed omnes pares dignitate, authoritate, iure, potestate, quòd Paulus fuerit maior Petro: quòd forte vocabulum *primus* sit addititium Scripturæ.

ARTI. II. AN SVPER IPSVM PETRVM ædificata fuerit Ecclesia.

Affirmat Scriptura.

Ecclesia ædificatur super Petrum.

MAtth. 16. v. 18. Et *ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo* Eccle*siam meam:— & tibi dabo claues Regni Cœlorum.*

Affirmant Catholici.

Stapletonus in Promptuario Cathol. in Festo Sanctorum Petri & Pauli: *Chrysostomus diligenter docet duo hic fuisse*

Petro

Petro data: vnum, Patris donum, reuelationem Incarnati verbi, alterum, proprium Filij donum, vt sit Ecclesiæ Petra.

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in cap. 16. Matth. to. 5. fol. 62 *Super hanc, id est, super me, non super te;* & f. seq. *Edificare non potest intelligi super Petrum.* Postilla in festo SS. Petri & Pauli fol. 423. *Hæc sententia de nullo alio intelligi potest quàm de Christo.* *Non super Petrum.*

Vvigandus apud Schusselburg to. 13. Catalogi Hæret. pag. 264. *Rectè Ecclesia sentit, quæ Petram, non personam Petri, sed Christum & Confessionem de essentia & voluntate Dei intelligit.* *Non super personam Petri.*

Bidembachius in Consensu supra citato pag. 698. *Petrus ipse, hoc est, persona Petri fundamentum* Ecclesiæ *non est.* Idem docet Gerlachius to. 2. disput. 22. pag. 1014. Reineccius to. 1. Armaturæ c. 22.. & to. 4. ca. 9 & alij Lutherani. *Petrus non est fundamentum Ecclesiæ.*

Zuinglius de vera & falsa Religione cap. de clauibus. *Ego super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Non super te, nam tu Petra non es.* Item: *Solus Christus, non Petrus, Petra est supra quam Ecclesia ædificata perstat.* In Explanat. Art. 50. *Pontificij super Petrum ædificatam esse Ecclesiam (quæ vera est idololatria) contendunt.* Et Respons. ad Billicanum tom. 2. fol. 268. *Omnes conuenimus, Petrum esse non posse Ecclesiæ Christi* Petram. Idem habet in Matth. 16. tom. 4. *Non Petra.*

Bucerus in Matth. 16. pag. 352. *Ecclesia non super* Petrum, *sed* Petram, *id est fidem.* Et 355. *Fides in Christum* Petra *illa super quã Ecclesia ædificanda fuit dicitur, non homo ille Petrus.* *Non super Petrum.*

Caluinus in Matth. 16. v. 19. *Fingit* Petrum *vocari* Ecclesiæ *fundamentum: Quis autem non videt, quòd transfert ad hominis personam, de fide* Petri *dictum esse.*

Beza in Matth. 16. v. 18. *Sed videtur Matthæus, aut si quis fuit eius interpres, hoc terminationis discrimine voluisse* Petrum *ab ipsa* Petra, *cui innititur ædificium, distinguere.* *Petrus non est Petra.*

Zanchius de Ecclesia cap. 9. tom. altero Miscellan. col. 94. *Non admittitur interpretatio* Patrum *in hoc loco: Super hanc Petram, id est,* Petrum.

Serranus contra Hayum parte 3. pag. 94. *Ecqua rationis vel specie, hæc verba: super hanc petram de Petro interpretemur?*

Vorstius in Antibellarmin. pag. 64. *Nostri respondere solent, non personam, sed fidem & Confessionem Petri, siue ipsum Christum, nomine Petræ intelligendum esse.*

Vvitakerus Contro. 4. qu. 2. cap. 2. p. 545. *Petrus non est petra, quia Christus non ædificat Ecclesiam suam super Petrum.* Lohettus Amanuensis M. Antonij de Dominis, seu potius ipse M. Antonius in Respons. ad Marium cap. 6. pag. 82. *Sed negat* (Antonius de Dominis) *iuxta plurium Patrum sententiã, tunc Petræ nomine, Petrum significari, quando dictum est: Super hanc petram ædificabo &c.* Idem docet Musculus in locis titulo de Ecclesia, Gratianus AntiIesuita parte 1. pag. 513. Chamierus lib. 3. de Pontifice c. 2. pag. 262. Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 408. Polanus in Sylloge thesium parte 2. pag. 465. Bucanus in Institut. Theol. loc. 41. Sadeel ad Sophismata Turriani pag. 568. Riuettus in Controuers. tract. 1. sect. 40. Rainoldus in Colloquio c. 2. sect. 1. vbi contrarium vocat *commentum.* Mortonus in Apologia parte 2. lib. 5. c. 23. & alij.

COLLATIO.

Rainoldus in Colloq. c. 2. sect. 1.

Bucerus & Beza in Matth. 16.

Scriptura docet, quòd Christus alloquens ipsum Petrum, tum verbis quæ immediatè præcedunt illam clausulam: *Super hanc Petram &c*, tum etiam verbis quæ eam immediatè sequuntur; ac designans eius personam, tum per Patrem ipsius, tum per proprium nomen *Petrus*, quod ipsemet illi imposuerat (quod in Syriaca lingua qua Christus loquebatur, & in Hebraica qua Matthæus scripsit Euangelium, prorsus vnum idemque est cum voce petra, atque etiam in Græca lingua Synonymum est cum eadem voce, vt ipsi Protestantes fatentur) tum etiam per pronomen demonstratiuum *Hanc*, ait: *Super hanc petram*, id est, super hunc Petrum *ædificabo Ecclesiam meam.* Idem dicunt Catholici:

Protestãtes fatentur se contradicere Scripturæ in hac re.

Protestantes dicunt, quòd Petrus non est petra Ecclesiæ, non fundamentum Ecclesiæ, non is super quem Ecclesia ædificatur. Quæ est adeo manifesta contradictio Scripturæ, vt nonnunquam Protestantes eam fateantur: Nam ita Vvitakerus ipse Controuers. 4. qu. 2. cap. 2. citato pag. 544. *Nos fundamentum Ecclesiæ fuisse & gubernatorem Petrum, non negamus; idque ei esse à Christo his verbis promissum, si requirent, concedemus.*

Et lib. 5. contra Duræum sect. 4. *Quis Petrum non fatetur esse Petram & Ecclesiæ fundamentum?* Et M. Antonius de Dominis lib. 1. de Republica cap. 6. numero 23. *Petræ nomine ipsummet Petrum intelligi, & ad ipsius personam, vt erat publica, proximè referri illa Christi verba: super hanc Petram &c. vehementer probant Neoterici.* Ac postquam pro hac sententia retulisset quam plurimos Patres, ita subiungit numero 28. *His assentior & ipse libentissimè, atque hunc sensum Euangelica illa verba posse habere puto.* Item: *Hanc interpretationem petræ pro Petro, vt fortasse literæ congruentem, admitto nunc & probo.* Et Lohetus eius amanuensis in Respons. citat. ad Marium cap. 3. pag. 48. *Scimus super Petrum dici ædificandam esse Ecclesiam.* Casaubonus in Exercitat. 15. contra Baronium. pag. 391. ait esse *interpretationem rectam & orthodoxam, per Petram κυρίως Petrum intelligere.* Rainoldus etiam in suo Colloquio ca. 2. sect. 1. cit. fatetur verum esse, *quòd verba Christi ad Petrum continent hunc sensum: super te ædificabo Ecclesiam meam.* Imo & Lutherus in Postilla cit. ait, quòd Christus Petrum hìc petram vocat?

ART. III. AN IPSI PETRO DATÆ SINT claues Regni Cœlorum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtthæi 16. vers. 18. & 19. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. Et tibi dabo claues regni Cœlorum.* *Claues promissæ Petro.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Promptuario Cathol. in festo Sanctorum Petri & Pauli: *Potestas clauium soli Petro à Christo promittitur, & ideo verè data est.*

NEGANT PROTESTANTES

Articuli Smalcaldici pag. 345. *Necesse est fateri, quòd claues non ad personam vnius certi hominis, sed ad Ecclesiam pertineant.* *Claues non pertinent ad vnum hominem.*

Danæus Contro. 3. c. 10. pag. 244. *Christus Petram fidem appellauit, & cui petræ, non Petro, dedit & claues istas & firmitudinem aduersus Inferni vires & portas.* *Non data Petro.*

Potestas clauium nō penes Episcopos.

Bucerus in cap. 6. Matth. *Hæc potestas* (clauium) *penes Ecclesiam omnem est, authoritas modò ministerij penes Presbisteros & Episcopos: ita vt olim Romæ, potestas, populi fuit: authoritas, senatus.*

Claues non datæ vni homini.

Vvitakerus Controuers. 3. qu. 5. cap. 3. pag. 602. *Reuera non vni cuiquam homini singulari, sed ipsi Ecclesiæ datæ sunt claues.*

Idem sentiunt alij Protestantes, qui (vt cap. sequenti referemus) negant potestatem siue authoritatem esse in ipsis Pastoribus Ecclesiæ.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd claues Regni Cœlorum à Christo promissæ sunt, adeoque datæ, Petro. Idem Catholici.

Protestātes fatentur se contradicere Scripturæ.

Protestantes dicunt, quòd potestas clauium non est penes presbyteros & Episcopos, quòd claues non sunt datæ Petro, non vni cuiquam homini singulari. Quæ ita manifestè repugnant Scripturæ, vt ita scribat M. Antonius de Dominis lib. 1. de Repub. cap. 7. num. 1. *Dicitur expressè à Christo Petrum alloquente: Tibi dabo claues. Valeant igitur & recedant quicunque vim huic literæ adhibentes, non Petro proximè, sed exclusa Petri persona, vel toti Ecclesiæ, vel alteri qui non sit Petrus, claues dari aut promitti contendunt.*

Et ipse Vvitakerus controu. 4. qu. 2. c. 4. pag. 557. *Do illi* (Petro) *promissas quidem esse claues, id enim locus euincit, & nunquam refragabor.* Eliensis etiam in Respons. ad Apologiam Bellarmini cap. 8. *Claues ei* (Petro) *commissas, quis dubitat?*

ART. IV. AN S. PETRI FIDES defecerit.

NEGAT SCRIPTVRA.

Fides Petri non defecit.

LVcæ 22. v. 31. *Ait autem Dominus: Simon, Simon: Ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Lucæ 22. v. 32. *Christus in illis*

verbis non defecturam Petri fidem manifestè docet.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ art. 12. pagin. 562. *Blasphema vox est Bezæ scribentis: Petrum abnegantem Christum, non amisisse fidem.* *Petrus amisit fidē.*

Reineccius to. 1. Armaturæ. c. 22. p. 103. ait: quòd Petrus *non retinuit fidem.* To. 2. c. 45. p. 138. quòd *amisit fidem*: Quod etiam repetit to. 3. c. 4. p. 37. vbi etiam addit: *Temporaliter verè defecit fides Petrum tempore abnegationis.* Idem docent alij Lutherani, qui volunt per grauia peccata, quæ (vt ipsi loquuntur) vastant conscientiam, amitti fidem, vt Confessio Augustana. c. 6. Melācthon in locis tit. de Discrimine peccatorum. Kemnitius in Examin. prima parte tit. de bonis operibus & alij. Certum enim est, peccatum Petri fuisse grauissimum. *Non retinuit fidem. Defecit eius fides.*

Danæus Controu. 3. c. 10. p. 247. *Somniat Bellarminus, cū ait fidem Petri fuisse indefectibilem, nam ex abnegatione ab eo postea facta apparet falsum esse quod de indefectibilitate fidei Petri tam impudenter affirmat.* Ibidem lib. 4. c. 3. p. 443. & sequ. Ex *his Christi verbis: Rogaui &c. efficere vult Bellarminus, vt Petrus veram fidem nunquam posset amittere: Respondeo: hoc priuilegium falsum est, & à tota historia Euangelica confutatur.* *Defecit eius fides.*

Franciscus Lambertus apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. artic. 14. fol. 45. asserit. *Petrum lapsum non habuisse veram fidem, qua soli Deo fiditur, & infidelitatem aduersus Petrum præualuisse.* *Infidelitas illi præualuit.*

Iunius Controu. 3. lib. 1. cap. 10. *Petrus certè à fide aberrabat.* *Aberrauit à fide.*

Vvitakerus Controu. 4. qu. 2. c. 2. p. 545. cùm Bellarminus dixisset. *Quando Petrus Christum abnegauit, à charitate non à fide excidit.* Respondet. *Videtur eius fidei maior quàm charitati inflicta plaga.* Item. *Fuit illa quidem breuis apostasia.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus orauit ne Petri fides deficeret, quod procul dubio obtinuit. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Petrus amisit fidem, aberra-

uit à fide, nõ retinuit fidem, apostatauit, quòd defecit eius fides, quòd infidelitas ei præualuit. Quæ est tam manifesta cõtradictio Scripturæ, vt Zanchius lib. de Perseuerantia Sãctorum to. 7. col. 125. sic scribat: *Dicere Petrum à fide penitus excidisse, est dicere, vel Christum fuisse mentitum, vel eius precationem fuisse inefficacem: Vtrumque autem impium est dicere vel sentire.* Et M. Antonius de Dominis in Respons. ad Suarẽ c. 1. num. 11. *Concedo fidem Catholicam in Petro, quoad ipsius personam, non defecisse: rogauit enim pro eo Dominus, qui procul dubio exauditus fuit.* Piscator in Thesibus lib. 2. loc. 12. p. 153. & 253. ait quòd dicere fidem Petri defecisse, sit dicere, *Christum esse mendacẽ.* Ipse etiam Vvitakerus Controu. 1. qu. 6. c. 8. p. 357. asserit, quòd *Petrus firmus & constans in fide permansit vsque ad extremum vitæ articulum.*

Protestãtes fatentur se contradicere Scripturæ.

ART. V. AN APOSTOLI FVERINT fundamenta Ecclesiæ?

Affirmat Scriptvra.

Apostoli fundamẽta Ecclesiæ.

Apocalypsis 21. v. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni.*

Ephes. 2. p. 20. *Estis ciues Sanctorũ & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.*

Affirmant Catholici.

Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontifice c. 11. *Omnes Apostoli fuerunt Ecclesiæ fundamenta.*

Negant Protestantes.

Caluinus in 1. Corinth. 3. v. 11. *Ecclesiam non nisi in Christo fundatam esse oportet.*

Apostoli non fuerũt fundamentum.

Beza in Ephes. 2. v. 20. *Apostoli & Prophetæ fuerunt huius templi, id est, Ecclesiæ Dei (vt etiam hodie fideles ministri) architecti, non autem fundamentum ipsum.*

Petrus Martyr in locis classe 4. cap. 3. §. 4. *Quòd si legimus in Patribus (vt in Apocalypsi legimus) duodecim esse fundamenta, hic fundamentum non pro radice ædificij ponitur, sed pro magnis lapidibus qui sunt fundamento proximi.*

Non fundamenta.

Bullingerus Decade 5. ferm. 2. fol. 289. *Nequeunt homines mortales fundamentum esse Ecclesiæ.*

Vvitakerus Controu. 4. qu. 1. cap. 2. pag. 546. *Cum fidei analogia pugnat, hominem quenquam esse Ecclesiæ fundamentũ.* Item. *Ecclesia dicitur fundata in Apostolis metonimicõs, & non propriè, quia Christum Ecclesiæ fundamentum in suo* Apostolico *ministerio posuerunt.* Sic etiam Mortonus in Apologia part. 2. lib. 5. cap. 23. Et Iunius Controu. 3. lib. 1. c. 11. *Metonimicè funda-menta.*

Molinæus in suo scuto pag. 380. *Ipsimet Apostoli non sunt fundamenta.* *Non fundamenta.*

Herbrandus in Compendio Theol. loco de Ecclesia pag. 481. *Apostoli non sunt fundamentum Ecclesiæ, sed sua doctrina de Christo fundamentum iecerunt?*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd sunt duodecim fundamenta Ecclesiæ, & in ipsis scripta duodecim nomina Apostolorum; quòd ædificamur super fundamentum Apostolorum, Christo existente summo angulari lapide: Vbi manifestè distinguitur inter fundamentum super quod ædificamur, & Christum. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Ecclesia non fundatur nisi in solo Christo, quòd Apostoli non sunt fundamenta, non fundamentum, sed architecti: non fundamentum sed proximi fundamento: quòd non sunt fundamenta propriè sed metonymicè, quia posuerunt fundamentum; quòd homo non potest esse fundamentum Ecclesiæ. Quæ tam apertè pugnant cum Scriptura, vt aliqui Protestantes id fateantur, prout videre licet lib. 2. c. vltimo.

ART. VI. AN APOSTOLI DIDICERINT aliquod caput doctrinæ Christianæ post Christi Ascensionem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOannis 16. v. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *Multa discenda Apostolis post Christum à Spiritu S.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto. Ioan. 16. v. 12. *Hoc testimonio luculenter probatur, non omnia Christum viua voce docuisse, sed per Spiritum Sanctum tum Apostolos tum* Ecclesiam *multa didicisse.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Ioan. 14. v. 25. *Obserua quænam sint illa omnia quorum Doctorem fore Spiritum promittit: Suggeret inquit, vel reducet in memoriam quæcunque dixi. Vnde sequitur non fore nouarum reuelationum architectum.* Et 4. Institut. c. 8. §. 8. *Illa restrictio attentè notanda, vbi partes Spiritui S. assignat, suggerere quæcunque ore ante docuit.*

Spiritus S. nihil noui reuelat.

Beza in Ioan. 14. v. 26. *Nullum Christianæ & saluificæ doctrinæ caput didicerunt aut docuerunt Apostoli post Domini discessum.*

Partes assignantur Spiritui S.

Vvitakerus Controu. 1. qu. 6. cap. 10. p. 379. *Spiritus S. non alia suggerebat quàm quæ Christus dixisset.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd multa dicenda erant Apostolis quæ Christi tempore non poterant portare: quòd Spiritus Sanctus mittendus esset qui eos omnem veritatem doceret. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Spiritus Sanctus nō erat architectus nouarum reuelationum: quòd non suggerebat alia quàm quæ Christus dixisset: quòd Apostoli nullum Caput doctrinæ Christianæ didicerint post Christi discessum. Ac si illa multa quę non poterant portare Christi tempore, & omnis illa veritas quam docendi erant à Spiritu Sancto, non essent capita Christianæ doctrinæ.

SVMMA HVIVS CAPITIS
De S. Petro & Apostolis.

EX his quæ in hoc capite recitauimus liquidò patet, quòd Protestantes longè aliter describant S. Petrum & Apostolos, quàm Scriptura & Catholici. Etenim Scriptura & Catholici docent Petrum fuisse primum Apostolorum, quod negant Protestantes. Illi affirmant Petrum fuisse petrā super

ſuper quam ædificatur Eccleſia, accepiſſe claues regni Cœlorum, & fidem eius non defeciſſe: Quæ omnia Proteſtantes inficiantur. Præterea Catholici aſſerũt Apoſtolos eſſe fundamenta Eccleſiæ, eoſque multa didiciſſe à Spiritu Sancto poſt Chriſti diſceſſum, quæ Proteſtantes non concedunt.

Furantur itaque Proteſtantes à S. Petro dignitatem, quòd ſit primus Apoſtolorum; & authoritatem, quòd ſit petra ſuper quam ædificatur Eccleſia, nec non poteſtatem clauium & firmitatem fidei; & à reliquis Apoſtolis, quòd ſint fundamenta Eccleſiæ, & didicerint aliquid à Sancto Spiritu. *Quot & quanta Proteſt. furantur à S. Petro & Apoſtolis.*



CAPVT SEXTVM
DE PASTORIBVS ECCLESIAE.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN SEMPER SINT PASTORES Eccleſiæ?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

HIeremiæ 33. v. 21. *Hæc dicit Dominus: Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies & nox in tempore ſuo, & pactum meum irritum eſſe poterit cum Dauid ſeruo meo, vt non ſit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes miniſtri mei.* *Paſtores quouſque dies & nox.*

Epheſ. 4. verſ. 12. *Dedit Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis ſui, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis Filij Dei.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto 1. Corinth. 15. v. 15. *Impius Caluinus, Pastores, Doctores, Præpositos, Episcopos, Magistros Ecclesiarum omnes in vniuersum à multis sæculis a veritate Christiana penitus aberrasse, & seductores fuisse, audacter & frequenter pronunciat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ecclesia caruit vero ministerio.

Lutherus in Psalm. 129. tom. 3. fol. 568. *Ecclesia sub Antichristo non habuit verum ministerium.*

Destituta veris pastoribus.

Pastores possunt intercidere.

Caluinus de vera Ecclesiæ Reformat. pag. 322. *Non abs re contendimus, ita sæculis aliquot laceratam & dissipatam fuisse Ecclesiam Dei, vt destituta fuerit veris Pastoribus.* Et pag. 332. *Ego sanè concedo nunquam fieri posse vt Ecclesia intercidat. At cùm ad Pastores referunt, quod de Ecclesiæ perpetua duratione promittitur, in eo vehementer errant.*

Ordo prorsus abolitus

Beza de Notis Ecclesiæ vol. 3. p. 147. *Nempe id contigit, quòd ordo legitimus tunc in Ecclesia non esset prorsus abolitus: vt ab aliquot iam sæculis factum fuisse liquet, nulla ne tenuissima quidem vmbra præcipuarum Ecclesiasticæ vocationis partium relicta.*

Ministeriū non perpetuum.

Sadeel Respons. ad artic. abiurat pag. 533. *Falsum est, exterius ministerium perpetuum esse oportere.*

Ecclesia sine pastore.

Potest orbari pastoribus.

Danæus Controuers. 3. pag. 426. *Ecclesia sæpè nullum habet Pastorem hominem.* Et controu. 4. pag. 757. *Vera Ecclesia caruit sæpe Prælatis.*

Lubbertus lib. 5. de Ecclesia c. 5. *Nos dicimus breui tempore Ecclesiam Pastoribus orbari posse.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd erunt Pastores quandiu erunt dies & nox, & quòd Pastores dati sunt donec occurramus omnes in vnitatem fidei. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Ecclesia potest orbari Pastoribus, Pastores possunt intercidere: quòd non oportet ministerium esse perpetuum: quòd Ecclesia aliquando non habuit verum ministerium, aliquot sæculis fuit destituta Pastoribus, sæpe nullum habet Pastorem hominem, caruit Prælatis: quod legitimus ordo in Ecclesia aliquot sæculis fuit prorsus abolitus, ne tenuissima quidem vmbra præcipuarum

eius partium relicta. Quæ tam apertè contradicunt Scripturæ, vt aliquando Protestantes id fateantur. Vide lib 2. cap. vltimo.

ART. II. AN IPSIS PASTORIBVS INSIT POTESTAS SEV AUTHORITAS REGENDI ECCLESIAM?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 16. v. 18. & seq. *Tu es Petrus &c. Et tibi dabo claues Regni Cœlorum.* *Petro promissæ claues regni cœlorum.*

Actor. 20. v. 28. *Attendite vobis & vniuerso gregi, In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* *Episcopi regunt Ecclesiam.*

1. Corinth. 4. v. 21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate?* *Paulus habuit Virgã.*

2. Corinth. 13. v. 10. *Ideo hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi.* Et c. 10. v. 6. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* *Habuit potestatem durius agẽdi.*

Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris & subiacete illis.*

2. Timoth. 1. v. 11. *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister Gentium.* *Erat magister gentiũ.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Triplicat. contra Vvitakerum cap. 13. *In Præpositis authoritatem Paulum ponere videmus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus lib. de Captiuit. Babyl. to. 2. fol. 85. *Quid si cogerentur admittere nos omnes esse æqualiter Sacerdotes, quotquot baptizati sumus, sicut reuera sumus, illisque solum ministerium, nostro tamen consensu commissum, scirent simul nullum eis esse super nos ius imperij, nisi quantum nos sponte nostra admitteremus?* *Pastores nullum habent ius imperij nisi &c.*

Caluin. 4. Inst. c. 8. §. 2. *Meminisse oportet, quicquid authoritatis ac dignitatis Spiritus in Scriptura siue Sacerdotibus, siue Prophetis, siue Apostolis, siue Apostolorũ successoribus defert, id totum non propriè hominibus ipsis, sed ministerio, cui præfecti sunt, dari, vel (vt expeditius loquamur) verbo, cuius ministerium est illis commissum.* *Tota auctoritas Ecclesiastica est in verbo.*

Idem in Ioan. 16. v. 8. *Sensus est: Cùm spiritu donati fuerint Apostoli, Cœlesti ac diuina virtute instructos fore, qua iurisdictionem in toto mundo exerceant. Cæterùm hoc Spiritui potius, quàm ipsis tri-*

Pastores nihil habēt propriæ auctoritatis. *buitur, quia nihil habebunt propriæ potestatis, vt pote qui ministri tantùm erunt & organa, solus autem Spiritus in illis præsidebit.* Et in Matth. 20. v. 25. *Pastoribus nihil plus Christus detulit, quàm vt Ministri sint, à dominio autem prorsus abstineant.* In Iacob. 4. v. 12. *In spirituali animæ regimine solum Dei verbum dominari conuenit.* *Solū verbū Dei dominatur.*

Pastores nullā habēt potestatem. Beza in Matth. 20. v. 25. *Quid igitur (inquies) nullamne habent potestatem diuini verbi Ministri? Nullam certè ipsi, ne in conscientias quidem, quibus tamen erudiendis sunt destinati: Sed Christi duntaxat sunt Legati, vt eius nomine dicant & agant sacra non ciuilia, penes quem vnum est omne ius imperandi, & illos quidem audiri, sed vt Legatos non vt Dominos iubentis.*

M. Antonius de dominis lib. 1. de Republ. Christ. cap. 1. num. 23. *Christus nudum reliquit suis ministris externum ministerium & laborem.* Et lib. 5. de Republ. cap. 2. num 40. *Ecclesiastici Rectores medicis sunt simillimi, medicus enim salubria proponit, in salubria prohibet, vitæ rationem præscribit &c. in ægrotum tamen iurisdictionem nullam habet — Sicut medici est regere ægrotos, hoc est, sine iurisdictione: Ita Rectoris Ecclesiastici est regere Ecclesiam hoc est fideles.* *Nullam iurisdictionem.*

Auctoritas nō est in Præpositis. Vvitakerus lib. 1. de Scriptura cap. 13. sect. 12. pag. 153. *Authoritas non in Præpositis sed in verbo est, cui administrando Præpositi inseruiunt.* Ibidem. *Ecclesiæ non nisi simplex ministerium est in rebus ad fidem spectantibus.* Item. *Ego Ecclesiæ principatum nullum agnosco.* pag. 154. *Apostoli nullam nisi Euangelio obedientiam vendicant.* Et 157. *Authoritas tota Dei est eiusque verbi, Ecclesiæ nihil est nisi purum ministerium.* *Ecclesia nō habet auctoritatem sed purum ministeriū.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd potestas clauium fuit data ipsi Petro; Episcopi positi sunt regere Ecclesiam: quòd Paulus habet potestatem & virgam. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Pastores nullum habent dominium, nullum ius imperij, nullam potestatem, nihil propriæ potestatis, nullam iurisdictionem, sed nudum & purum ministerium: quòd tota potestas seu authoritas non data sit hominibus sed verbo: quòd Pastores sint tantùm ministri, solus spiritus præsideat; & penes vnum Christum sit omne ius imperandi.

ART. III. AN POTESTAS EXCOMMVnicandi conueniat vlli particulari Pastori seu Episcopo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 16. v. 19. *Tu es Petrus &c. Et quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in Cœlis.*

1. Timoth. 1. v. vltimo: *Ex quibus est Hymenæus & Alexander: quos tradidi Satanæ vt discant non blasphemare.*

Petrus habuit potestatem ligandi.

Paulus tradit Satanæ.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Contro. 2. qu. 1. Artic. vnico: *Potestas Ecclesiastica primò & principaliter per se & immediatè conuenit particularibus personis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Beza in Confessione c. 5. sect. 43. *Tenendum est, hanc potestatem* (excommunicandi) *nulli certo homini attribui, sed toti Presbyterorum collegio.*

Nullus vnus habet potestatem excommunicandi.

Petrus Martyr in 1. Corinth. c. 5. v. 4. fol. 62. *Non vsurpat sibi tantus Apostolus, vt vnus ac solus per se ipsum excommunicet, quod tamen Papa & multi Episcopi audent.*

Bucanus in Institut. Theol. loc. 44. pa. 535. *Penes quem ius excommunicandi esse debet? Non penes vnum quempiam siue Episcopum siue ab Episcopo ordinatum.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Petro data sit potestas ligandi: quòd Paulus excommunicauit seu Satanæ tradidit aliquos. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd potestas excommunicandi nulli certo homini sit tributa, quòd Apostolus non sibi vendicabat vt solus quemquam excommunicaret.

ART. IV. AN PASTORES ECCLESIÆ habeant poteſtatem præcipiendi, aut imponendi leges?

AFFIRMAT SCRIPTURA.

Paſtores imponunt onera neceſſaria.

Actor. 15. v. 28. Ita ſcribunt Apoſtoli & ſeniores: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quã hæc neceſſaria vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato &c.* Et v. 41. *Perambulabat autem (Paulus) Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum.*

Paulus præcipit cuſtodire præcepta Apoſtolorum.

1. Corinth. 7. v. 12. *Nam cæteris ego dico, non Dominus, ſi quis Frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Dat leges de matrimonio.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 17. *Papæ, cæterique Epiſcopi iudicare & leges ferre poſſunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nullus homo poteſt leges imponere.

Lutherus lib. de Captiuit. Babylon. to. 2. fol. 76. *Neque Papa neque Epiſcopus; neque vllus hominum ius habet vnius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat eiuſdem conſenſu.*

Eccleſia nõ poteſt ferre leges.

Caluinus in Antidoto Concilij Seſſ. 6. canon. 20. pag. 291. *De legibus Eccleſiæ ipſi viderint: Nos vnicum agnoſcimus legislatorem, cuius eſt tradere vitæ regulam, ſicuti ab eo vitam habemus.* Et Actor. 15. v. 28. *Inſulſi Papiſtæ, qui ex his verbis probare volunt penes Eccleſiam reſidere aliquid authoritatis.*

Nihil habet auctoritatis.

Non habet poteſtatem condendi leges.

Muſculus in locis cap. de Magiſtratu pag. 427. *Eccleſiæ non eſt tradita poteſtas condendarum legum, ſed impoſita audiendi & obediendi humilitas.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Apoſtoli imponebant præcepta, & onera neceſſaria, & quòd Paulus præcepit fidelibus illa cuſtodire, & ipſemet quædam præcipiebat. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd nec Epiſcopus, nec vllus hominum poteſt præcipere Chriſtiano niſi quòd vult: quòd Eccleſia non poteſt ferre aut condere leges.

ARTIC. V. AN EPISCOPI SINT VERI rectores Ecclesiæ?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Actor. 20. v. 28. *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* *Episcopi regunt Ecclesiam.*

2. Timoth. 1. v. 11. *In quo positus sum ego prædicator & Apostolus, & magister Gentium.* Et 1. cap. 5. v. 19. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* *Paulus magister gentium.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident sess. 23. cap. 4. *Episcopi positi sunt à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lohetus Respons. ad Marium cap. 1 pag. 24. *Vera ratio capitis, & vera ratio rectoris neque est in vno puro homine, neque in pluribus, neque Monarchicè neque Aristocraticè.* Idem sentiunt alij vt liquet ex eis quæ retulimus supra articulo 2. *Vera ratio Rectoris non conuenit puro homini.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Episcopi sunt rectores Ecclesię: quòd Apostolus fuerit magister gentium, quòd Episcopus sit iudex. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vera ratio rectoris Ecclesiæ non conuenit puro homini.

ARTI. VI. AN PASTORES REGANT VERAM seu Catholicam Ecclesiam?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Actor. 20. v. 28. *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* *Regunt Ecclesiam acquisitam Christi sanguine.*

Ephes. 4. vers. 11. *Alios dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* *Ædificant corpus Christi.*

Isaiæ 62. v. 6. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.* *Custodiunt muros Hierusalem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. c. 1. *Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis Præfectos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non regũt Ecclesiam Catholicã.

Vvitakerus Controu. 2. qu. 2. cap. 2. pag. 455. *Catholicæ Ecclesiæ regimen nunquam hactenus videri potuit.* Idem sentiant alij Protestantes, qui aut volunt eam quæ est vera Ecclesia in oculis Dei esse inuisibilem hominibus, talis enim Ecclesia non potest regi ab hominibus, aut volunt nullos reprobos, etiamsi sint Pastores, esse membra veræ Ecclesię. Nam si sint Pastores veræ Ecclesiæ, sunt etiam membra eiusdem, eaque principalia. Si autem nulli reprobi sunt Pastores veræ Ecclesię, neque etiam vlli electi, quia electi Pastores non regunt aliam Ecclesiam quàm reprobi.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Episcopi regunt eam Ecclesiam quæ acquisita est Christi sanguine: quòd ædificant corpus Christi, & sunt custodes murorum Hierusalem. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd regimen Ecclesiæ Catholicæ non sit visibile, adeoque quod non regatur ab hominibus.

ARTI. VII. AN PASTORES ECCLESIÆ vocandi sint Sacerdotes?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Vocabũtur sacerdotes.

Isaiæ 61. v. 6. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Et cap. 66. v. 20. & 21. *Et annunciabunt gloriam meam gentibus &c. & assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas dicit Dominus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Missa c. 17. *Augustinus dicit Episcopos & Presbyteros propriè Sacerdotes nominari.*

NEGANT PROTESTANTES.

Rainoldus in suo Colloquio c. 8. diuisione 4. *Qui nos insimulant*

mulant falsitatis & corruptionis, quòd ministros Euangelij vocamus seniores, rei sunt hæreseos & blasphemiæ, eo quòd eos vocent Sacerdotes. Item: *Ministri Euangelij habere debent aliud nomen quàm Sacerdotum.* *Nō vocādi sacerdotes.*

Confessio Heluetica c. 18. *Nemini inter ministros Sacerdotis vocabulum communicamus.*

Petrus Martyr contra Gardiner. col. 1075. *Nostros ministros non appellamus Sacerdotes.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Pastores Ecclesiæ vocabuntur Sacerdotes, & quòd ex gentibus assumentur aliqui in Sacerdotes. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt quòd non debent vocari Sacerdotes.

ART. VIII. AN QVIS POTEST ESSE Pastor & prædicare sine missione seu vocatione?

NEGAT SCRIPTVRA.

ROm, 10. v. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

Hebr. 5. v. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret.* *Non possūt prædicare sine missione.*

Ioan. 3. v. 28. *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de Cœlo.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Roman. 10. v. 15. cit. *Radix legitimæ prædicationis est missio: nec prædicandi Dei verbum vlla legitima potestas est vbi legitima missio non præcesserit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Articuli Smalcaldici pag. 353. *In casu necessitatis absoluit Laicus, & fit Minister ac pastor alterius.* *In casu necessitatis laicus fit Pastor.*

Lutherus tom. 2. German. fol. 236. *Christianus homo tantā potestatem habet, vt non vocatus in medio Christianorum possit & debeat prodire & docere, cum Doctorem ibidem errare videt.* Et lib. de Instituendis Ministris tom. 2. fol. 372. *Monstratum est euidenter, habere vnumquemque ius ministrandi verbi imò præceptum, si viderit vel deesse qui doceant, vel non rectè docere qui ad-* *Potest prædicare non vocatus.* *Vnusquisque habet ius prædicandi.*

sunt. Idem docet ibidem lib. de iudicio Ecclesiast. pag. 376. & alibi sæpe. Et lib. de Captiuitate Babylonica fol. 86. inquit: *Esto iam certus, & sese agnoscat quicunque se Christianum esse cognouerit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo & sacramento quocunque habere potestatem.* Postilla in die S. Stephani fol. 84. *Stephanus facit suo exemplo cuiuis Christiano facultatem prædicandi Christum quibuslibet locis, vbi audiendi auidi fuerint.*

Quiuis habet potestatem prædicandi.

Herbrandus in Disput. 11. pag. 41. *Etiam non legitimè vocati fructuosè possunt prædicare verbum.* Ita Lutherani.

Nō vocati possunt prædicare.

Martyr in locis Classe 4. cap. 1. §. 15. *Quando adhuc Ecclesia extracta non est, & homines Christianæ religionis ignari sunt, quicunque ibi forte fortuna fuerint, qui Christum norint, illum tenentur annunciare, neque ordinatio est expectanda, cùm haberi non poßit.*

Beza de Notis Eccles. volum. 3. pag. 147. *Ergo inquies cuiuis in Ecclesia licebit docere? Nequaquam certè — Sed vbi ἀταξία generalis grassatur ordinis specie, nec ab istius mali authoribus remedium expectari potest, tum sanè sicut exorto in vrbe incendio cuiusuis boni ciuis est extra ordinem aquam adferre, & flammis iniicere: ita in hoc templi incendio cuiusuis est pij hominis pro virili sese illi malo opponere.*

Vbi ἀταξία grassatur.

Plessæus de Ecclesia cap. 11. pag. 484. *Scimus dictum fuisse, quomodo prædicabunt nisi missi fuerint:* Sed *quoniam cùm penitus omnia extra ordinem & confusè fiunt, non expectandum est vt omnia ritè & ex præscripto siue formula fieri poßint: Quoniam etiã vt moneatur vel Ecclesia, necessario reformationem requiri, vel priuatus quis vt salutis suæ rationem habeat, quisque Christianus se tum generali vocatione ad id munus vocatum scire debet, modò zelo gloriæ Dei ferueat, & charitate in proximum feratur.*

Vbi omnia sunt extra ordinem.

COLLATIO.

Scriptura docet, nunquam posse prædicari sine missione, neminem posse sibi sumere honorem nisi vocetur, Christum ipsum non se creasse Pontificem seu Pastorem. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd etiam non vocatus potest fructuosè prædicare: quòd in casu necessitatis laicus fit minister & Pastor: quòd quilibet potest prædicare quando

non est Doctor, aut is non rectè docet, quando adhuc Ecclesia non est extructa, & homines ignari sunt fidei, quando ἀταξία generalis grassatur, & omnia sunt extra ordinẽ, aut vbi homines auidi sunt audiendi. Quæ tam apertè pugnant cum Scriptura, vt aliqui Protestantes id fateantur.

ARTIC. IX. AN PASTOR ECCLESIÆ possit habere etiam iurisdictionem temporalem.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

GEnes. 14. v. 18. & Heb. 7. v. 3. dicitur de Melchisedech quòd fuit & Rex & Sacerdos. *Melchisedech rex & Sacerdos.*

Exod. 18. v. 13. *Sedit Moyses vt iudicaret populum*, qui tamen (erat) & pastor & Sacerdos: Nam psalm. 98. v. 6. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius.* *Moyses iudex & Sacerdos.*

1. Regum 1. & 4. dicitur de Heli quòd fuit summus Sacerdos & Iudex populi. Idem liquet de Machabæis.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 5. de Roma. Pontifice c. 9. *Non repugnat Pontificem simul esse Principem spiritualem & temporalem alicuius prouinciæ.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius artic. 36. *Iurisdictio, aut iuris administratio quam sibi dicti spirituales arrogant, tota magistratus sæcularis est, si modò velit esse Christianus.* Et in explanat. art. fol. 250. in 8. *Interdicta est Ecclesiasticis omnis administratio iuris.* *Iurisdictio tota magistratus sæcularis. Interdicta Ecclesiasticis.*

Caluinus in Lucæ 12. v. 13. *Ita damnatur Papæ & suorum latrocinium, qui cum Ecclesiæ se esse Pastores obtendant, inuadere tamen ausi sunt terrenam ac profanam iurisdictionem, quæ ab eorũ officio dissidet.*

Danæus Controu. 4. pag. 560. *Ostendamus sub Euangelio Episcopis non licere vtramque & Ecclesiasticam & politicam iurisdictionem exequi, exercere, habere.* Et pag. sequ. *Respondeo Moysen nequaquam vtrumque illud & sacerdotij & magistratus politici munus habuisse, aut exercuisse, sed munus duntaxat magistratus & Prophetæ.*

Polanus in Disputat. priuatis Disput. 13. *Nemo potest esse simul Episcopus & Princeps politicus.*

Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ pag. 622. *Manifestum est, in vnum eundemque hominem simul vtramque potestatem* (Ecclesiasticam & ciuilem) *vno eodemque tempore non cadere.* Et pag. seq. *Apostolus Petrus Episcopis externum siue mundanum dominatum atque vsum politicæ potestatis omnino denegat.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Melchisedech fuit Sacerdos & Rex, Moyses Sacerdos & dux, Heli summus Pontifex & Iudex, Machabæi summi Pontifices & Iudices. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd omnis administratio iuris interdicta est Ecclesiasticis, quòd terrena iurisdictio dissidet ab officio Pastorum Ecclesiæ, quòd non liceat Episcopis habere aut exercere politicam iurisdictionem. quòd Moyses non fuerat Sacerdos.

SVMMA HVIVS CAPITIS De Pastoribus.

Quot & quanta Protest. furantur à Pastoribus.

EX omnibus quæ in hoc capite recitauimus, constat quòd Protestantes longè alios nobis Pastores proponant, quàm Scriptura & Catholici: & quòd detrahant Pastoribus perpetuitatem, auctoritatem regendi, potestatem præcipiendi seu ferendi leges, gubernandi veram Ecclesiam, nomen Sacerdotum, capacitatem iurisdictionis, & cuiuis particulari Pastori potestatem excommunicandi. Atque hæc de Pastoribus Ecclesiæ, sequitur de Ecclesia ipsa.

CAPVT SEPTIMVM

DE ECCLESIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN ECCLESIA SIT VNA?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOAN. 10. v. 16. *Fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* *Vnũ ouile.*

Roma. 12. v. 5. *Multi vnum corpus sumus in Christo.* *Vnũ corpus.*

Ephes. 2. v. 16. *Vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Controuers. 1. qu. 2. artic. 1. *Sententia Catholica est: vnicam esse Ecclesiam Christi quam in symbolo profitemur.*

NEGANT PROTESTANTES

Magdeburgenses Centuria 1. lib. 1. cap. 4. col. 171. *Duplicem esse Ecclesiam, Christus & res ipsæ docent.* *Duplex Ecclesia.*

Gesnerus in Compendio Doctrinæ Cœlestis loco. 24. pag. 497. *Duplex igitur erit Ecclesia, alia visibilis, alia inuisibilis? Omnino distinguendum est inter visibilem congregationem eorum qui vocati sunt, & sacramenta amplectuntur, verbumque Dei incorruptum profitentur, & inter verè fideles & electos Dei.* Ita Lutherani. *Duplex Ecclesia.*

Vrsinus in Catechismo pag. 343. *Ecclesia militans est duplex: visibilis & inuisibilis: Visibilis, est cœtus consentientium de doctrina habens multa membra mortua seu non regeneratos: Inuisibilis, est cœtus electorum & regeneratorum.* *Duplex militans Ecclesia.*

Danæus Contr. 4. pag. 707. *Sin autem iste sic sentit, Augustinum non agnoscere duas Ecclesias, vnam visibilem, in qua etiam* *Duæ Ecclesiæ.*

sunt reprobati, alteram inuisibilem, in qua soli sunt à Deo ad salutem prædestinati, fallitur toto Cælo.

Humfredus ad Rationem 3. Campiani pag. 240. *Declaratum est, Caluinum & nostras Ecclesias non solum illam inconspicuā statuere, sed etiam hanc conspicuam & suis notis spectabilem constituere.*

Hac ; & illa.

Vvitakerus ad Rationem 3 Campiani pag. 16. *Ecclesiam ex sacris literis edocti sumus distinguere: vt alia sit aspectabilis, alia hominum aspectum fugiat.*

Alia & alia.

Mortonus in Apologia parte 1. lib. 1. cap. 1. *Quæstio est, verū Ecclesia ea quam nos in Symbolo vnā verè Sanctam & Catholicam esse credimus & profitemur, omninò inuisibilis sit, & à visibili omni Ecclesia necessario distincta. Protestantes aiunt, Pontificij negant.* Et cap. 3. *Multi sunt in Ecclesia visibili, qui cum Ecclesia Catholicæ cognationis nihil habent:* Ergo *inuisibilis aliqua, extra quam sunt, admitti debet, diuersa ab ea in qua versantur.*

Vorstius in Antibellarmino pag. 124. *Vna distinctio discernit veram & internam Christi Ecclesiam, quæ tota ex electis & verè credentibus constat, ab externo profitentium cœtu, qui multos sæpe reprobos admixtos habet; licet alioquin & ipsa vera Christi Ecclesia, propter veræ doctrinæ professionem non immerito vocetur.* Præterea cùm omnes Protestantes diuidant Ecclesiam in visibilem & inuisibilem, & non solùm asserant Ecclesiam inuisibilem esse veram, sed etiam (prout alibi à nobis ostensum est,) visibilem Ecclesiam nonnunquam vocent *veram Ecclesiam, propriè dictam Ecclesiam, sponsam & corpus Christi*, eamque intelligant per *aream Dei & Regnum Cælorum* apud Matthæū, necesse est fateantur, se duas statuere veras Ecclesias militantes, quæ ex ipsorum sententia & partibus seu membris, & definitione, & multis proprietatibus ab inuicem differant. Etenim iuxta ipsos, partes seu membra inuisibilis Ecclesiæ sunt soli iusti & electi: partes seu membra visibilis Ecclesiæ, sunt iusti & iniusti, electi & reprobi: Definitio Ecclesiæ inuisibilis est: Societas in fide iustificāte & prædestinatione; definitio visibilis, est, Societas in professione veræ fidei & legitimo vsu Sacramentorum: Inuisibilis videri potest à solo Deo, visibilis etiam ab hominibus. Contra illam portæ Inferi non

Lib. de Auctore Prot. Ecclesia 2. cap. 6.

possunt præualere, contra istam possunt. Illa non potest induci in errorem, saltem fundamentalem: ista potest. Illa non potest tota perire, ista potest. Illa creditur à Protestantibus in Symbolo, non ista. Illa non habet notas visibiles quibus discernatur ab alijs societatibus, ista habet. Si ergo vtraque ista societas sit vera Ecclesia coram Deo, necesse est vt sit duplex vera Societas Ecclesiastica seu duplex Ecclesia militans; nam vna eademque societas seu Ecclesia non potest & partibus, & definitione, & tot tantisque proprietatibus à seipsa differre.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd ouile Christi sit vnum, & quòd Christiani sint vnum mysticum corpus. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sit duplex Ecclesia, duplex Ecclesia militans, duæ Ecclesiæ, hæc & illa, alia & alia Ecclesia, visibilis & inuisibilis Ecclesia, & inuisibilis diuersa & necessario & omnino distincta à visibili.

ART. II. AN MALI POSSINT ESSE in vera Ecclesia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 13. v. 47. *Simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti, quam cùm impleta esset, educentes & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Et c. 3. v. 12. Ecclesia comparatur areæ habenti triticum & paleas. *Mali in sagena.*

1. Cor. 6. v. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit.* Et c. 10. v. 17: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* *Fornicarius membrum Christi. Omnes fideles vnum corpus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Controu. 1. qu. 2. art. 5. *Sententia orthodoxa: quòd ex bonis & malis constet vera Ecclesia, quam in symbolo credimus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ. c. de Ecclesia: *Necesse est impios non esse Ecclesiam.*

Malus non pertinet ad Ecclesiam. Lutherus in psalm. 118. tom. 7. fol. 548. *Qui non vera fide præditus, Sanctus, & iustus est, is ad* Ecclesiam *sanctã non pertinet.*

Ecclesia symboli cõtinet tãtum Sanctos. Vrbanus Regius in Catechismo minore to. 1. fol. 101. *De hac congregatione Symbolum intellige, quæ tantùm Sanctos complectitur.*

Mali nomine tantum membra Ecclesiæ. Adamus Francisci in Margarita Theol. loc. 11. pag. 118. *Mali nomine tantùm* Ecclesiæ *membra sunt.* Sic Lutherani.

In Ecclesia coram Deo nulli nisi pij. Caluinus 4. Instit. cap. 1. §. 7. *In* Ecclesiam, *quæ reuera est coram Deo, nulli recipiuntur, nisi qui adoptionis gratia filij Dei sunt.*

Mali reipsa non partes Ecclesiæ. Petrus Martyr in locis Classe 4. cap. 1. §. 1. *Contendimus tales homines* (malos) *reipsa & quoad Deum non esse partes* Ecclesiæ. Et in 1. Corinth. c. 1. fol. 8. in 8. *Sancti solùm verè & coram Deo sunt de* Ecclesia, *mali specie tantùm & non reipsa pertinent ad* Ecclesiam.

Speciè tantùm. Zanchius in depulsione calumniarum tom. 7. col. 264. I*mpij nec pertinent ad Christum nec membra sunt* Ecclesiæ.

Non pertinent ad Ecclesiam. Danæus Controu. 4 pag. 706. S*olis Sanctis constat* Ecclesia *ea quæ vera est.*

Ecclesia ex solis bonis. Vvitakerus Controu. 2. qu. 1. cap. 7. pag. 432. Ecclesia *ex solis bonis, non ex bonis & malis simul constat.* Idque repetit qu. 2. cap. 3. & alibi sæpe. Et cap. 8. pag. 434. inquit: *Num mali ad Ecclesiam Catholicam pertinent, & vnum Ecclesiæ corpus cum bonis constituunt?* *Nequaquam.*

Rainoldus Thesi 4. pag. 121. *Mali nulla corporis Christi pars sunt: nec igitur* Ecclesiæ. Et in Apologia thesium pag. 244. *Solos Sanctos Catholica* Ecclesia *in Symbolo tradita continet.*

Mali nomine tantũ membra Ecclesiæ. Volanus lib. 3. contra Scargam pag. 1066. *Agnosce, nomine tantùm & non reipsa, sicut falso putas, inter membra Ecclesiæ Dei reputari, qui natura hædi sub nomine ouium Christi in grege eius occultantur.* Et pag. seq. ait quòd tales *vana & inutili Ecclesiæ larua sese contegere meritò sunt iudicandi.*

Sub vana larua ad Ecclesiæ. *Nec nomen Ecclesiæ illis dãdum.* Musculus in locis tit. de Ecclesia pag. 259. in folio: *Impijs ac reprobis non est tribuendum Ecclesiæ nomen.*

Collatio.

Scriptura docet, quòd mali sunt in Ecclesia sicut mali pisces in sagena, & paleæ in area, quòd corpora etiam eorum fidelium

fidelium qui fornicantur sunt membra Christi, quòd omnes qui participant de vno pane Eucharistico, sunt vnum corpus. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quod mali seu impij non sunt de Ecclesia, non pertinent ad Ecclesiam, non ad Ecclesiam Catholicam, quòd Ecclesia non constat ex malis, non continet malos, complectitur tantùm Sanctos, quòd Ecclesia constat ex solis Sanctis, quod in Ecclesiam, quæ vera est, nulli recipiantur nisi Sancti, quòd mali non constituunt vnum corpus cum bonis, non sunt partes Ecclesiæ, quòd mali tantum nomine, tantùm specie, non reipsa sunt membra Ecclesiæ, quòd vana & inutili Ecclesiæ larua se contegunt, quòd illis nec nomen Ecclesiæ est tribuendum.

ARTIC. III. AN REPROBI POSSINT esse in vera Ecclesia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Parabolæ citatæ articulo præcedente de sagena & area ostendunt, quòd ex sententia Scripturæ tam reprobi quàm mali possint esse in vera Ecclesia. *Reprobi in sagena & area.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Controu. 1. qu. 2. art. 1. *Sententia Catholica est, vnicam esse Ecclesiam Christi quam in Symbolo profitemur, & illam constare ex electis & reprobis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in primam Ioan. 2. vers. 19. *Apertè pronunciat* (Ioannes) *nunquam fuisse Ecclesiæ membra, qui deficiunt.* *Reprobi nunquam membra Ecclesiæ.*

Beza in Confess. cap. 5. sect. 8. *Quod ad reliquos homines* (præter electos) *attinet, non sunt numerandi inter Ecclesiæ membra etiamsi Apostolatu fungerentur.*

Danæus Controu. 4. pag. 689. *Vera Dei Ecclesia solos Dei electos continet.* *Ecclesia solos electos continet.*

Pareus Collegio Theol. 1. Disput. 12. *Reprobi verè & reipsa de Ecclesia non sunt, neque ad eam coram Deo pertinent.*

Zanchius in Confess. c. 23. sect. 4. tom. 8. col. 533. *Ex electis tantum Christo iam incorporatis constat Ecclesia.* *Ex solis electis constat.*

Vvitakerus Contr. 2. qu. 1. c. 7. pa. 431. *Nos non ex reprobis sed ex solis prædestinatis constare Ecclesiam dicimus.* Et 433. *Reprobus videri potest de Ecclesia esse, reuera de Ecclesia esse non potest.* Et quæst. 5. cap. 7. pag. 515. ait Ecclesiam Catholicam esse tantum electorum. Et lib. 3. de Scriptura pag. 383. Veram Ecclesiam, quam in symbolo credimus, ex solis electis constare.

Rainoldus in Apologia Thesium pag. 270. *Electos solos Ecclesia in Symbolo contineri statuo.*

Reprobus tantũ specie tenus membrũ Ecclesiæ.

Perkinsus lib. de prædestinat. tom. 1. col. 154. *Reprobus est membrum Christi tantùm specie tenus.*

Sadeel in Refutat. art. Posnan. c. 4. pag. 838. *Reprobi ad veram Ecclesiam non pertinent.*

Non pertinet ad verã Ecclesiam.

Piscator in thesibus loco 23. pag. 379. *Ecclesia constat ex hominibus prædestinatis atque electis tantùm, non etiam ex reprobis.* Author Responsi. ad Theses Vadimontanas tom. 5. Doctrinæ Iesuit. impress. Rupellæ 1586. pag. 564. *Reprobi ad Ecclesiam non pertinent.*

Non deputatur in Ecclesia.

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 8. pag. 126. *Reprobi neque in Ecclesia deputantur.* Idem docet Humfredus ad Rationem 3. Campiani pag. 276. Polanus in Disput. priuat. Disput. 14. Homius Disput. 19. pag. 94. & Musculus vt supra vidimus, ait quòd reprobis nec nomen Ecclesiæ tribuendum est.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd etiam ij qui mittendi sunt foras & in caminum ignis, comburendi igne inextinguibili, hoc est, reprobi, sunt in area Dei & regno Cœlorum, hoc est, in Ecclesia. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd reprobi non sunt membra Ecclesiæ, non partes veræ Ecclesiæ, non pertinent ad veram Ecclesiam: non reuera de Ecclesia, tantùm specie tenus mẽbrum Christi: quòd vera Ecclesia, Catholica Ecclesia, Ecclesia quã in Symbolo profitemur est tantùm Electorum, constat ex solis electis, continet solos electos: quòd reprobis ne nomen Ecclesiæ tribuendum est.

ART. IV. AN ECCLESIA perpetuo duret.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAt.16.v.18. *Tu es petrus & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebūt aduersus eam.* *Portæ inferi non prævalēt cōtra Ecclesiam.*

Lucæ 1. v.33. Gabriel Angelus ait de Christo: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* *Regni Christi non erit finis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Contr.1.qu.3.art.2. *Ecclesia Christi vsque ad finem sæculi durat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Ecclesiæ Anglicanæ pag.104. in 12. *Iam olim Episcopus Romanus* Ecclesiam *totam à se pendere voluit, quare mirum non est, si ea iam olim tota corruerit.* Et pag. 180. *Cum videremus omnia ab istis prorsus esse pessundata, & in templo Dei præter miseras ruinas nihil esse reliqui &c.* *Ecclesia tota corruit. Prorsus pessundata.*

Lutherus in cap.49. Genes.tom.6. fol. 666. *Papa extinxit Ecclesiam.*

Caluinus lib. de Scandalis pag. 132. *Eousque res deueniebat, vt palam esset conspicuumque eruditis simul ac indoctis, verum Ecclesiæ ordinem tunc interijsse, prostratum fuisse Christi Regnum, cùm erectus fuit hic principatus.* *Regnum Christi prostratum.*

Beza in Confess. c. 5. sect. 29. *Sed propter horrendam illam tyrannidem* (Papatus) *quæ vniuersam* Ecclesiam *perdidit, & eius instaurationem hodie penè vna remoratur, acquiescimus, &c.* *Vniuersa Ecclesia perdita.*

Danæus in Augustinum de Hæresibus cap. 95. *Circa annū Christi 574. nata est hæc* Ecclesiæ *vniuersæ internecio, pestis, & tyrannis, quæ Christi regnum postea funditus deleuit.* *Regnum Christi funditus deletum.*

Chassanio lib.2. de Ecclesia pag.151. *Falsum est,* Ecclesiam *nunquam interruptum iri.* *Ecclesia interrupta.*

Vvitakerus Contr.2.qu.4.c.3.pag.489. *Nihil est vniuersali* Ecclesiæ *promissum, quod non similiter singularibus* Ecclesiis *promittitur.* Plura huiusmodi Protestantium dicta de interitu Ecclesię retulimus lib.2. de Auctore Protestanticę Ecclesiæ & Re-

ligionis c.1. anno 1619. edito: vbi etiam eorum effugia hac in re refutauimus.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd portæ Inferi non prævalebunt aduersus Ecclesiam, quòd Regni Christi non erit finis; Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Ecclesia fuit extincta & interrupta, quòd vniuersa Ecclesia perdita, quòd tota Ecclesia corruerit, quòd fuerit internecio vniuersæ Ecclesiæ, quòd Christi Regnum fuerit prostratum & funditus deletum, quòd in templo Dei omnia fuerint prorsus pessundata, & nihil relictum præter miseras ruinas, & quòd nihil amplius promissū sit Ecclesiæ vniuersali, quàm singularibus. Quæ ita pugnant cum Scriptura, vt Protestantes aliquando id fateantur; vide lib. 22. c. vltimum.

ARTIC. V. AN ECCLESIA SEMPER SIT visibilis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Ecclesia nō potest abscondi.

MAtth. 5. v. 15. Christus ait ad Discipulos, seu ad Ecclesiam à se collectam: *Vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Et c. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Contro. 1. qu. 3. art. 1. *Ecclesia quam credere oportet, debet esse necessario visibilis. Perpetuo debet esse visibilis Ecclesia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ecclesia potest carere apparenti forma.

Caluinus in præfat. Institut. *Papistæ Ecclesiæ formam semper apparere & spectabilem esse contendunt; nos contra asserimus Ecclesiam nulla apparenti forma constare posse.* Et in Catechismo cap. de fide: *Nec cernitur perpetuò oculis, nec signis dignoscitur.*

Non perpetuò cernitur.

Vvitakerus Controu. 2. qu. 3. cap. 1. pag. 466. *Fatemur, semper in terris esse numerū aliquē eorum qui Christum piè colunt, veramque fidem & religionem tenent; sed hunc numerum non sem-*

per esse visibilem dicimus. Illorum (Papistarum) *sententia est, esse quandam visibilem* Ecclesiam *in terris perpetuam.* *Nō semper visibilis.*

Danæus Controu. 4. lib. 3. cap. 12. pag. 716. *Deus sæpe vult esse visibilem aliquam Ecclesiam in his terris, sæpe nullam.* Et lib. 4. c. 8. pag. 761. *Vera Ecclesia deficere aliquando potest ne sit visibilis.* *Sæpe nulla visibilis Ecclesia.*

Scharpius de Iustificat. Controu. 5. pag. 81. *Visibilis* Eccle*siæ membra possunt deficere, imo tota visibilis Ecclesia, quà talis.* *Tota visibilis Ecclesia potest deficere.*

Vorstius in Antibellarm. pag. 136. *Ex quo efficitur, aspectabilem Christi* Ecclesiam *non modò magna ex parte, sed etiam vniuersam ἐν πλάτει acceptā, ad aliquod tempus à vera fide deficere, penitusque obscurari posse.* Item. *Externa Christi Ecclesia obscurari ac deficere potest.* Plura huiuscemodi Protestantium pronunciata videri possunt in meo libro supra citato capite 4. Vbi etiam eorum euasiones exclusimus. *Vniuersa Ecclesia visibilis potest deficere.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Ecclesia non potest abscondi, ac iubet nos illi dicere eamque audire. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Ecclesia non semper constat apparenti forma, non perpetuò cernitur oculis; quòd non est semper visibilis cætus fidelium, sæpe nulla visibilis Ecclesia; quòd vera Ecclesia potest deficere, ne sit visibilis; quòd tota Ecclesia visibilis potest deficere, quòd vniuersa ἐν πλάτει potest penitus obscurari. Quæ tam manifestè aduersantur Scripturæ, vt nonnunquam Protestantes id fateantur: prout videbimus lib. 2. c. vltimo.

ART. VI. AN ECCLESIA SIT INFALLIBILIS IN FIDE.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ISaiæ 59. v. vltimo. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsque in sempiternum.* *Spiritus Dei & verba eius nūquā recedēt de ore Ecclesiæ.*

Matth. 16. v. 16. *Portæ Inferi non prævalebunt aduersus eam.*

Spiritus docet Ecclesiam omnẽ veritatem.

Ioannis 16. v. 13. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Est colũna & firmamentũ veritatis.

1. Timoth. 3. v. 15. *Quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Controu. 4. qu. 2. art. vnico. *Ecclesia in conclusione fidei semper est certißima & infallibilis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ecclesia Catholica potest errare in præcipuo capite.

In fundamentali capite.

Vniuersa Ecclesia potest errare.

Beza de Notis Ecclesiæ vol. 3. Theol. pag. 139. *Si particularis aliqua Ecclesia errare potest in aliquo etiam præcipuo Christianæ religionis capite, & tamen Ecclesia propterea vera esse non desinit: cur non idem de particularibus omnibus non sigillatim sed vniuersaliter consideratis (hæc enim est catholica Ecclesia) dicere licebit?* Et in margine apponit hanc notam: *Posse aliquos errores in Ecclesiam irrepere, etiam in aliquo fundamentali capite fidei.*

In rebus necessarijs.

Apostoli etiam post descensum Spiritus S. errarunt grauiter.

Ecclesia Apostolica errauit.

Vvitakerus Controu. 2. qu. 4. cap. 3. pag. 489. *Deus Ecclesiæ hoc non promisit, vt non erraret — Vniuersalis Ecclesia errare potest. Ecclesia militans errare potest. Omnes Ecclesiarum Pastores & Episcopi errare possunt. Tota Ecclesia errare potest.* Pag. 490 *Constat Eclesiam veram, etiam in rebus necessarijs, ad tempus errare posse.* Et 491. *Imò post Christi Ascensionem & illum Spiritus Sancti in Apostolos descensum Ecclesiã totam errasse constat de Vocatione Gentium, non vulgus tantum Christianorum, sed ipsos etiã Apostolos ac Doctores — Hi magni errores erant, & hos tamen in Apostolis fuisse videmus etiam postquam Spiritus Sanctus in illos descenderat.* Item: *Non habet Ecclesia vlla Spiritum Sãctum luculentius & vberius, quam habuerunt Apostoli & Ecclesia illorum temporum, & tamen Ecclesia illa errauit, quia Scripturas non satis intellexit.* Et qu. 5. c. 17. pag. 541. *Ecclesia ad tempus etiam in fũdamentis quibusdam errare potest.*

Potest errare in fundamentis.

Omnes Pastores possunt errare.

Totum corpus Ecclesiæ potest errare.

Danæus Controu. 4. lib. 3. c. 17. p. 733. *Pastores omnes visibilis cætus & Ecclesiæ, simul errare possunt. Tota Ecclesia & ipsius Pastores omnes generaliter errare possunt. Tota Ecclesia collecta potest falli, labi, errare.*

Musculus in locis tit. de Ecclesia to. 1. p. 588. *de toto corpore Ecclesiæ prædicari non potest, quòd nequeat errare.*

Author Respons. ad Theses Vademontanas pag. 503.

Catholica Ecclesia errare quidem potest, & aliquando grauissimè.

Academia Nemausiensis in Respons. ad Tournonios pag. 653. *Neque verum est, Ecclesiam non posse errare.*

Vorstius in Antibellarm. p. 141. *Ecclesiæ Pastores non modò singuli seorsim, verùm etiam omnes simul accepti errare possunt, atque interdum etiam solent.* Et pag. seq. *Porro si capita ista Ecclesiæ errare possunt, nil mirum erit vulgares eiusdem ciues tum singulos, tum omnes similiter errare posse, præsertim si constiterit ipsa Concilia sæpius errasse.* *Omnes & singuli fideles possũt errare.*

COLLATIO.

Scriptura docet quod Spiritus Dei & verba Dei in æternũ non recedent de ore Ecclesiæ: quòd portę inferi non pręlebunt aduersus eam: quòd Spiritus S. docet eam omnem veritatem, quòd ipsa sit columna & firmamentum veritatis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vera Ecclesia, militans Ecclesia, Catholica Ecclesia, vniuersalis Ecclesia, tota Ecclesia, tota Ecclesia collecta, totum corpus Ecclesiæ, omnes Pastores simul accepti, singuli & omnes fideles, tota Apostolica Ecclesia etiam post acceptum Spiritum S. potuerit errare & errauerit ad tempus, grauissimè, in aliquo præcipuo capite Christianæ religionis, in aliquo fundamentali capite fidei, in rebus magnis, in rebus necessariis, in fundamentis quibusdam. Quæ ita clarè contradicunt Scripturæ, vt aliquando Protestantes, id agnoscant sicut videbimus, lib. 2. capite vltimo.

ARTI. VII. AN ECCLESIA SIMPLICIter in omnibus sit audienda.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 18. vers. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* *Ecclesia simpliciter audienda.*

Lucæ 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Controu. 4. qu. 3. artic. 3. *Voci Ecclesiæ in doctrina fidei simpliciter & absolutè acquiescendum est.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nō simpliciter audienda.

Vvitakerus Controu. 1. qu. 3. cap. 3. pag. 316. *Non simpliciter suscipere oportet quicquid Ecclesia doceat, sed quicquid docere à Deo iussa fuerit, & diuina auctoritate comprobauerit.* Et q. 5. c. 5. pag. 351. *Audienda est Ecclesia, non simpliciter in omnibus dictis, pronunciatis, decretis, sententiis, aut præceptis suis.* Contro. 2. q. 4. cap. 2. pag. 486. *Non est Ecclesia simpliciter in omnibus audienda.* Et lib. 1. de Scriptura cap. 11. pag. 129. *Neque absolutè obediendum Ecclesiæ est.*

Non absolute obediēdū Ecclesiæ.

Bucanus in Institut. Theol. loco. 43. pag. 522. *Annè Ecclesiæ vocem simpliciter audire oportet, aut suscipere quicquid docuerit? Minimè.*

Sed cum conditione.

Reineccius tom. 4. Armaturæ, cap. 3. pag. 19. *Ecclesiæ credendum est in omnibus, non absolutè & simpliciter spectatæ, sed relatè, & cum conditione, quatenus secundùm Scripturam & ex ea diuinam proponit veritatem.*

COLLATIO.

Scriptura simpliciter iubet audire Ecclesiam, & ait quòd qui eam audit, Christum audit. Similiter Catholici.

Protestantes negant, quòd sit simpliciter audienda, vel quòd sit absolutè ei obediendum.

ARTIC. VIII. AN QVOAD NOS VERITAS nitatur Ecclesiæ.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Ecclesia est columna & firmamētū veritatis.

1. Timoth. 3. v. 15. *Quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Contr. 4. qu. 2. artic. vnico: *Ecclesia est veritatis omnis reuelatæ (ordinariè loquendo) quoad fideles, columna, quoad fidem ipsam, firmamentum: Fideles enim Ecclesiæ magisterio tanquam immobili columnæ innituntur.*

NEGANT

NEGANT PROTESTANTES.

Vvitakerus Contr. 2. qu. 4. c. 2. pag. 485. *Non ei* (Ecclesię) *vt fundamento innititur veritas fidei, ne quoad nos.* Item: *si veritas fidei Ecclesiæ authoritate nititur quoad nos, cui tandem &c.* *Ne quoad nos veritas nititur Ecclesiæ.*

Bucerus in Disputat. Cantabrigiensi pag. 739. *Abundè patet, nullam Ecclesiam sic dici veritatis columnam & firmamentum, quòd ipsa veritatem sustineat & conseruet.* *Non conseruat veritatem.*

Serranus contra Hayum parte 3. p. 148. *Hactenus Ecclesiā appellauit Apostolus columnam & firmamentum veritatis, nō quòd ea innitatur veritas, sed quòd ipsa veritate innititur.* *Veritas nō nititur Ecclesiæ.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd ne quoad nos veritas fidei nititur Ecclesiæ vt columnæ, quòd Ecclesia non sustineat ac conseruet veritatem quoad nos.

SVMMA CAPITIS ISTIVS DE Ecclesia.

QVæ in hoc capite retulimus luculenter probant, quòd Protestantes etiam Ecclesiam multò aliter nobis depingant, quàm Scriptura & Catholici. Etenim Scriptura & Catholici docent eam esse vnam, Protestantes duplicem. Illi, eam continere malos & reprobos; isti, eos non continere. Illi, eam perpetuo durare, esse semper visibilem, infallibilem in fide, in omnibus simpliciter audiendam, & esse columnam fidei quoad nos: Quæ omnia Protestantes denegant.

Ostendunt etiam, quòd Protestantes furantur ab Ecclesia magnam illius partem, nempe malos & reprobos fideles, ac præcipuas illius proprietates, videlicet, vnitatem, perpetuitatem, continuam visibilitatem, infallibilitatem, nostramque ab ipsa in credendo dependentiam. Atque hæc de Ecclesia: Sequitur de Templis seu Ecclesijs materialibus. *Quot & quāta Prot. furantur ab Ecclesia.*

CAPVT OCTAVVM
DE TEMPLIS
SEV ECCLESIIS MATERIALIBVS.

ARTICVLVS PRIMVS.
AN TEMPLA INSTITVTA SINT etiam ad priuatim orandum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Templum locus orationis pro alienigena. Pro quocunque.

3. REGVM 8. v. 41. *Insuper & alienigena qui non est de populo tuo Israel, cùm venerit & orauerit in hoc loco* (Templi) *tu exaudies in Cœlo, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena.* 2. Paralipom. 6. v. 21. *Quicunque orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de Cœlis, & propitiare.*

Pro cunctis populis.

Matth. 21. v. 13. & Isaiæ 56. v. 7. *Domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.*

Anna orabat in templo.

Lucæ 2. v. 37. *Non discedebat* (Anna) *de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Et c. vlt. v. vlt. *Erant* (Apostoli) *semper in templo laudantes & benedicentes Deum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Sanctis cap. 4. *Ecclesiæ Christianorum rectè ad orandum etiam priuata oratione instituuntur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Templum non consecratur orationi.

Lutherus Postilla in Festo Dedicat. Templi fol. 447. *Populus, qui Christo credit, omnes iusti sunt, & nulli legi, maximè quod ad templorum cæremonias pertinet, subiecti: Proinde apud ipsos nunc templum orationi non consecratum est.*

Vorstius in Antibellarm. pag. 327. *Neque hic legitimus templorum finis, vt fideles priuatim in ijs precentur.*

Non pro priuatis precibus.

Tindallus apud Foxum in Actis pag. 1138. *Templa sunt tantùm ad prædicandū*: Vnde Cōfessio Heluetica c. 23. inquit: *Cedāt potiores partes in cœtibus sacris doctrinæ* Euangelicæ, *caueaturque ne nimis prolixis precibus fatigetur in cœtu populus*. Et Pseudo-Synodus Dordracensis anno 1574 artic. 46. sanciuit, *quòd publicæ vespertinæ preces non sint introducendæ vbi nondum sunt introductæ; & vbi sunt, tollantur.*

Tantùm ad prædicādū. Prolixæ preces vetitæ. Item preces vespertinæ.

COLLATIO.

Scriptura disertè dicit, quòd templum Dei sit domus orationis cunctis populis, quòd sit locus orationis vbi alienigena exaudiatur in omnibus quæ petit, quòd Apostoli erant semper in templo laudantes Deum, quòd Anna nocte ac die orabat in templo. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd templa sint tantùm ad prædicandum, quòd non sit legitimus finis eorum vt priuatim in ijs oretur, quod Christiani non habeant templum consecratum orationi, & prohibent prolixas & vespertinas preces in templis.

ART. II. AN TEMPLA SINT ornanda.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

EXodi 35. describitur insignis ornatus tabernaculi factus iussu Dei. Et similiter 3. Regum 6. ornatus templi factus per Salomonem.

Tabernaculum ornatur.

Psalmo 23. v. 8. *Dilexi decorem domus tuæ.*

Item Templum.

Marci 14. v. 15. *Dicite Domino Domus, quia magister dicit, vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem, & ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis.*

Et locus in quo conficitur Eucharistia.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Ioan. 12. v. 3. *Placent Deo sumptuosi cultus & ornatus splendidus, cùm in Dei honorem & cultum illa impēduntur, siue in templorum ornatu & magnificentia, siue in Sacramentorum administratione solenni.*

NEGANT PROTESTANTES.

Magnifici cultus non placēt Deo.

Caluinus in Ioan. 12. v. 6. *Certè Deus externas pompas non moratur—Quare præposteri sunt interpretes, qui ex Christi responso inferunt placere Deo sumptuosos & magnificos cultus.*

Ornatus Templorū nō pertinet ad Dei cultum.

Tigurini apud Hospin. part. 2. Histor. Sacramentariæ fol. 24. *Templorum ornamenta non pertinent ad verum Dei cultum.*

Ornare, templa, error.

Perkinsus in suo Problemate c. de Ornatu templorum: Error (ornandi templa) *inualescere cœpit tempore Constantini, & Patres tum abrepti consuetudine templorum ornatum requirunt.*

Superstitiosum & Ethnicū ornare templa.

Vorstius in Antibellarm. pag. 327. *Non modò superfluum, sed etiam vanum & superstitiosum, imo ex parte Ethnicum simul & Iudaicum immensos atque inutiles sumptus facere in templis ita exornandis, vt passim in Papatu fieri solet. Nam simplicitati religionis Christianæ splendor ille theatricus aduersatur.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus ipse iussit ornari tabernaculū, quod templum fuit ornatum eius instinctu, quòd Dauid dilexit decorem domus Dei, quòd Christus elegit cœnaculum grande & stratum vbi Eucharistiam celebraret. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quod magnifici cultus non placent Deo, quòd ornatus templorum non est cultus Dei, quòd ornare templa sit error, superfluum, vanum, superstitiosum, ex parte Ethnicum, & Iudaicum, contrarium simplicitati religionis Christianæ.

ARTIC. III. AN IN TEMPLIS LIceat ponere imagines Angelorum vel Sanctorum.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Deus iubet imagines Angelorū poni in tabernaculo.

EXodi 25. v. 18. & 22. Deus ita loquitur ad Moysen: *Duos Cherubin aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi. Et loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubin*

qui erunt super arcam testimonij cuncta quæ mandabo per te filijs Israel.

3. Regum 6. v. 23. & 27. dicitur de Salomone: *Et fecit in oraculo duos Cherubin de ligno Oliuarum decem cubitorum altitudinis, posuitque Cherubin in medio templi interioris.* *Salomon ponit alios in templo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 25. cap. de Inuocat. Sanctorum: *Imagines Christi & Sanctorum aliorum in templis præsertim habendæ & retinendæ sunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in cap. 7. Deuteronom. to. 3. fol. 41. *Ego imagines non admodum amo, & vellem in templo non statui.* *Imagines non ponẽdæ in templis.*

Zuinglius de vera & falsa Religione cap. de statuis: *Imagines non debent non aboleri in templis.*

Sadeel ad Artic. 59. abiurat pag. 520. *Deus abominatur imagines.*

Petrus Martyr in locis tit. de Cultu Imaginum §. 22. *Committendum non est, vt in templo habeantur imagines.* Similiter Confess. Heluetica cap. 27. Bullingerus de Origine cultus Diuorum c. 30. Caluinus 1. Instit. c. 11. §. 13.

Aliqui etiam eorum negant pingendas esse imagines Christi & Sanctorum. Vnde Leo Iudæ apud Zuinglium to. 2. fol. 627. *Si Christus & Sancti eius in cælis sunt, imagines quoque illorum fingere nefas est.* Eique assentitur Zuinglius ibid. f. 630. Et Hofman. f. 631. inquit: *simulacra omnino retineri & ferri posse, bonus ille vir existimat, modo ne quis illa vel adoret vel colat. Cæterum hæc sententia cum Scripturæ testimonijs pugnat, quibus Dominus ne illa faciamus præcipit.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus iussit poni duas imagines Angelorum in ipso Oraculo, & quòd Salomon addidit alias duas. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Deus abominatur imagines, & quòd non sunt collocandæ in templis.

ARTI. IIII. AN ETHNICI SEV IDOLAtræ putabant Idola esse Deos?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

EXodi 32. v. 8. Dominus ait ad Moysen: *Fecerunt sibi vitulum conflatilem & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Isti sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.*

Actor 19. v. 26. Demetrius Ethnicus ait: *Paulus hic suadens auertit multam turbam: dicens, quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt.*

Ethnici dicebant idola esse Deos.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Imaginibus. cap. 13. *Mendacium est, Ethnicos non putasse Idola esse* Deos.

NEGANT PROTESTANTES.

Non putabant idola esse Deos.

Caluinus 1. Institut. c. 11. §. 9. *Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerent Deum alium esse quam ligna, & lapides.*

Danæus Controu. 7. pag. 1394. *Mendacium est*, Ethnicos *credidisse Imagines ipsas Deorum esse suos ipsos Deos.*

Zuinglius in Respons. ad Valentinum to. 1. fol. 247. *Gentes non magis sua Idola Deorum loco habuerunt, quàm hodie nostras imagines habere solemus.* Similia habet Petrus Martyr lib. contra Gardinerum col. 396. Et Sadeel ad Artic. 59. abiurat. pag. 520.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd populus Idolatra dicebat quòd vitulus à se factus esset Deus suus, & quòd Demetrius Ethnicus damnabat Paulum, quòd diceret non esse Deos qui manibus fiunt. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Ethnici nō erant ita stupidi vt putarent ligna & lapides esse Deos, & quòd sit mendacium quòd crediderint imagines Deorum esse Deos. Et tamen ij ipsi, qui ita contra Scripturam tuentur Ethnicos, de eadem

re calumniantur Catholicos, quasi ipsi loco Deorum imagines habeant.

SVMMA HVIVS CAPITIS.
de Templis.

Ex dictis in hoc capite manifestum est, quòd Protestantes aliter depingant nobis templa quàm Scriptura & Catholici. Nam Scriptura cum Catholicis docet, quòd instituũtur etiam ad priuatas orationes, quòd sint ornanda, & imagines Angelorum vel Sanctorum in eis statuendæ: quæ omnia negant Protestantes, adeoque furantur à templis vnum finem propter quem instituuntur, itemque ornatum eorum, & imagines sacras.



CAPVT NONVM

DE BAPTISMO.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN AQVA SIT NECESSARIA in Baptismo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOAN 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* *Aqua necessaria vt quis renascatur.*

Ephes. 5. v. 26. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* *Ecclesia mundatur aqua.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 7. can 2. *Si quis asserat aquam*

veram & naturalem non esse de necessitate baptismi, anathema sit.

NEGANT PROTESTANTES.

Baptismus ritè confertur sine aqua.

Beza Epistol. 2. vol. 3. Theol; *Desit etiam aqua, & tamen Baptismus alicuius differri cum ædificatione non posset nec debeat, ego certè quouis alio liquore non minus ritè quàm aqua baptizarim.*

Polanus in Syllogethesium parte 2. pa. 556. *Materia Baptismi externa & sensibilis est aqua, aut ea deficiente, alius liquor analogicus.*

Festus Homius in Disput. 45 pag. 273. *Vbi aqua nulla haberi potest, alium aliquem liquorem eundem cum aqua vsum habentem, & aquæ maximè analogum substitui posse non planè negamus.*

Aqua non omnino necessaria ad Baptismũ.

Vorstius in Antibellarm. p. 367. *Bellarminus cum suis hãc Baptismi essentiam, magis quàm nostri solent, constringit, dum simpliciter omni loco & tempore puram aquam & formulam illam solẽnem: In nomine Patris &c. præcisè necessariam esse statuit.* Item: *Extra ordinem in rarissimis quibusdam & insolitis casibus etiam aliud quoddam liquoris genus quod eundem cum aqua vsum habeat, adhiberi posse non negamus.*

Idem docet Lutherus in Colloquijs Mensalibus c. 15. & probabile censet Riuettus tract. 3. sect. 3. p. 705. Neque improbat Sadeel ad Articul. abiurat. 11. p. 429.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd nisi quis renascatur ex aqua, non potest introire in regnum Dei: quòd Christus mundat Ecclesiam lauachro aquæ. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd aqua non est simpliciter necessaria: quòd extra ordinem & in casu necessitatis quis potest non minus ritè baptizare quouis alio liquore; quòd deficiente aqua alius liquor analogicus sufficit: Quæ est tam euidens Scripturæ contradictio, vt alij Protestantes & ipse etiam Beza eam agnoscat, prout videbimus lib. 2. cap. vltimo.

ART.

ART. II. AN INVOCATIO TRInitatis sit necessaria ad Baptismum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. vlt. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.*

Inuocatio Trinitatis necessaria in baptismo.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos c. de Baptismo: *Pastores docebunt hanc esse perfectam & absolutam Baptismi formam*: Ego te *baptizo in nomine* Patris *& Filij, & Spiritus Sancti.* Et infra ait hanc formam *ad Baptismi substantiam maximè pertinere.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus de Captiuit. Babylon. tom. 2. fol. 75. *Quocunque modo tradatur baptismus, modò non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, verè saluum facit; Imò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius Minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini.*

Baptismus non datus in Dei nomine, verus baptismus.

Zuinglius ad Struthionem tom. 2. fol. 312. *Nec enim ignoro Apostolos verba hæc* (In nomine Patris, &c.) *non pro iis agnouisse, sine quibus baptismus constare non posset.* De Baptismo ibidē fol. 65. *Patet hæc Christi verba, quibus apud* Matth. cap. 28. *vtitur, non sic accipienda esse, vt certa sint baptismi formula.* Et fol. 77. *Patebit Christum non hoc voluisse, vt huiusmodi verborum formula inter baptizandum vsi, dicant: Baptizo te in nomine* Patris, *&c.*

Baptismus constat sine inuocatione Trinitatis. Forma baptismi non necessaria.

Caluinus de vera Eccles. Reformatione pag. 325. *De forma baptismi disputantes* (Papistæ) *in nudam verborum pronunciationem insistunt, ac si Christus cùm Apostolos in nomen* Patris *& Filij & Spiritus Sācti baptizare iussit, magicum nescio quod carmen dictasset.*

Magicū, insistere in certā formā baptismi.

Vorstius in Antibellarm. p. 366, *Ad essentiam baptismi nihil aliud ex sententia nostrorum requiritur, quàm eius hominis in aquam immersio, qui nomen suum Christo publicè dare constituit.* Et p. sequ. *De forma* (Baptismi) *siquidem essentialis esse debeat, hic planè dissentimus, quippe nullatenus in ista verborum* (Sanctæ Trinitatis) *prolatione, sed in ipsa hominis immersione siue aquæ aspersione in nomen Christi siue S. Trinitatis facta, reuera consistit.* Et in verbis

Inuocatio Trinitatis non essentialis forma.

articulo præcedente citatis negat formulam illam solennem &c. præcisè necessariam esse. Idemque indicat Polanus in Disput. Priuatis Disp. 30.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus iusserit baptizare in nomine Sanctæ Trinitatis. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd inuocatio Trinitatis non est essentialis baptismo: quòd baptismus quocunque modo datus in nomine Domini, imò licet non detur in nomine Domini, modò in eius nomine suscipiatur sit verus baptismus: quòd baptismus potest constare sine inuocatione Trinitatis: quod Christus non præscripsit certam formulam baptismi; quòd non voluit vt prędicta verborum formula inter baptizandum vteremur: quòd in eam insistere sit magicum quoddam carmen dictare. Quæ Scripturæ contradictio adeò aperta est, vt eam agnoscat Beza, vti videbimus lib. 2. c. vltimo. Hic apponam verba M. Ant. de Dominis l. 5. de Repub. c. 5. n. 4. *In ipso baptismo materiali sunt ex diuina expressa institutione & res & verba, quia Christus iussit vt baptizarent in nomine Patris &c.*

ART. III. AN BAPTISMVS SIT NEcessarius, necessitate præcepti?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Baptismus præceptus.

MAtth. vlt. v. 19. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.*

Actor. 2. v. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 7. can. 5. *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nō magnoperè præceptus.

Bucerus in Matth. 9. pag. 403. *Respondeo, Minoris est baptismus tanquam res externa, quàm vt de eo magnoperè Dominus aliquid præcepisset.*

Zuinglius de baptiſmo tom. 2. fol. 96. ait, quòd baptiſmus ſit *quid cæremoniale quod Eccleſia poteſt omittere & ritè tollere.* *Poteſt ritè tolli.*

Oecolampadius lib. 2. Epiſtolarum pag. 363. ait quòd *ſit res externa quæ lege Charitatis diſpenſabilis eſt.* *Eſt diſpenſabilis.*

Vvitakerus Contr. 4. qu. 7. cap. 2. pag. 716. *Licet abſtinere etiam à baptiſmo, ſi nullus in hoc facto contemptus & ſcandalum fuerit.* *Licet ab eo abſtinere citra ſcandalum.*

Caſaubonus Epiſtol. ad Cardinalem Perronium pag. 25. ita ſcribit: *Nonnulli* (Proteſtantes) *baptiſmum ponunt inter ea quæ adſint vel abſint non multum intereſt.* *Non multũ intereſt ſiue adſit aut abſit.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Chriſtus & Apoſtoli præceperint Baptiſmum. Idem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd Chriſtus non magnoperè præceperit aliquid de baptiſmo: quòd Eccleſia poteſt eũ omittere & ritè tollere, & de eo diſpenſare: quòd poteſt ab eo abſtinere modò abſit contemptus & ſcandalum: quòd non multùm intereſt, ſiue adſit, ſiue abſit.

ART. IV. AN BAPTISMVS SIT AD ſalutem neceſſarius neceſſitate medij?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOan. 3. v. 5. *Amen Amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* *Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 4. *Quæ quidem trãslatio* (de iniuſto iniuſtum) *poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non poteſt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confeſſio Scotica Generalis pag. 159. *Deteſtamur & repudiamus crudele ipſius* (Papæ) *iudicium contra infantes ſine Baptiſmo morientes, Baptiſmi abſolutam, quam aſſerit neceſſitatem &c.* *Non abſolutè neceſſarius.*

Lobechius in Diſput. 11. pag. 239. *Chriſtianorum infantes morte immatura præuēti: & ab ordinario medio fidei & lauacro regenerationis excluſi, per verbum & orationem parentum à Deo recipi* *Infantes ſaluantur ſine baptiſmo.*

non dubitamus. Idem docuerunt alij Lutherani in Colloquio Ratisbonensi.

Caluinus de vera Eccles. Reformat. pag. 325. *Qui ita necessarium statuunt Baptismum, vt à spe salutis excludant, nisi qui eo tincti fuerint, in Deum sunt contumeliosi.* Et in Marci 16. v. 16. *Nō simpliciter necessarium esse dicimus Baptismum, sed tantùm obedientiæ nostræ respectu.* Et 4. Instit. c. 15. & in Refutat. Catalani p. 385. ait infantes saluari sine Baptismo.

Beza contra Vvestphalum vol. 1. Theol. p. 256. *Si cuius prolem contigerit ante mori, quàm offerri Baptismo potuerit, minimè tamen dubitamus de eius salute.* Et 2. parte Respons. ad acta Colloquij Montisbel. p. 128. *Quæstio est, an simpliciter & absolutè sit necessarius baptismus ad salutem, quod ego cum orthodoxis omnibus nego.*

Baptismus non absolute necessarius.

Petrus Martyr in thesibus pag. 1008. *Seruantur Christianorum paruuli etsi pereant ante baptismum.*

Nō præcise necessarius.

Danæus Controuers. de Baptis. cap. 4. pag. 321. *Eos execramur, qui absolutam baptismi necessitatem inducunt.* Et cap. 8. pag. 354. *Quòd baptismus est præcisè necessarius ad salutem, est blasphemum.*

Infantes salui sine baptismo.

Vvitakerus Controu. 1. quest. 6. cap. 8. pag. 376. *Salus paruulorum non pendet ex Sacramentis.* Et lib. 8. contra Duræum sect. 73 *Qui nunc infantes ante baptismum morientes à vita excludunt, contra Scripturas, contra Dei misericordiam, contra antiquam consuetudinem loquuntur.* Et addit: Quòd Catholicam sententiam de necessitate baptismi, *vt impiam & inhumanam explodunt.*

Vorstius in Antibellar. pag. 368. *Papistis absolutam necessitatem* (Baptismi) *vrgentibus nostri apertè reclamant.*

COLLATIO.

Scriptura docet, aquam Baptismi esse necessariam vt quis introeat in Regnum Dei. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Baptismus non est necessarius ad salutem, non simpliciter, non absolutè, non præcisè necessarius; quòd infantes saluantur sine baptismo, & quòd contrarium dogma sit contumeliosum in Deum, blasphemum, impium, inhumanum, execrandum, detestandum.

Hoc tamen contrarium esse Scripturæ fatentur nonnulli Protestantes lib. 2. cap. vltimo.

ARTIC. V. AN SIMON MAGVS RECEperit, seu reprobi recipiant integrum baptismum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Actor. 8. v. 13. *Tunc Simon* (Magus) *& ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat* Philippo: & c. 2. vers. 38. Sanctus Petrus indiscriminatim ait Iudęis: *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi.* *Simon magus baptizatus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Iustificat. c. 14. *Simon Magus conuersus à Philippo & baptizatus,* P*hilippum sequebatur, vt Lucas scribit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Beza contra Illyricum vol. 2. Theol. pag. 144. *Quod scribis eundem baptismum integrum contigisse Simoni Petro & Simoni Mago, falsissimum est,* Et pag. 131. *Sacramenta integrè ab incredulis recipi non fatemur.* In colloquio Montisbel. p. 118. *Concedo integra Sacramenta offerri non modò pijs sed etiam impijs, verùm ab impijs integra non percipi.* Et 2. parte. Respons. ad acta illius Colloquij p. 41. & sequ. ait Sanguinem Christi esse *præcipuam partem, propriè essentialem partem, primariam essentialem partem baptismi:* Sanguinem autem Christi nolunt fusum esse pro reprobis vel ab ijs percipi. *Simon magus non habuit integrũ baptismum. Impij non recipiunt integra Sacramenta.*

Petrus Martyr. lib. contra Gardinerum col. 970. ait Baptismum constare ex aqua & remissione peccatorum, Remissionem autem peccatorum nolunt contingere reprobis. Et col. 853. inquit: *Si quis ἀκριβῶς loqui velit, dicet impios non totum sacramentum, sed alteram tantùm eius partem recipere.* *Impij non recipiunt totum Sacramẽtum.*

Piscator Respons. ad Buscherum c. 10. p. 508. *Fides sumentis ad substantiam Sacramenti pertinet.* Negant autem reprobos habere fidem. Præterea cùm doceant baptismum esse sigillum electionis, necesse est vt vel negent reprobos integrũ baptismum recipere, vel dicant eos recipere falsum ac mendax sigillum, seu baptismum illis esse mendax sigillum. Si-

militer, cùm vocent Christum cum sua morte & resurrectione *materiam seu substantiam Cœnæ* vt disertè loquitur Caluinus 4. Instit. c. 17. §. 11. Martyr contra Gardinerũ. col. 655. 755. & alij, ac negent Christum recipi ab impiis seu reprobis, necesse etiam est vt negent integram substantiam cœnæ ab ijsdem percipi. Pareus etiam Collegio Theol. 1. Disput. 15. inquit: *Sacramenta infidelibus nihil significant vel obsignant, nedum conferunt.*

Collatio.

Scriptura docet, quòd Simon Magus fuit baptizatus, quòd Iudæi indiscriminatim erant baptizati. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd integer baptismus non contigit Simoni Mago: quòd impij seu increduli non percipiunt integra Sacramenta: quod accuratè loquendo impij non totum Sacramentum sed alteram tantùm partem recipiunt.

ART. VI. AN BAPTISMVS EFFICAX sit in reprobis vel illis prosit?

Affirmat Scriptvra.

Omnes baptizati Christo induunt Christum.

GAlat. 3. v. 27. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Actorum 2. v. 38. Petrus indiscriminatim ait Iudæis: *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.*

Affirmant Catholici.

Bellarminus lib. 3. de Iustificat. c. 14. *Infantes omnes per Baptismum verè iustificantur.* Et lib. 2. de Gratia &c. c. 16. *Originale peccatum verè nonnullis reprobis remittitur per baptismi gratiam.*

Negant Protestantes.

Nulli baptizandi nisi qui prius in Ecclesia.

Sacramẽta nihil conferant reprobis.

Caluinus de vera Eccles. Reformat. pag. 325. *Nec sanè alio iure per baptismum aggregantur in Ecclesiam, nisi quia ad corpus Christi iam ante pertinebant quàm in lucem ederentur: Alios enim qui ad baptismum admittunt, ipsum profanant.* Et pag. 349. ait quòd reprobis non destinatur baptismus. De ratione Concordiæ pag. 661. *Sacramenta electis adminicula sunt in salutem,*

aliis nihil conferunt. Et in Consens. de re Sacramentaria p. 754. *Sedulò docemus, Deum non promiscuè vim suam exercere in omnibus qui Sacramenta recipiunt, sed tantùm in electis*. Et pag. 761. *Non omnibus promiscuè, sed electis Dei tantùm prosunt signa.*

Tantũ electis prosũt.

Beza in Colloquio Montisbel: pag. 385. *Quos Dominus hoc modo non elegit, etiamsi millies baptizarentur externo baptismo aquæ, illis tamen nunquam fides aut Spiritus Sanctus donatur*. pa. 393. *Baptismum multa millia infantium accipiunt, qui tamen nunquam regenerantur.* Quod approbat Hospinianus parte 2. Histor. fol. 282. Et parte 2. Respons. ad Acta huius Colloquij pag. 76. *Nos baptismum diximus esse remissionis & regenerationis obsignationem, at non in quibusuis nec semper* Et pag. 121. *In electis solis baptismi virtus se exerit.*

Multa millia infãtiũ baptizatorũ pereunt.

Zanchius de Prædestinat. Sanctorum. c. 6. to. 7. col. 341. ponit hanc conclusionem: *Illis qui non sunt electi, nihil prodesse baptismum, neque orationes ab Ecclesia pro ipsis factas*. Et in sua Confess. cap. 15. to. 8. *Credimus quidem omnes aqua baptizari, solos autem electos, Spiritu.*

Baptismus nihil prodest reprobis.

Musculus in locis tit. de Baptismo pag. 329. in fol. *Nemo opinor ita insanit, vt etiam in reprobis dum baptizantur, Spiritum Sanctum opus gratiæ suæ electis ac credentibus destinatum, operari dicat.*

Insania, reprobis dũ baptizãtur dari gratiam.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd quicunque in Christo baptizantur Christum induunt, quòd quisque indiscriminatim possit baptizari in remissionem peccatorum. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt; quòd Sacramenta prosunt tantùm Electis, alijs nihil conferunt; quòd baptismus non destinatur reprobis; quòd reprobi licet baptizati externo baptismo nunquam recipiunt Spiritum Sanctum: Quòd multa millia infantium baptizantur sine regeneratione: quòd virtus Baptismi se exerit in solis electis: quòd baptizantur spiritu soli electi, quòd baptismus nihil prodest reprobis, & quòd contrarium dogma sit insania.

ART. VII. AN BAPTISMO MVNDENtur & abluantur peccata?

Ecclesia mundatur lauacro aquæ.

Saluifimus per lauacrũ regenerationis.

Baptismus saluos facit.

Baptizamur in remissionem peccatorũ.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

EPhes. 5. v. 26. *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans tam lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Tit. 3. v. 5. *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti.*

1. Petri 3. v. 21. *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma.*

Actor. 2. v. 38. *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et c. 22. v. 16. *Baptizare, & ablue peccata tua.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos c. de Baptismo : *Hoc primùm tradere oportet : peccatum, siue à primis parentibus origine contractum, siue à nobis ipsis commissum, quamuis etiam adeò nefarium sit vt ne cogitari quidem posse videatur, admirabili huius Sacramenti* (Baptismi) *virtute remitti & condonari.*

Baptismus nulli prodest.

Non abluit peccata.

Nihil operatur in baptizato.

Nihil facit ad ablutionem peccati.

Nihil confert.

Bene dicũt qui dicunt quod sit prorsus inutilis.

Neque signum est detersionis.

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus lib. de Captiuitate: Babylon. c. de Baptismo. to. 2. f. 75. *Baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest.*

Vrbanus Regius in locis to. 1. fol. 314. *Consequitur baptismum aquæ non abluere peccata.* Ita Lutherani.

Zuinglius de Baptismo to. 2. fol. 62. *Baptismus propter alios qui eandem nobiscum fidem custodiunt dari simul & accipi consueuit, non illius gratia qui baptizatur, neque enim quicquam in hoc externum illud signum operari potest.* fol. 70. *Externus Baptismus qui aqua constat ad peccatorum ablutionem nihil facit.* fol. 71. *Constat externum baptismum qui per aquam fit ad animarum purificationem nihil conferre.* Et fol. 56. *Quidam clamarunt externa ad salutem consequendam prorsus inutilia esse, nec aliquam in hæc fiduciam collocari debere cùm vana sint & prorsus inutilia: Et bene quidem,* (inquit) *dicebant, modò charitatis & modestiæ metas non transiuissent.* De vera & falsa Religione ibidem. fol. 91. *Quidã putant Baptismum vel peccata detergere, vel detersorum signum ac*

ac certificationem esse: quorum vtrique loquuntur quod lubet, non quod verbum Domini docuit. Idemque habet lib. citato de Baptismo fol. 63. Et fol. 101. *Credo omnia Sacramenta tam abesse vt gratiam conferant, vt ne adferant quidem aut dispensent.* Item. *Non adfert gratiam Baptismus, sed gratiam factam esse cui datur Ecclesiæ testatur.* In Romanos 4. tom. 4. *Baptismi signum non recipitur in hoc vt fidem firmet, vt peccata expiet.* Et apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 31. *Sacramenta tesseræ tantùm sunt societatis Christianæ, & nihil ad salutem conferunt.* His omnibus addit lib. de Peccato Originali tom. 2. fol. 122. *Quam stultus ergo videretur, qui propter verba* (Scripturæ) *contenderet nos aqua baptismali à peccatis ablui?*

Non firmat fidem.

Est tantum tessera Societatis Christianæ.

Caluinus 4. Instit. cap. 15. § 10. *Iam perspicuum est, quàm falsum sit per Baptismum solui nos & eximi ab originali peccato.* & §. 2. *Quis nos aqua ista mundari dicat?* In suo Catechismo pag. 30. *Num aquam esse animæ lauacrum censes? Nequaquam.* De vera Eccles. Reformat. pag. 325. *Baptismum præcedat adoptionis gratia, necesse est.* In Admonit. vltima ad Vvestphalum pa. 812. *Quod si nos abluit Baptismus, quomodo solus Christi sanguis alibi vocatur nostra ablutio?* & 835. *Si colligant corruptibili aquæ elemento purgari animæ sordes, Sol ipse iustitiæ obscurabitur.* In Actor. 22. vers. 16. *Non Baptismo ablutus est* (Paulus) *sed nouam gratiæ, quàm adeptus erat, confirmationem accepit.* In Rom. 4. vers. 12. *Negamus Baptismo iustificari homines.* Et in Ephes. 5. v. 26. *Cauendum, ne aqua putetur animæ sordes purgare.*

Non soluimur à peccato per baptismum.

Non mundamur aqua.

Non est lauacrum animæ.

Baptismus non abluit.

Paulus non ablutus Baptismo.

Beza in Compendiario Catechismo vol. 1. Theol. pag. 693. *Aqua hæc abstergitne peccata? Nequaquam.* Idem habet in Confess. cap. 7. sect. 11. Et in Apologia altera contra Saintem vol. 2. pag. 332. ait, quòd hæc loquendi formula: Sacramenta præstant quod figurant, *Vix excusari potest.* Et in Colloquio Montisbel. pag. 366. *Anima non abluitur aqua, sed corpus tantùm.* Atque in 2. parte. Responf. ad Acta Colloq. Montisbel. pag. 122. *Infantes putamus absurdum esse dicere renouari, vel eo ipso tempore quo baptizantur, vel etiam ante, non modò adultæ ætatis, verum etiam cogniti & per fidem apprehensi Christi tempus.* Et apud

Aqua non purgat sordes.

Non abstergit peccata.

Non abluit animam.

Infantes non renouantur dũ baptizantur.

Grauerum in Absurdis Caluinisticis cap. 4. §. 20. *Neque dixi pueros vel omnes vel aliquos in illo baptismi momento regenerari.* Quod etiam asserit Musculus in locis tit. de Baptismo pag. 329. Ita vt nolint Infantes regenerari, vel per baptismũ, vel eo tempore quo baptizantur.

Nec regenerantur.

Danæus Cõtrouersia de Baptismo cap. 4. pag. 323. *Aqua Baptismi nullam ad Iustificationem gignendam vim & efficaciam habet.* Et pag. seq. *Aqua, neque vt causa efficiens iustificationis, neque vt instrumentalis requiritur, sed duntaxat vt obsignatorium sigillum.*

Aqua non instrumentalis causa iustificationis.

Piscator in Thesibus loco 25. pag. 404. *Ananias aiebat Paulo: Surge, & baptizare, & ablue peccata tua, non quod futurũ esset vt Baptismo abluerentur ipsius peccata, quæ non nisi sanguine Christi ablui possunt.* Et pagin. sequen. *Ecclesia non à peccatis purgatur per ipsum Baptismum, cùm illud sanguinis Christi proprium sit.* Similia habet Vvitakerus Controuers. 2. q. 6. c. 3. pag. 566. Perkinsus in 3. Galat. tom. 2. colon. 771. Volanus lib. 1. contra Scargam pag. 817. Grossius in Analysi in Abacuc. 2. v. 4. pag. 385. & P. Martyr in locis class. 3. cap. 4. §. 21. vide Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. Art. 17. vbi etiam refert quendam Protestantem dicentem: *In vsu Sacramentorum nulla est consolatio proposita. In Sacramentis nulla consolatio accipitur.*

Baptismo nõ abluuntur peccata.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Ecclesia mundatur lauacro aquæ; quod salui simus per lauacrum regenerationis, quòd Baptisma nos saluos facit, quòd Baptizamur in remissionem peccatorum, quòd Baptismo abluimus peccata; Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd per Baptismum non soluimur à peccato, nõ iustificamur à peccato; quòd aqua Baptismi nõ mundamur, non purgantur sordes animæ, non eluitur peccatum, non absterguntur peccata: quòd aqua Baptismi nihil operatur in iustificato, nihil confert ad purgationem animæ, nullam habet vim ad efficiendam iustificationem, non est efficiens, vel instrumentalis causa iustificationis, sed duntaxat obsignatorium sigillum; quòd Baptismus nos non abluit,

abluit corpus non animam, non est lauacrum animæ, non præstat quod significat, nihil facit ad ablutionem peccati, nihil confert ad salutem, neque signum est detersionis peccati, non recipitur vt vel fidem firmet, vel peccata expiet, sed est tantùm tessera societatis Christianæ: quòd nulli prodest: quòd omnia externa sunt vana & prorsus inutilia ad salutem; & demum quòd sit stultus, qui propter verba Scripturæ contendit nos aqua Baptismali à peccatis ablui. Quæ tam clarè contradicunt Scripturæ, vt aliquando Protestantes id agnoscant, prout videbimus lib. 2. cap. vlt. Imo M. Ant. de Dominis lib. 5. de Repub. cap. 4. n. 27. inquit: *Sacramenta efficere suo modo, hoc est, vt diuina instrumenta, gratiam, & hanc ex opere operato, hoc est, ex se & non ex merito ea suscipientis, sed dispositi, fuit Ecclesiæ Catholicæ etiam puræ & incorruptæ sensus perpetuus, ex ipsa S. Scriptura manifestè habitus & eductus.*

Catholica & pura Ecclesia sensit Sacramẽta efficere gratiam ex opere operato.

ART. VIII. AN IN BAPTISMO ETIAM futura peccata remittantur?

NEGAT SCRIPTVRA.

ACtor. 8. v. 21. S. Petrus ait ad Simonem Magum iam baptizatum: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Peccatum futurum nõ est remissũ in Baptismo.

1. Corinth. 5. v. 5. Paulus iubet Corinthium iam baptizatũ, ob incestum *tradi Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat in die Domini.*

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Baptismo c. 18. *Catholici colligunt Baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed solum ad præteritum: remittit enim peccata commissa & nondum demissa.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Kemnitius in Exam. Concilij part. 2. titul. de Baptismo pag. 80. *Pontificii finxerunt gratiam Baptismi valere tantùm ad remissionem peccatorum præteritorum, vel quæ Baptismi tempus in homine inuenit.*

Caluinus 4. Instit. cap. 15. § 3. *Neque existimandum est, Baptisma in præteritum duntaxat tempus conferri, vt nouis lapsibus, in quos à Baptismate recidimus, quærenda sint alia noua expiationis remedia — sic autem cogitandum est; quocunque baptizemur tempore, nos semel in omnem vitam ablui & purgari. Itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit baptismi memoria, & hac armandus animus, vt de peccatorum remissione semper certus, securusque sit.* Idem habet in Consens. de re Sacramentaria pag. 754.

Baptismus abolet omnia peccata vitæ.

Beza lib. Quæst. & Respons. vol. 3. pag. 344. *Non abolet igitur baptismus duntaxat peccata præterita? Imo per vniuersam credentium vitam eius fructus diffunditur.* Idque repetit pag. 350. Et in Hebr. 10. vers. 1. *Christi sanguine quisquis est irrigatus, & à præteritis & à futuris peccatis liberatus est in æternum.*

Et præsentia & futura peccata.

Perkinsus in Serie Causarum cap. 33. tom. 1. col. 77. *In Baptismo semel administrato peccatorum remissio non tantùm præteritorum, sed etiam præsentium, & per omnem vitam futurorum, est data.* Idemque habet in Galat. 3. tom. 2. col. 175.

Danæus de Baptismo cap. 18. tom. 2. pag. 407. *Quomodocunque gratia illa remissioque peccatorum nobis obsignetur, ad omnia nostra peccata delenda, & præterita, & præsentia, & futura pertinet, & refertur, in singulis Christi Sacramentis.*

Zanchius in sua Confess. cap. 15. tom. 8. col. 517. *Neque enim Baptismus in remissionem duntaxat vel originalis peccati vel præteritorum delictorum confertur, sed in omnium, totiusque vitæ.*

Et peccata admissa & admittẽda.

Hommius in Disput. 44. pag. 271. *Remissio peccatorum non tantùm ante Baptismum admissorum, sed etiam tota vita admittendorum, fidelibus in Baptismo obsignatur.* Similiter docet Musculus in locis tit. de Baptismo tom. 1. pag. 637. Bullingerus Decade 5. serm. 8. fol. 359. Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 101. Vrsinus in Miscellaneis Catecheticis pag. 169. Bucanus loco 47. pag. 636.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Baptizato agenda sit pœnitentia vt peccata ei remittantur; quòd Baptizatus fuit traditus Satanæ vt Spiritus saluaretur. Similia Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Baptismus in omnem vitam purgat à peccatis, quòd in Baptismo confertur remissio præsentium & per omnem vitam futurorum peccatorum: quòd obsignatur remissio nō solum admissorum sed etiam admittendorum.

ARTIC. IX. AN INFANTES FIDELIVM nascantur & sint statu iræ & mortis antequam baptizentur.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

EPhes. 2. v. 3. *Eramus naturâ filij iræ sicut & cæteri.*

Rom. 5. v. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertransijt.* v. 15. *Si vnius delicto multi mortui sunt &c.* Et v. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam &c.*

Electi naturâ filij iræ sicut alij.

Mors & damnatio transijt in omnes.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in 1. Corinth. c. 7. ver. 14. *Nouum & profanum Caluini paradoxum est: fidelium Christianorum liberos nasci filios Dei.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius in 1. Corinth. 12. to. 4. p. 477. *Pueri Christianorum intra* Ecclesiam *& corpus Christi sunt, etiam antequam baptizentur.*

Infãtes fidelium in corpore Christi.

Caluinus 4. Instit. c. 16. §. 24. *Infantes fidelium iam à matris vtero in fœdere continentur.* §. 31. *Qui nascuntur ex fidelibus, supernaturali gratia Sancti sunt.* Idque repetit de vera Ecclesiȩ reformat. pag. 349. & §. 32. *Statim à partu, filiorum loco à Deo sunt habiti & agniti.* In Antidoto Concilij sess. 6. pag. 277. *Nisi iam ante ad eos pertineret vitæ promissio, Baptismum profanaret quisquis illis daret.* Et in Act. 8. v. 37. *Piorum liberos dico Ecclesiæ filios nasci, & ab vtero reputari in Christi membris.* Et de Reform. Eccles. p. 347. *Ad corpus Christi iam ante pertinebant, quàm in lucem ederentur.*

In fœdere.

Filij Dei.

Filij Ecclesiæ nascuntur.

Ab vtero Sancti.

Beza contra Heshusium vol. 1. Theol. pag. 307. *Ab vtero coram Deo sancti sunt fidelium pueri.*

Perkinsus de Baptismo to. 1. col. 842. *Baptismus liberos parentum fidelium non facit filios Dei, sed obsignat tantùm illis fœdus gratiæ, seque in illo contineri etiam certos reddit.* Et in Galat. 2. v. 15. to. 2. col. 83. *Peccatum originale, quod in ijs est ab initio contractum, nec ipsis imputatur.* Item. *Liberi fidelium nascuntur sancti.* Similia habet Petrus Martyr in locis Classe 2. cap. 8. §. 9. & alij Sacramentarij passim: Quorum aliqui idem etiam docent de liberis infidelium.

Peccatum originale eis non imputatur.

Infantes infidelium nullam habent causam damnationis.

Zuinglius de Baptismo to. 2. fol. 91. *Paruulos, qui ex parentibus incredulis progeniti sunt, Dei omnipotentis & iusti iudicio permitto, licet nullam in ijs damnationis causam inuenire possum.* De Peccato originali fol. 119. *De Christianorum natis certi sumus, eos peccato originali non damnari. De aliorum non itidem; quamuis, vt ingenuè fatear, nobis probabilior videtur sententia quam docuimus, non temere ponunciandum esse de Gentilium natis.* De Ratione fidei fol. 540. *Temerè damnamus Christianis parentibus natos pueros, imo Gentium quoque pueros.* Et in Elench. fol. 36. *Impiè non modò Christianorum, sed Gentilium quoque infantes damnamus.*

Temerè dãnantur.

Impiè damnantur.

Vorstius in Antibellarm. pag. 542. *In hac parte Euangelici non prorsus assentiuntur, sed vel omnes omnino infantes per Christi gratiam seruari (vt Zuinglius & alij nonnulli) vel saltem electos omnes siue ex fidelibus siue ex alijs parentibus natos, licet etiam non baptizatos, ad salutem peruenire (vt plerique alij) asserunt,* Et addit ipse. *Posteriorum horum sententia omnino tutior videtur; illorum priorum tamen benignior est & satis probabilis, eòque temerè damnanda non est.*

Hemingius in Enchyridio classe 3. pag. 322. *Si sine Baptismo discesserint infidelium pueri, iudicio Dei relinquendi sunt.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd filij fidelium sunt natura, siue nascuntur, filij iræ sicut & cæteri: quòd multi sunt mortui, quòd mors pertransijt in omnes: quòd condemnatio transijt in omnes. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd pueri Christianorum sunt in-

tra corpus Christi antequam baptizentur: quòd ab vtero continentur in fœdere, supernaturali gratia Sancti sunt, filiorum loco à Deo habentur, reputantur in Christi membris, & quòd originale peccatum eis non imputatur. Item: quòd liberi etiam infidelium nullam habent in se causam damnationis, quòd non sunt temerè damnandi, quòd temerè & impiè damnantur. Quæ tamen repugnare Scripturæ fatentur aliqui Protestantes lib. 2. cap. vltimo; Imo Caluinus ipse in Ioan. 3. v. 3. inquit: *Hac locutione* (Christi) *docemur exules nos ac prorsus alienos à regno Dei nasci*. *Et in* v. 6. *Sequitur nos omnes naturaliter exulare à regno Dei, & cœlesti vita priuatos manere sub mortis seruitute.*

ARTIC. X. AN IDEM FVERIT BAPTISmus Ioannis & Christi.

NEGAT SCRIPTVRA.

MArci 1. v. 8. Ioannes ait de se & Christo: *Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.*

Actorum 19. v. 2. & sequ. *Dixitque* (Paulus) *ad eos, si Spiritum Sanctum accepistis credentes: At illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus Sanctus est audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: in Ioannis Baptismate — His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu.*

Baptismus Ioannis in aqua, Christi in Spiritu Sancto.

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident sess. 7. Can. 1. de Baptismo: *Si quis dixerit Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi: anathema sit.*

Baptismus Ioannis sine inuocatione S. Spiritus.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Reineccius to. 4. Armaturę cap. 18. pag. 197. *Pontificij negant Baptismum Ioannis fuisse Sacramentum idem cum Baptismo Christi, cum tamen reuera idem cum Baptismo nostro sit respectu causæ efficientis, materialis, formalis, ac finalis.*

Baptismus Io. & Christi idem quoad omnes causas.

Grauerus in Absurdis Caluinisticis cap. 4. §. 69. *Alias sequeretur, alium fuisse Baptismum Ioannis, alium vero Christi, ratione substantiæ & efficaciæ; quod absurdum.*

Idem ratione substantiæ & efficaciæ.

Gesnerus loco 26. *Num Ioannis* Baptis*ma eiusdem fuit efficaciæ cum* Baptis*mo* Christi? *Planè eiusdem*. Ita Lutherani.

Vnus omnino Baptismus. Zuinglius de Vera & falsa Religione cap. de Baptismo: *Vnus omnino est Baptismus, siue Ioannis eum appellemus siue Christi. Baptismus Ioannis & Christi eadem res est.* Item. *Neque discrimen vllum fuit inter Ioannis Christique Baptismum, quod ad essentiam effectum aut finem attinet.* Et de Baptismo tom. 2. fol. 75. *Nulla inter eos differentia.* *Constabit externum illum aquæ Baptismum, quo Ioannes vsus est, cum externo Christi & Apostolorum Baptismo conuenire, nec vllā aliquam inter hos extare differentiam.*

Non duo diuersi baptismi. Musculus in locis tit. de Baptismo to. 1. pag. 617. *Non puto consentiendum esse illis, qui diuersos duos Baptismos* (Ioannis & Christi) *esse statuunt.* Et tamen (vt seq. articulo referam) fatetur Scripturam perspicuè docere, quòd ij qui baptizati fuerant Baptismo Ioannis, iterum baptizabantur Baptismo Christi. Quod est Anabaptismum introducere.

Idem reipsa Vrsinus in Catechismo quæst. 69. pag. 432. *Apparet Baptismum Ioannis re ipsa eundem esse cum nostro Baptismo.*

Non diuersi. Caluinus in Lucæ 3. v. 3. *Falsum est, diuersos esse Ioannis & Christi Baptismos.* In Actor. 19, v. 5. *Idem est Baptismus*, Idemque habet 4. Instit. cap. 15. §. 7. Et in Antidoto Concilij sess. 7. can. 1. ait quòd nihil diuersum habuerint, in doctrina, gratia, ritu.

Vnicus reipsa. Beza lib. quæst. & respons. pag. 344. *Aio reipsa eundem & vnicum fuisse Baptismum, à Ioanne primùm, deinde ex mandato Christi administratum.*

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 40. ait de Baptismo Ioannis & Christi: *Cæremonia eadem, doctrina eadem, gratia eadem fuit.*

Bucanus in Instit. Theol. loco 47. pag. 609. *Quid differt Ioannis Baptistæ & Christi Baptisma? Non authore, substantia, doctrina, signo, aut cæremonia, non etiam effectu aut significatione.* Similiter docet Bullingerus Decade 5. serm. 8. Sadeel ad arti. 10. abiurat. p. 427. Hommius Disput. 44. & alij.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Baptismus Ioannis dabatur in aqua, Baptismus Christi in Spiritu Sancto: quòd Baptismus Ioannis non dabatur in nomine Spiritus Sancti; & quòd

quòd baptizati eius baptiſmo iterum baptizabantur baptiſmo Chriſti. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd baptiſmus Ioannis & Chriſti erat vnus & idem baptiſmus, reipſa idem & vnicus, non duo baptiſmi, quòd non differebãt quoad efficientem, materiam, formam, aut finem: non quoad ſubſtantiam, doctrinam, cæremoniam, effectum, efficaciam, ſignum aut ſignificationem; non erant diuerſi baptiſmi, non erant duo diuerſi, nec vlla aliqua inter eos extabat differentia.

ART. XI. AN EPHESII ILLI DE QVIbus agitur Actor. 19. fuerint baptizati baptiſmo Ioannis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Actorum 19. v. 3. *Ille vero* (Paulus) *ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt in Ioannis baptiſmate—his auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.* *Baptizati baptiſmo Ioannis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Actorum 19. v. 5. *Tenendum & firmiter tenendum, duodecim iſtos Epheſios olim à Ioanne baptizatos.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius de Baptiſmo tom. 2. fol. 80. *En aliud argumentũ, quo demonſtratur eos* (Epheſios dictos) *in Ioannis baptiſmum externum baptizatos non fuiſſe.* Et Reſponſ. ad Hueberum fol. 104. *Si horum aliqua tibi fuiſſet conſideratio, nunquam eò veſaniæ deueniſſes, vt diſcipulos hoſce à Ioanne baptizatos eſſe diceres.* *Non baptizati baptiſmo Ioãnis.* *Veſania, dicere fuiſſe baptizatos.*

Gualterus in Actor. 19. Hom. 125. *Non de aquæ baptiſmo verba iſta* (& baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu) *exponi debent.*

Beza in Actorum 19. v. 2. *Neceſſe eſt fateri, hic non agi de peculiari quapiam duodecim hominum hiſtoria, qui ſunt ab Apoſtolo ſeu baptizati ſeu rebaptizati, neque de baptiſmo.*

Sadeel Reſponſ. ad art. 10. abiurat pag. 427. *Nuſquam legitur Diſcipulos Ioannis poſt ipſius mortem Chriſto ſe dedẽtes, rebaptizatos fuiſſe ab Apoſtolis.*

Vvitakerus lib.8. contra Duræum sect. 70. *Nego duodecim illos viros, de quibus in Actis Lucas meminit, iterum esse baptizatos.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd dicti Ephesij fuerant baptizati baptismo Ioannis, & postea baptizati baptismo Christi. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non fuerant baptizati baptismo Ioannis, quòd vesania sit illud affirmare: quòd non sunt iterum baptizati, & quòd Scriptura citata non loquitur de baptismo. Quæ Scripturæ contradictio est ita manifesta, vt ita scribat Musculus in locis tit. de Baptismo tom.1. pag.617. *Mea sententia est, esse discipulos hosce bis tinctos, & vt sic censeam, mouet me perspicuitas verborum.* Et pag. seq. *Manifestum esse iudico, esse illos non semel tantùm, sed secundò baptizatos.*

ART. XII. AN PRÆDICTI EPHESII audiuerant de Spiritu Sancto?

NEGAT SCRIPTVRA.

Actor. 19. v. 2. *Dixitque ad eos* (Paulus) *si Spiritum Sanctũ accepistis credentes: At illi dixerunt ad eum:* Sed *neque si Spiritus S. est audiuimus.*

Non audiuerant an esset Spiritus S.

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Actor. 19. v. 5. *Dixit istis Ephesiis, quia de Spiritu S. nihil audiuisse responderant, Paulus: In quo ergo baptizati estis?*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Caluinus in Actor. 19. v. 2. *Quî fieri potuit, vt homines Iudæi de Spiritu nihil audierint—Certè hinc colligimus neque generaliter locutum esse Paulum de Spiritu, ideo in voce Spiritus Metonymia est.*

Non potest fieri vt non audiuerint.

Beza in Actor 19. v. 2. *Absurdissimum fuerit credere, eos qui ab Ioanne baptizati essent & se Christi discipulos profiterentur, ignorasse an esset aliquis Spiritus Sanctus.*

Absurdissimum.

Bucanus in Instit. loco 47. pag. 612. *Quod illi duodecim negant auditum à se esse, an sit Spiritus Sanctus, non de existentia aut*

hypostasi Spiritus S. sed metonymicè de modo visibili effusionis donorum intelligendum est,

Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 18. pag. 200. *Si simpliciter quæsitum fuisset ac responsum de Spiritu Sancto intuitu personæ & gratiæ, sequeretur illis nullam de Spiritus Sancti persona ac gratia cognitionem illuxisse. At consequens est absurdum.* Similiter Gualterus homil. 125. in Acta. *Absurdū.*

COLLATIO.

Scriptura clarè refert, quòd prædicti Ephesij neque vel audiuerant an esset Spiritus S. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non potuit fieri vt nihil audiuerint de Spiritu Sancto, & quòd fuerit absurdissimum credere eos ignorasse an fuerit aliquis Spiritus Sanctus.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE Baptismo.

QVæ in hoc capite retulimus, clarè ostendunt Protestantes longè aliter de Baptismo sentire, quàm Scriptura & Catholici. Nam Scriptura cum Catholicis docet aquam & inuocationem Trinitatis esse necessariam in Baptismo, baptismum esse necessarium tam necessitate præcepti, quàm medij ad salutem, Simonem Magum & reprobos recipere integrum Baptismum, baptismum efficacem esse in reprobis, baptismo mundari peccata, infantes fidelium esse in statu mortis & damnationis antequam baptizantur, & baptismum Christi diuersum esse à baptismo Ioannis. Quæ omnia Protestantes negant.

Ostendunt etiam, quòd Protestantes fures agant erga Baptismum, & ab eo furentur necessitatem aquæ & inuocationis Trinitatis, necessitatem præcepti & medij ad salutem, integritatem & efficaciam in reprobis, vim mundandi peccata in quibuscunque, & differentiam atque excellentiam supra baptismum Ioannis. Quibus sublatis, non nisi nomine tenus remanet baptismus Christi, neque illi nisi nomine tantùm baptizati Christiani. Hactenus de Baptismo: Sequitur de Eucharistia. *Quot & quanta Protestātes furantur à Baptismo.*



CAPVT X.

DE EVCHARISTIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN EVCHARISTIA, SEV ID QVOD CHRISTVS POST VLTIMAM COENAM manibus porrigebat Apostolis, fuerit eius corpus & sanguis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Eucharistia est corpus Christi. Corpus datum pro nobis. Traditum pro nobis. Est caro Christi. Est sanguis in remissionẽ peccatorũ fusus.

ATTH. 26. v. 26. & Marci 14. v. 22. Christus ait de eo quod manibus porrigebat Apostolis manducandum: *Hoc est corpus meum.* Et Lucæ 22. v. 19. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Et 1. Corinth. 11. v. 24. *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Præterea Ioan. 6. v. 51. inquit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et v. 55. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Matth. 26. ver. 28. Christus ait de eo quod porrigebat bibendum: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Idemque habetur Marci 14. v. 24. Et Lucæ 22. vers. 20. *Hic est calix nouum testamentũ in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* Et 1. Corinth. 11. vers. 25. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. *Nondum Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat.* Et cap. 4. *Quoniam Christus corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo &c.*

NEGANT PROTESTANTES.

Quoniam Sacramentarij in hac materia varijs modis Sacrosanctę Scripturę contradicunt, idcirco eos in certas classes distribuam, vt inde eorum pugna cum Scriptura magis appareat; præsertim quia interdum asserunt se non in re sed in modo tantùm à Catholicis differre.

Primo igitur contradicunt Scripturæ, quia negant, quòd Eucharistia, seu (vt ipsi loquuntur) Panis, Panis Dominicus, Panis Cœnæ sit corpus Christi.

Malancthon in Epistola ad Comitem Palatinum apud Martyrem in Dialogo col. 112. & Hospin. parte 2. Histor. fol. 260. *Paulus non dicit (vt Bremenses) panem esse substantiale corpus Christi: non dicit (vt Heshusius) panem esse verum corpus Christi.* *Non est verum corpus Christi.*

Bucerus apud Hospin. lib. cit. fol. 191. *Neque enim panis ipsummet corpus Christi est, sed est Symbolum eius.* & fol. sequ. *Panem & vinum symbola, non autem res ipsas huius tanti mysterij esse omnes fateri.* *Nō ipsummet corpus Christi.*

Hospinianus ipse ibidem fol. 261. *Panis cœnæ non substantiale corpus Christi.* Idque repetit fol. 254: Similia verba habent ibidem Helueti fol. 153. Tigurini. fol. 161. Argentinenses fol 100. Hardenbergius fol. 297. & Engelhardus fol. 25. *Nō substātiale corpus Christi.*

OEcolampadius apud Hospin. parte. 2. Histor. fol. 118. *Vrgent aliqui, panem Dominicum esse ipsissimum corpus Christi. Nos verò contra dicimus.* *Non ipsissimū corpus.*

Zuinglius lib. de Cæna to. 2. fol. 283. *Hæc Christi verba: Hoc est &c. de substantiali & corporea carne intelligi nullo modo possunt.* Idque repetit lib. de Vera. & falsa Religione cap. de Eucharistia. Et in subsidio to. 2. fol. 247. vbi etiam inquit: *Dicuntur symbola ista Panis & vinum Christus, corpus Christi, sanguis Christi, per metonymiam, non quòd ista sint, putà Christus, corpus, sāguis: sed quòd à Christo instituta sint.* Et serm. 1. Bernæ habito f. 532. *Quasi dicat (Apostolus,) eorum quæ modo enarrauimus hæc est sententia: Nequaquam caro est quòd apponitur, licet eo nomine modo dignatus sim, nec etiam sanguis est, sed panis & potus.* *Non corporea caro.* *Non corpus aut sanguis Christi.* *Non caro aut sanguis.*

Caluinus in Matth. cap. 3. v. 16. *Vocatur panis Sacræ Cœnæ, corpus Christi, non quia sit, sed quia testatur nobis verè dari in cibum.* *Non corpus Christi.*

Non alimentum nostrum spirituale.

Beza in Catechismo Compend. sect. 9. vol. 1. Theol. p. 693. *Hic panis & hoc vinum, sunt ne alimentum nostrum spirituale? Minimè, sed nobis id significant vnde vita æterna proficiscitur.*

Nō verum & reale corpus. *Non verum corpus.* *Non vera caro.*

Danæus Controuers. de Eucharistia cap. 10. p. 546. *Non est verum & reale corpus Christi panis ille Sacramentalis.* Pag. seq. *Panis à Christo porrectus Apostolis, non fuit verum corpus Christi.* Et cap. 1. pag. 489. *Ex quo fit vt signa maneant σφραγῖδες & signa, nunquam autem res ipsa signata, nempe vera caro & verus Christi sanguis fiant.*

Non licet dicere de Eucharist. Hoc est &c. *Nō propriè corpus Christi.*

Petrus Martyr contra Gardinerum col. 147. *Ostenso Sacramento Eucharistiæ, non licet ipsis de eo toto pronunciare: Hoc est corpus meum.* col. 356. *Manifestum est, panem Eucharisticum non esse propriè corpus Christi.* Et in Dialogo col. 137. *Hoc est corpus meum, sic exponendum est: Hoc, quod scilicet demonstrabatur, significat corpus meum.*

Non naturale corpus Christi.

Volanus lib. 1. contra Scargam pag. 793. *Non est vtique panis verum illud & naturale corpus Christi, tametsi corpus, sed sacramentaliter, dicatur.*

Non caro Christi.

Iuellus in Defens. Apologię parte 2. cap. 10. diuis. 1. pag. 209. *Aliud est panis Sacramenti, aliud caro Christi: latum discrimen est inter panem Sacramenti & carnem Christi.*

Non corpus Christi.

Bellus in Antepasto Iesuitico pag. 44. *Sensus Christi non est: Hoc est corpus meum naturale, & realis sanguis meus.*

Non ipsum corpus Christi. *Protest. agnoscunt se contradicere Scripturæ.*

Musculus in locis titulo de signis to. 1. pag. 607. *Panis Cœnæ dominicæ non est ipsum corpus Christi:* Hæc tamen contradictio Scripturæ est adeò manifesta, vt idem Musculus ibidem titulo de Cœna pag. 651. ita scribat: *Non licet vt dicam panem Cœnæ non esse corpus Domini. Hoc enim dicens, contradicerem Domino dicenti: Hoc est Corpus meum.* Item. *Alioquin panis non esset corpus Domini, contra expressum ipsius verbum.*

Secundus modus contradicendi. *Eucharist. non aliud quàm simplex cæremonia.*

Secundò contradicunt Scripturæ, dum dicunt quòd Eucharistia non sit aliud, quàm simplex cæremonia, tantùm panis, tantùm typus, signum, vel figura corporis & sanguinis Christi.

Lutherus apud Hospin. lib. cit. fol. 194. ait Eucharistiam à Melancthone, *non aliter quàm simplicem cæremoniam nominari & haberi.*

Confessio Czingerina in Syntagmate Confessionum pa. 196. *Signa* (Eucharistica) *non substantiam signatorum, sed tantùm accipiunt nomina.* *Accipit tantùm nomen signati*

Helueti apud Hospin. lib. cit. fol. 183. *Panis non est ipsummet corpus Christi, sed eius signum duntaxat & Sacramentum.* *Duntaxat signum.*

Zuinglius de Cœna tom. 2. fol. 289. *Panis figura tantummodo est, qua corpus illud significatur cuius nos recordari oportet.* 291. *Potus non aliud reuera quàm vinum erat.* 293. *Non aliud quàm signum vel figura.* Et 296. *Ipsi Apostoli panem hunc non vnquam corpus Christi nominarunt, sed panem duntaxat.* *Tantummodo signa.* *Non aliud quã vinum aut signum.*

Et Respons. ad Lutherum fol. 435. *Præter panem non est quicquam amplius.* *Nihil præter panem.*

Oecolampadius apud Zuinglium tom. 2. fol. 500. *Hæc omnino verborum istorum sententia est: Hic panis corporis mei signum est, & nullus alius.* Et fol. 503. *Particulas istas* (Hunc & hoc) *indices certos & infallibiles esse non negamus, sed tales sunt qui hic non aliud quàm communem panem esse doceant.* *Signum corporis & nihil aliud.* *Non aliud quàm communis panis.*

Caluinus in Forma administrandæ Cœnæ pag. 41. *Satis habeamus, si panis ac vinum nobis pro nota & signo dentur.* *Satis, quòd sit nota & signum.*

In Admonit. vltima ad Vuestphalum pag. 826. *Quid aliud est panis & vinum cœnæ, quàm visibile verbum?* Et 4. Instit. cap. 17. §. 14. *Cœna nihil aliud est, quàm conspicua eius promissionis testificatio, quæ Ioannis 6. habetur, nempe Christum esse panem vitæ qui de Cælo descendit.*

Beza in 1. Corinth. 5. v. 7. *Agnus Paschæ dicitur esse Christus, eadem prorsus ratione, qua panis ille dicitur esse Corpus Christi pro nobis traditum.* Contra Heshusium vol. 1. theol. pag. 308. *Panis non aliter est corpus, & vinum, non aliter sanguis, quam aqua Baptismi est sanguis.* Et contra Illyricum vol. 2. pa. 149. *Aquam Baptismi tam esse sanguinem Domini dico, quàm panis ille est illius corpus.* Idemque habet Bucanus loco 47. pag. 643. *Agnus eodem modo Christus, quo panis Euchar.* *Non aliter sanguis Christi quàm aqua est.*

Danæus Controuers. de Eucharistia cap. 13. pag. 576. *Verba S. Cœnæ signorum solùm significationẽ spiritualem explicant, vti & in Baptismo.* Et pag. sequ. *Patres volunt panem & vinum esse duntaxat corporis & Sanguinis veri & essentialis Christi simbola & signa.* *Duntaxat signum & symbolum.* *Tantum typi & signa.*

Petrus Martyr apud Coccium to. 2. lib. 6. art. 1. Panis &

vinum tantùm sunt typi & signa corporis & Sanguinis Christi.

Tantum signum. Carterouitus apud Martyrem in disputat Oxoniensi pag. 134. *Eucharistia tantùm est signum.*

Vvitakerus Controu. 2. qu. 5. cap. 17. pag. 541. *Sunt Sacramenta sigilla tantùm eorum bonorum quæ nobis in verbo proponuntur.*

Tātū signū ac sigillum. Perkinsus de Cæna t. 1. col. 858. *Panis corpus dicitur, cùm tamen signum tantùm ac sigillum sit corporis.* Atque hinc est quòd Eucharistiam nostram contumeliosè vocent aliquando *frustum panis*, vt Vvitakerus Controu. 1. qu. 2. cap. 16. & Perkinsus de sermo. Domini. col. 554. Aliquando *frustulum panis*, vt Caluinus in Matth. 19. v. 13. & Admonit. vlt. pag. 800. Aliquādo *Crustulum*, vt Beza in Confess. cap. 7. sect. 11. Aliquando *placentam & crustulum*, vt Petrus Martyr Oratione 1. Tigurina col. 85. Et aliquando *laganum & artocream*, vt idem Martyr contra Gardinerum col. 422.

Tertius modus contradicendi. Tertiò contradicunt Sacræ Scripturæ, dum negant corpus Christi esse præsens in Cœna, in Eucharistia, in pane Eucharistico, seu Sacramento.

Christi corpus non adest realiter in cæna. OEcolampadius vt refert Schusselburg. lib. 3. Theol. Caluin. art. 8. fol. 59. *Asseuerat absurdum esse dogma, ex quo sequatur multos esse Christos, si dicamus adesse corpus Christi realiter in Cœna.*

Corpus Christi non est præsens in Sacramento. Zuinglius in Respons. ad Propositiones Echij to. 2. fol. 576. De hac propositione Echij: *Verum vivumque Christi Corpus & eiusdem sanguis in Sacramento altaris præsentia ad sunt*, ita censet: *Propositio hæc, nec pia nec Christiana est.* Sermone 1. Bernensi fol. 527. *Tres fidei Christianæ articuli cum corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia ex diametro pugnant.* De Ratione fidei fol. 541. ait quòd sit error dicere, *quòd Christi corpus per essentiam & realiter, hoc est, corpus ipsum naturale in cœna adsit.* Et in Respons. ad Lutherum fol. 363. inquit: *Contemplatione est in Eucharistia Christus.* Et fol. 456. *Christi corpus in cœna esse eo modo quo corpora nostra iam nunc in Cælis sunt, non inuiti agnoscimus & fatemur.* Et in Epistola ad Principes fol. 546. *Omnis ista præsentia nihil est sine fidei contemplatione.*

Nō præsens in cæna. *Est in Euchārist. per contemplationem.* *Eo modo quo corpora nostra nūc sunt in Cælo.*

Tigurini apud Schusselburg. lib. 1. theol. Caluin. art. 21. fol. 97.

fol.97. dicunt *corpus & sanguinem Christi per imaginationem nudam esse in Sacramento cœnæ.* Carolstadius ibid. artic. 20. fol. 87. *Corpus Christi non est in cœna: Christus non est in Sacramento, nec in eo esse potest.* Et Gualterus ibidem fol.89. *Arguit hoc eorũ temeritatem, qui hodie realem & corporalem Christi præsentiam in cœna mystica statuunt.* *Per nudam imaginationem in Sacramento. Non in Sacramento.*

Hospinianus parte 1. Histor. lib. 5. pag. 549. *Eo ipso quod intelligitur & creditur adesse, apertè innuitur & significatur, non realiter adesse: alioquin non intellectu & fide ad hanc rem opus esset.* *Non realiter adest. Opus est intellectu ut adsit.*

Musculus in locis titulo de cœna pag. 684. in 4. *Christus instituit Sacramentum hoc ad sui rememorationem: ergo instituit non quatenus præsens est Spiritu, sed quatenus absens futurus erat corpore.* Idem habet Sadeel de Sacramentali manducatione pag. 281. *Christus est absens corpore.*

Caluinus 4. Institut. cap. 17. §. 30. *Mediator noster, cùm totus vbique sit, suis semper adest, & in cæna speciali modo præsentem se exhibet: sic tamen, vt totus adsit, non totum, quia in carne sua cælo comprehenditur, donec in iudicium appareat.* In defens. 2. contra Vvestphalum pag. 774. *Efficaciter exhiberi in cæna dixi Christi corpus, non naturaliter: secundum virtutem, non secundum substantiam.* Et in Confessione de re Sacramentaria artic. 21. *Christus quatenus homo est non alibi, quã in Cœlo quærendus est.* Et artic. 25. *Necesse est, corpus Christi à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cœlum abest à terra.* *Non totum Christi adest in Cœna. Non exhibetur secũdũ substantiam in Cœna. Tantum distat à nobis quantũ Cœlum à terra.*

Beza contra Heshusium vol. 1. theol. pag. 278. *Non dicimus corpus Christi adesse in pane.* Respons. 2. ad Selneccerum vol. 2. pag. 248. *Sanè, si præsens esse intelligunt, quod sit eo ipso loco vbi cæna celebratur & sumitur, præsentiam illam corporis Christi prorsus vt commentum repudiamus.* Apologia 1. contra Saintem pag. 297. *Non alia Domini præsentia in cœna, quàm in baptismo & verbo simplici.* In Respons. ad Acta Torgensia vol. 3. pa. 56. *Hæc verba: meum corpus, non aliud significant, quàm signum & figuram absentis corporis, si absentiæ voce notetur loci distantia.* & pag. 68. *Præsentiæ modum Sacramentalem facile nobis est intelligere & effari ex verbo Dei, eum videlicet, quo res ipsa significata offertur quidem intellectui cognoscenda & approbanda, fidei verò amplectenda & credenti applicanda.* Et epistola. 76. pg. 288. *Quæ* *Non adest in pane. Non est eo ipso loco vbi Cæna celebratur. Non aliter præsens quàm in verbo. Præsens, sicut res significata est præsens.*

Præsens, vt res cogitata cogitationi.

sit ista corporis præsentia, manifestè intelligimus & percipimus ex Dei verbo: sicut videlicet res cogitata est præsens cogitationi, res credita est præsens fidei. Et vt refert Grauerus in Absurdis Caluinisticis cap. 3. §. 49. *Hanc præsentiam apertè collocat in imaginatione.*

Præsens in imaginatione.

Nullũ verbũ de præsentia corporis in cœna.

Zanchius apud Hospin. parte 2. cit. fol. 316. *De præsentia corporis Christi in cœna, testor me non libenter de ea disputare. Idque propterea, quòd nullum de ea verbum in Sanctis literis legam.* Et VVittembergenses ac Lipsenses Theologi ibidem fol. 292. *Miramur cur disputetur tantopere à talibus, quid pani adsit?*

Non est in Sacramento.

Academia Nemausiensis in Respons. ad Tournonios pag. 664. *Negamus consecutionem:* Ergo *Christi corpus vel Christi caro est in Sacramento.*

Nulla præsentia corporis in pane.

Piscator in thesibus lib. 2. pag. 458. *Quæret aliquis ex me, an non concedam verbis illis Domini: Hoc est &c. significari aliquam corporis Christi cum pane præsentiam? Non concedo, inquam.*

Non realiter in cœna.

Danæus Contr. 3. pag. 459. *Authores, quos iste citat, docent tantùm sacramentaliter propter promissionem Christi, non autem realiter (vt Pontianus loquitur) offerri, & esse in S. Cœna corpus Christi: id quod verum est, illud autem Pontiani, falsum.*

Præsentia Christi in cœna non corporis sed personæ.

Tilenus in Syntagmate cap. 51. pag. 721. ait, quòd præsentia Christi in cœna, *non partis siue corporis est, sed totius personæ.*

Præsentia corporis remouetur ab Eucharistia.

Nõ realiter in Eucharistia vt in Sacramento.

Non præsens in Sacramento.

Petrus Martyr apud Schusselburg. lib. 3. Theol. Caluin. artic. 8. fol. 68. *Præsentiam corporis Christi ego ab Eucharistia remoueo.* Et apud Hospin. part. 2. citat. fol. 258. & sequ. sæpe negat *corpus & sanguinem Christi esse præsentia in Eucharistia.* Et lib. contra Gardinerum col. 191. ait esse merum monstrum *corpus Christi adesse realiter Eucharistiæ non vt in loco, sed vt in Sacramento.* Et 369. *Corpus Christi reipsa & substantialiter non est in cœna, sed in ea significatur.* 815. *Corporis Christi præsentia in Cœlo ex diametro pugnat cum eiusdem præsentia in Sacramento.* 946. *In eo dissidemus, quòd vos præsentiam eius carnis in Eucharistia realem*

statuitis: nos autem apprehensione eius per fidem & spiritum contenti sumus. 993. *Nos quidem non admiscemus huiusmodi fidem, qua credamus Christi corpus adesse propriè & substantialiter in cœna.* Et col. 994. *Si præter significationem, velit etiam esse realem præsentiam, id omnino pernegamus.* Et in Confessione fidei to. 3. col. 114. *Neque in Symbolis, neque in ipsis communicantibus realem aut substantialem corporalemue corporis Christi præsentiam admitto.*

Pseudo-Synodus Londinensis apud Hospin. parte 2. Histor. fol 220. *Non debet quisquam fidelium carnis Christi & sanguinis realem & corporalem (vt loquuntur) præsentiam in Eucharistia vel credere vel profiteri.* *Nulla realis presētia corporis in Eucharist.*

Iuellus in Defens. Apologiæ part. 2. cap. 12. diuis. 1. pag. 221. *Christi corpus est præsens, non realiter, neque in substantia, sed tantùm in mysterio.* *Nō presens in substantia.*

Carterouightus in Disputat. Oxoniensi apud Petrum Martyrem pag. 133. *Probabo realiter corpus Christi in Sacramento non esse.* *Non realiter in sacramento.*

Perkinsus in Cathol. Reformat. Contro. 1. cap. 1. ait corpus Christi esse præsens in Sacramento Cœnæ *sicut verbū & res per verbum significata sunt præsentia.* *Presens, vt res verbo.*

Vvitakerus Controuers. 2. qu. 6. cap. 3. pag. 567. *Ecclesia Papistica docet Christum esse in Sacramento realiter præsentem.* Et in præfat. Respons. ad Demonstrat. Sanderi, pag. 741. *Christi corpus non est in Sacramento, neque in Sacramentis infinitis.* *Non est in Sacramento.*

Quartò contradicunt sacræ Scripturæ, dicendo nihil amplius recipi in Eucharistia siue in cœna, quàm in baptismo, vel simplici verbo. *Quartus modus contradicendi.*

Caluinus contra Heshusium pag. 847. *Planè liquida est solutio: Deum non plus dare visibilibus symbolis, quàm verbo — Itaque communicationem non minus verè nobis conferri per Euangelium, quàm per cœnam.* In Consensu de re Sacrament. pag. 759. *Nihil absurdius est, quàm Sacramenta efferri supra verbum, cuius appendices sunt & sigilla.* Et 4. Institut. cap. 14. §. 14. *Fallitur, qui plus aliquid sibi per Sacramenta conferri putat, quàm quod verbo Dei oblatum vera fide percipiat.* *Symbola nō plus habent quàm verbum.* *Non plus datur per Sacramenta quàm per verba.*

ſet antequam carnem induiſſet, veriſſimum eſſe comperietur.

Petrus Martyr contra Gardinerum col. 150. *Patres in veteri teſtamento corpus & ſanguinem Chriſti (quod ad rem ipſam attinet) non ſecus ac nos, edebant ac bibebant.*

Author Orthodoxi Conſenſus apud Schuſſelburg. lib. 4. theol. Caluin. art. 17. *Conſtat, quòd non ſolùm nullum inter veteris & noui teſtamenti Sacramenta diſcrimen ſtatuatur, (quantum attinet ad res ipſas) ſed nec quoad modum coniunctionis aut præſentiæ rerum cum ſignis.*

Sextò contradicunt ſacræ Scripturæ, aſſerendo Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti Symbolicum, myſticum, & Sacramentale. *Sextus modus contradicendi.*

Zuinglius de Vera & falſa Religione cap. de Euchariſtia tom. 2. fol. 238. *Cogimur hic planè confiteri, quòd hoc ipſum quod Chriſtus tanta diligentia, maieſtateque dabat, corpus ſuum ſymbolicum eſſe.* Et in Reſponſ. ad Confeſſ. Lutheri tom. 2. cit. fol. 514. *Facilè intelligi poteſt, panem iſtum, quem Chriſtus nobis porrigit, ſacramentale Chriſti corpus eſſe, id eſt, corporis ipſius ſignum: ea nimirum ratione & dicendi formula, qua Coclitis ſtatuam demonſtrantes, dicimus: En hic Cocles ille fortiſſimus patriæ propugnator eſt.* Idem Epiſtola ad Principes fol. 548. *Panis ſacramentale corpus Chriſti fit.* Item ibidem & apud Hoſpin. lib. cit. fol. 103. *Dicunt aduerſarij corpus Chriſti naturale & ſubſtantiale præberi: nos ſacramentale: Hinc pugnæ.* Et fol. 143. *Hoc eſt corpus meum, id eſt, Hoc eſt corpus meum Sacramentale, ſiue myſticum.* *Euchar. eſt corpus ſymbolicũ Chriſti.* *Eſt corpus Chriſti Sacramẽtale.* *Corpus myſticum.*

OEcolampadius apud Bezam in Reſponſ. ad Repetit. Saintis vol. 3. pag. 48. *Panis ille eſt Symbolicum corpus.* Et ipſe Beza pag. ſequ. ait, *rectè dici Panem illum eſſe Symbolicum Chriſti corpus.* Sic etiam Aretius apud Grauerum in Abſurdis Caluiniſticis cap. 3. ſect. 7. pag. 166. *Corpus ſymbolicũ.*

Danæus de Euchariſtia cap. 10. pag. 547. *Auguſtinus panem eſſe corpus Chriſti Sacramentale tantùm, non autem naturale fatetur.* Item. *Panis à Chriſto porrectus Apoſtolis fuit corpus Chriſti Sacramentale.* *Corpus Sacramẽtale.*

Vrsinus in Miscellaneis pag. 172. *Corpus Christi est propriè dictum, & sacramentale: quod est panis Eucharisticus.*

Septimus modus contradicendi Scripturæ.

Septimò contradicunt sacræ Scripturæ, dicendo Eucharistiam esse Symbolicè, tropicè, metonymicè, ostensiuè, analogicè, quodammodo corpus Christi.

Est corpus Christi symbolicè. Sacramentaliter. Sacramentali modo. Quodammodo. Figuratè. Non nisi Metonymicè. Tropicè.

Caluinus contra Heshusium, pag. 844. *Metonymica est, quòd ad panem, locutio: vt verè dici possit symbolicè esse verum Christi corpus.* Admonit. vlt. ad VVestphalum pag. 821. *Constat panem symbolicè illis fuisse corpus.* 822. *Panis sacramentaliter est Christi corpus.* 835. *Sacramentali modo est Christi corpus.* Et pag. 830. *Quodammodo est corpus.* Et 4. Instit. cap. 17. §. 21. *Dico Metonymicum esse hunc sermonem.* Et §. 23. *Panis vocatur figuratè corpus.*

Beza Respons. 3. ad Selneccerum vol. 2. pag. 270. *Corporis & sanguinis nomina non nisi μετωνυμικῶς pani & vino tribuuntur.*

Danæus Controuers. de Eucharist. cap. 1. pag. 489. *Metonymicè panis hic sacramentalis dicitur corpus Christi.* Ca. 10. p. 546. *Ipse panis tropicè corpus Christi dicitur.*

Melancthon apud Hospin. lib. citat. fol. 69. *Hic est sanguis meus, est metonymia, ac si dicas: Fasces sunt Imperium Romanum.*

Vvitakerus lib. 2. contra Duræum sect. 10. *Est panis verum corpus Christi, & vinum verus sanguis Christi, sed mysticè, μετωνυμικῶς, sacramentaliter.*

Analogicè.

Perkinsus in Cathol. Reformat. Controuers. 11. cap. 2. col 428. *Panis est corpus Christi sacramentaliter, per analogiam, & non aliter.*

M. Antonius de Dominis lib. 5. de Repub. c. 6. n. 45. *Vinum in calice est sanguis Domini tantùm ostensiuè, hoc est, figuratiuè & typicè.*

Tantum ostensiuè.

Confessio Heluet. cap. 21. *Corpus Domini & sanguinē eius cum pane & vino non ita coniungimus, vt panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione Sacramentali.*

Significatiuè & non aliter.

Vvolfius apud Schusselb. lib. 1. theol. Caluin. art. 22. fol. 115. scribit panem *esse corpus & vinum esse sanguinem Christi significatiuè, non aliter, ac clauis tradita sit domus.*

COLLATIO.

Scriptura ex professo docens quid Christus dixerit illud esse, quod post vltimam Cœnam instituebat, & manibus suis Apostolis porrigebat, refert quòd dixerit illud esse corpus suum & sanguinem suum: & ne ambigeremus, quod corpus & qui sanguis eius, addidit, corpus suum datum pro nobis, traditum pro nobis: sanguis suus noui testamenti, & fusus in remissionem peccatorum: Et alibi, quòd panis quem erat daturus, erat caro sua, quam daturus erat pro mundi vita. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt; primò, quòd panis à Christo porrectus Apostolis, panis dominicus, panis cœnæ dominicæ, panis S. cœnæ, panis Sacramentalis, panis Sacramenti, Sacramentum Eucharistiæ non est corpus Christi, non ipsum corpus Christi, non ipsissimum corpus Christi, non verum corpus, non substantiale corpus eius; nequaquam caro, non vera caro Christi, aliud à carne Christi; non res ipsa, non alimentum nostrum Spirituale; quòd verba Christi nullo modo possunt intelligi de substantiali carne, quòd ostenso Sacramento Eucharistiæ non licet de eo toto dicere: Hoc est corpus meum. Secundò dicunt, quòd sit tantummodo figura, tantùm nota & signum, nihil aliud quàm testificatio promissionis, duntaxat Symbolum, tantùm typus, tantùm signum, tantùm signum & sigillum, quòd accipit tantùm nomen signati: quòd non sit aliud quàm communis panis, duntaxat panis, frustum, frustulum & crustulum panis: quòd agnus Paschalis erat corpus Christi eadem prorsus ratione qua Eucharistia est, quòd aqua baptismi tam est sanguis Christi quàm panis Eucharistiæ corpus eius: quòd verba Cœnæ habeant hunc sensum & nullum alium: Hic panis est signum corporis mei, & quòd solum explicant spiritualem significationem signorum. Tertiò dicunt, quòd nemo fidelium debet credere realem præsentiam carnis Christi in Eucharistia: quòd præsentia corporis Christi sit remouenda ab Eucharistia: quòd non sit præsens in Eucharistia, non realiter præsens in Sacramento, non in Sacramento, neque in Sacramentis infinitis, non in Sacramento, neque in eo esse

potest: quòd sit Papisticum dicere, quòd Christus sit realiter præsens in Sacramento: quòd est in Sacramento cœnæ per nudam imaginationem: quòd non est sub elementis, non adest in pane, quòd corpus Christi non adest realiter in cœna, non est in cœna, non adest in cœna, non præsens in cœna, non totum Christi adest in cœna, non secundùm substantiam exhibetur in cœna, eo modo in cœna, quo corpora nostra iam nunc in cœlo: quòd non est in eo loco vbi celebratur cœna, quòd est absens loco: quòd à nobis tanto locorum interuallo distat, quanto cœlum à terra: quòd non realiter adest, quod sit absens corpore: quòd non sit alibi quàm in Cœlo, quòd eius præsentia Sacramentalis tota consistit in significatione, nec sit alia quam qua res cogitata est præsens cogitationi, & res præsens est verbo quod eam significat. Itaque negant corpus Christi esse præsens vel Eucharistiæ, vel pani, vel Cœnæ, vel loco Cœnæ, vel nobis: sed quòd sit simpliciter absens, & solummodo præsens per nudam imaginationem, vel eo modo quo res cogitata est præsens cogitationi, vel corpora nostra iam nunc in Cœlo sunt.
4. Quartò dicunt, quòd nec plus nobis datur in Eucharistia nec plus ibi à nobis recipitur, quàm in simplici verbo imò
5. minus. Quintò, quòd Iudæi æquè receperint Christi corpus antequam esset in rerum natura ac nos. Sextò, quòd Eucha-
6. ristia sit corpus Christi Symbolicum, mysticum, Sacramentale, non naturale, & tantùm Sacramentale. Septimò, quòd
7. sit corpus Christi Symbolicè, tropicè, non nisi metonymicè, mysticè, tantùm analogicè, tantùm ostensiuè. Quæ tam apertè contradicunt Scripturæ, vt nonnulli Protestantes id palam agnoscant, vt referemus lib. 2. cap. 24. & vltimo, & alij negent se ita loqui, prout clarissimè vidimus hic eos loqui.

ART.

ARTIC. II. AN CARO CHRISTI SIT comedenda & sanguis eius bibendus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 26. v. 26. Christus ait: *Accipite & comedite: hoc est corpus meum.* Et v. 28 Bibite ex hoc omnes: *hic est enim sanguis meus.* *Corpus Christi edendum.*

Ioan. 6. v. 53. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et v. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* *Sanguis bibendus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Matth. 26. v. 28. *Ad nouum testamentum & fœdus, de quo Christus loquitur, inter nos & eum perficiendum, non sufficit spiritualis aliqua manducatio aut potio corporis & sanguinis Christi, sed planè requiritur externa, realis, & corporalis vtriusque sumptio.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius lib. de Religione cap. de Eucharistia. to. 2. fol. 205. *Caro* (Christi) *comesa penitus nihil prodest.* Quod sæpius repetit in Exegesi fol. 333. 334. 336. & in cap. 6. Ioan. tom. 4. pag. 310. Imò, vt inquit Hospin. parte 2. Histor. fol. 181. *Passim quidem inculcat Zuinglius: Christi carnem comesam nihil prodesse.* *Caro Christi comesa nihil prodest.*

Idem Zuinglius cap. citat. de Eucharistia fol. 206. *Nec eos audiendos esse putamus, qui sic decernunt: Edimus quidem veram corporeamque carnem Christi, sed spiritaliter; nondum enim vident simul stare non posse, corpus esse, & spiritaliter edi.* Et fol. 209. *Quod præbetur ad edendum, corpus Christi est, quamuis Symbolicum.* Idque repetit fol. 210. Ad Pomeranum ibidem fol. 256. *In his verbis: Caro mea verè est cibus, nisi tropum admittas, blasphemus eris.* Ad Billicanum fol. 264. *Docemur, corpoream Christi carnem edi nulla ratione posse.* 296. *Scimus Christum carnem suam ad manducandum non dedisse vnquam.* In Exegesi fol. 333. *Non dedit nobis Christus carnem ad edendum.* Item, *dicit Christus carnem suam verè esse cibum, non hercle carnem intelligens, sed potiorem naturam quæ carnem assumpserat.* Et 338. *Vos asseritis carnem edi, nos negamus.* *Caro Christi non potest spiritaliter edi.* *Corpus esum, est symbolicū.* *Caro nulla ratione potest edi.* *Nulla substantia editur nisi panis & vini.*

Oecol. apud Hosp. l. c. f. 75. *Caro comesa nō prodest, sed Spiritus.*

Et apud Schusselb. l. 1. Theol. Caluin. art. 22. fol. 104. *Nō lego apud Euangelistas, quòd Christi corpus iubeat accipere & comedere.*

Christus nō iussit edere corpus suū.

Carolstadius apud Schusselburg lib. cit. art. 20. *Hoc scio: Christum nunquam dedisse suum corpus vt id acciperemus, quia inquit, caro mea non prodest vobis.*

Non dedit vt illud acciperemus.

Tigurini apud eundem lib. cit. art. 23. fol. 118. *Caro eius profuit in terra ad salutem perficiendam, iam non prodest amplius.*

Caro Christi iam nō prodest amplius.

Petrus Martyr contra Gardinerum col. 146. *Est longè alienum à corpore Domini, vt verè comedatur.*

Non vere comeditur.

Caluinus in Defens. 2. contra Vvestphalum pag. 774. *Efficaciter dixi exhiberi in cœna Christi corpus, non naturaliter; secundum virtutem, non secundum substantiam.*

Exhibetur sed non secundū substantiam.

Beza in Respons. ad Acta Torgensia vol. 3. pag. 56. *Vt corporis Christi materia cum corporibus nostris cohæreat, ne hoc quidem nobis quicquam prodesset.* Rursus: *Quod ore comeditur, nihil ad vitā æternam aut spiritualem facit.* Et Apologia 1. contra Saintē vol. 2. pag. 294. ait, quòd ipsi in hac materia non nisi inuiti vtuntur nomine substantiæ: nempe cùm dicunt substantiam corporis vel sanguinis Christi comedi vel bibi, vt sic Catholicis ac Lutheranis fucum faciant.

Perkinsus in Cathol. Reformat. Contr. 10. c. 3. col. 424. *Licet corpus nutriri quodammodo & ali posset animæ cibo, anima tamen cibo corporali nutriri neutiquam potest.*

Anima nō potest nutriri corporali cibo.

Polanus apud Grauerum in Absurdis Caluinisticis c. 3. p. 191. *Verba illa Christi: Accipite, comedite, non dicuntur de corpore Christi, quia illud nec sumpsit in manus, nec fregit, nec discipulis dedit.*

Comedite, non dicitur de corpore Christi.

Imo Lutherus ipse Postilla in Domin. post Natiuitatem fo. 58. & apud Hospin. part. 2. Histor. fol. 9. ait quod *manducare & bibere carnem & sanguinem Christi, nihil aliud sit, quàm credere.* Quod ipsum habet Zuinglius in cap. 6. Ioan. Bullingerus Decade 5. serm. 9. fol. 373. P. Martyr. contra Gardiner. col. 363. 866 & alij. Idque intelligunt illi Sacramentarij, qui verbo tenus dicunt carnem Christi esse manducandā & sanguinem bibendum.

Edere carnem est tātū credere.

COLLATIO.

Scriptura ex professo docet, quòd Christus dedit Apostolis corpus suum comedendum & sanguinem bibendum;

quòd non habituri ſumus vitam, niſi manducauerimus eius carnem & biberimus eius ſanguinem: quod caro eius verè eſt cibus & ſanguis verè potus. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd Caro Chriſti comeſa nihil penitus prodeſt, quòd iam non amplius prodeſt: quòd Chriſtus non dedit carnem ſuam ad manducandum: quòd non poteſt ſpiritaliter edi, nulla ratione edi, quòd longè alienum ſit à corpore Domini vt verè comedatur; quòd ſit blaſphemum ſine tropo dicere carnem Chriſti verè eſſe cibum; quòd præbetur ad edendum, eſſe corpus Chriſti ſymbolicũ; quòd non edimus aut bibimus aliam ſubſtantiam quàm panis & vini: quòd corpus Chriſti non exhibetur in cœna ſecundum ſubſtantiam; quod cum Chriſtus dixit, Accipite & comedite, non intellexit de ſuo corpore. Quæ tam clarè pugnant cum Scriptura, vt Proteſtantes aliquando id fateantur, prout dicemus lib. 2. cap. vlt.

ART. III. AN CHRISTVS DEDERIT ſanguinem teſtamenti ad bibendum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 26. verſ. 28. *Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti.*

Dedit ſanguinem noui teſtamẽti ad bibẽdũ.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Matth. 26. v. 28. *Profitetur* (Chriſtus) *hoc quod in calice bibimus, eſſe noui teſtamenti ſanguinem.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius in ſubſidio tom. 2. fol. 245. *Chriſtus non præbebat ſanguinem teſtamenti ad bibendũ.* Idque repetit pag. ſeq. Idẽ ſentiunt Oecolampadius. Carolſtadius, Polanus & alij citati articulo præcedenti, qui negant Chriſtum dediſſe ſuum verum ſanguinẽ ad bibendũ, Ille enim eſt ſanguis teſtamẽti Chriſti.

Non dedit eum ad bibendum.

COLLATIO.

Scriptura diſertè dicit, quòd Chriſtus dederit ſanguinem teſtamenti ad bibendum. Idem Catholici.

Proteſtantes id negant.

ART. IV. AN CALIX EVCHARISticus sit testamentum Christi?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Calix est nouum testamentũ.

LVcæ 22. v. 20. Christus ait: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.*

1. Cor. 11. v. 25. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Est nouum testamentum.

Bellarminus lib. 1. de Eucharistia c. 11. *Quantum ad tropum quem ponunt in voce Testamenti, dico nullum ibi esse tropum.* Et asserit Eucharistiam propriè esse testamentum Christi.

NEGANT PROTESTANTES.

Calix non est ipsum testamentum.

Zuinglius in subsidio fol. 245. *Poculum hoc non erat sanguis testamenti, neque ipsum testamentum.* Et de cœna ibidem f. 291. *Sanguis Christi nouum testamentum non est, multò minus potum hũc nouum testamentum dicere poterimus, licet vero hoc nomine appelletur &c.* Idque repetit in Exegesi fol. 364. Quare autem cõtra expressa Scripturæ verba negat poculum esse testamentum, docet, ipse his verbis lib. de Religione cap. de Euchar. fol. 210. *Quòd si poculum testamentum est, colligitur, quòd poculum hoc sit verus ac sensibilis sanguis Christi.*

Sanguis Christi nõ est nouũ testamentũ. Si calix est testamentum est verus sãguis. Calix non est ipsum testamẽtũ.

OEcolampadius apud Zuinglium to. 2. fol. 499. *Necesse est quòd calix hic aut poculum ipsius fæderis vel noui testamenti signum sit, nec ipsum testamentum reuera est.* Idque repetit fol. 501.

Nouum, quod cœna dicatur testamẽtum. Calix non potest esse testamentum.

Beza in Lucæ 22. v. 20. edit. 1565. *Vinum dicitur esse ipsum fædus, cũ sit duntaxat foederis, aut eius potius quo foedus sancitur, nimirum sanguinis Domini, symbolum ac tessera.* In Colloquio Mõtisbel. p. 38. *Miror Coenam Domini à te testamentum appellari, quod mihi planè nouum videtur.* Est Cœna Domini non *ipsum testamentum, sed tãtùm pars testamenti Christi, videlicet eius obsignatio. Poculum non potest esse testamentum.* Et pag. 42. *Cœna Domini non est testamentum, sed duntaxat sigillum & obsignatio testamenti.* Molinæus de Eucharistia c. 2. fol. 6. *Nec calix, nec id quod intus est, potest esse testamentum quoad substantiam.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Calix Eucharistiæ est nouum testamentum. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Calix, poculum, potus, sanguis, Cœna Domini, non est testamentum, non ipsum testamentum, non reuera testamentum, non ipsum fœdus, non potest esse testamentum, sed duntaxat est testamenti Symbolum & obsignatio. Quæ contradictio Scripturæ est adeò manifesta, vt ita scribat Simlerus apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 348. *Horum verborum* (quæ citauimus ex Scriptura) *genuinus sensus est*: Poculum *esse nouum testamentum, seu sanguinem noui testamenti*. Idem fatetur Iacobus Andreæ, vt videre licet lib. 2. cap. vltimo.

ARTIC. V. AN IPSO TEMPORE CELEBRATIONIS EVCHARISTIÆ CORPVS Christi fuerit datum seu traditum, & sanguis eius fusus pro nobis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

LVcæ 22. v. 19. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Etiam Paulus 1. Corinth. 11. v. 24. Græcè habet in præsenti tempore κλώμενον, id est, *quod frangitur*, quàm Matthæus cap. 26. v. 28. Marcus cap. 14. v. 24. & Lucas cap. 22. v. 20. habent de sanguine seu Calice sanguinis in præsenti tēpore, ἐκχυνόμενον, id est, *qui funditur.*

Corpus Christi tēpore cœnæ dabatur pro nobis: Frangebatur. Sanguis fūdebatur.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Matth. 26. v. 28. *Illa verba*: Qui *pro vobis effundetur, in præsenti tempore legenda sunt iuxta omnes Euangelistas in textu Græco, & sensus est : Qui pro nobis nunc distribuitur & reali participatione singulis vestrum intimè effunditur & aspergitur.*

Corpus Christi in cœna non frangitur.

NEGANT PROTESTANTES.

Petrus Martyr lib. contra Gardinerum impress. Basileæ 1581. col. 354. *Tu verò dicas nobis aliquando, quid illud tandem sit, quod manet & frangitur? Si dices, Accidentia, rideberis à pueris, si corpus Christi, eris blasphemus.* Et col. 812. *Quis autem dicat Christum ipsum aut eius corpus in cœna frangi?*

Nec sanguis funditur.

Beza in Matth. 25. v. 28. *Mihi videtur Dominus in huius mysterij institutione, licet de re mox futura loquens, tamen præsentis temporis verba vtrobique vsurpare.*

Micronius apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 236. *An non in voce Frangitur est Enallage temporis?*

Tilenus in Syntagmate cap. 61. pag. 715. *Quod pro vobis traditur, est enallage verbi præsentis pro futuro.* Idque repetit cap. 64. Reineccius to. 4. Armaturæ c. 19. pag. 281. *Christus est vsus tempore præsenti pro futuro.*

Non datur in Eucharistia.

Bucanus in Instit. Theol. loc. 48. pag. 685. *Quod datur, non nisi per* Enallagen *præsentis pro mox futuro dicitur, pro, Quod dabitur, in cruce scilicet, non in* Eucharistia. Et tamen ibidem pag. 688. inquit: E*quidem si constructionem verborum spectes apud* Lucam, *ad poculum referendum erit τὸ ἐκχυνόμενον.* At poculum non erat in cruce, sed in Cœna.

Molinæus in suo Scuto parte 2. pag. 91. *Christus non dixit quòd sanguis eius fundebatur in* Eucharistia. Et pag. 87. *Loquitur de effusione quæ nondum erat facta, sed quæ facienda erat in morte sua.*

COLLATIO.

Vide S. Chrys. ho. 24. in 1. Cor c. 10. ibique Theophilactum & Oecumenium.

Scriptura docet, quòd in ipso tempore celebrationis Eucharistiæ corpus Christi datur, traditur, frangitur, & sanguis Christi effunditur. Assentiuntur Catholici, & quomodo id verum sit ostendunt.

Protestantes dicunt, quòd corpus Christi non dabatur, non frangebatur in Cœna vel in Eucharistia, nec sanguis eius tunc fundebatur, sed tantum in cruce.

ARTIC. VI. AN CALIX EVCHARISTIcus fuerit fusus pro nobis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Calix fusus pro nobis.

LVcæ 22. v. 20. *Hic est Calix nouum testamentum in sanguine meo, qui* (Calix, vt manifestè patet ex græco textu) *pro vobis fundetur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Matth. 26. v. 28. *Stante Grammatico & congruo sensu verborum Lucæ, vt in Græco habentur, vbi calix ipse effundi dicitur in remissionem peccatorum, necessario calicis nomine non vinum in calice, sed sanguis in calice intelligendus est.*

NEGANT PROTESTANTES.

Beza in Lucæ 22. v. 20. *Hæc verba neque de vitro, nè dum de poculo intelligi possunt.*

Calix non fusus.

Musculus in locis titulo de Cœna to. 1. pag. 676. *Quod in Luca legitur: Qui pro vobis effunditur, non refertur ad poculum, sed ad sanguinem.* Item: *Existimo effundendi verbum in Luca non esse referendum ad poculum Sacramenti, sed ad sanguinem.*

Non Calix.

Vvitakerus ad Rationem 1. Campiani p. 11. *Non calix ille pro nobis fuit effusus.* Et tamen addit: *Si ad verba ipsa adhærescas, aut poculum pro nobis effusum fatearis, aut solæcismum inducas est necesse.*

Calix non fusus pro nobis.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd calix pro nobis effunditur: Nam Græce ita habet τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est, hic est calix ille qui pro vobis effunditur. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd verba hæc non possunt intelligi de calice, quòd verbum *Effunditur* non refertur ad calicem, quòd calix non fuerit pro nobis effusus. Quod repugnare Scripturæ fatentur aliquando Protestantes lib. 2. cap. vltimo.

ART. VII. AN PANIS SIT NECESSARIUS ad conficiendam Eucharistiam?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 26. v. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum.*

Panis necessarius ad Eucharistiam conficiendam.

Ioan. 6. v. 52. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* 1. Corinth. 10. v. 16. P*anis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas 3. parte qu. 74. art. 1. *Omnes hi errores & similes* (qui mutant materiam Eucharistiæ) *excluduntur per hoc, quòd Christus hoc Sacramentum sub specie panis & vini instituit.* Et artic. 4. *Necessarium quidem est, vt sit panis triticeus, sine quo non perficitur Sacramentum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nec panis nec vinum necessariũ ad Eucharistiam.

Beza epistol. 2. vol. 3. theol. *Vbi Panis aut vini nullus est vsus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imo ritè celebrabitur, si quod panis aut vini vicem, vel ex vsu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur.* Eademque verba habet Hospin. 1. parte Histor. Sacrament. c. 2. fol. 12.

Tilenus in Syntagmate c. 61. pag. 719. *In regionibus, in quibus triticei panis & vini ex vuis expressi nulla copia, vsus nullus, non dubitamus ritè celebrari hoc Sacramentum, si quod ibi panis & vini vicem supplet, huius symboli loco adhibeatur.*

Bucanus in Institut. theol. loc. 48. pag. 662. *Quid si panis, qualem nos habemus, & vinum desit in aliqua regione, quibus signis cœna administranda est? Iis terrenis elementis, & cibis corporalibus quibus omnes homines pro pane & vino, cibo & potu in illa regione vtuntur.* Sic etiam Hommius Disput. 47. p. 282. Neque displicet Petro Martyri in 1. Corinth. 10. fol. 271. in 8.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Eucharistia conficienda sit ex pane. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd panis non sit necessarius ad conficiendam Eucharistiam.

ART.

ARTI. VIII. AN LICEAT CONFICERE Eucharistiam ex pane azimo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. cap. 26. dicitur quòd Christus instituit Eucharistiam, *prima die azimorum.* Et Marci cap. 14. *Prima die azimorum, quando Pascha immolabant*; Ac Lucæ cap. 22. *Die azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Illo autem tempore prohibitum erat Exodi 12. & 13. ne quicquam fermentatum inueniretur in cunctis finibus Israel, & statuebatur quòd periret anima eius de cœtu Israel, qui illo tempore fermentatum comedisset.

Christus confecit Eucharistiam ex pane azimo.

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas. 3, parte qu. 74. art. 4. *Consuetudo de pane azimo celebrandi, rationabilior est.*

NEGANT PROTESTANTES.

Beza lib. quæst. & Respons. vol. 3. Theol. pag. 364. *Liberè dico, næuum esse duplicem in ijs Ecclesijs, quæ azimo potius quàm fermentato pane vtuntur. Hoc enim & Iudaismum sapit, & minus est quotidiani cibi analogiæ accommodatum.* Et tamen statim subdit, quòd Christus *azimis panibus primùm benedixit, & eo tempore cœnam hanc instituit, quo non nisi azimis panibus licuit Iudæis vti*: & Sadeel ad articul. 56. abiurat. pag. 511. *Christus quidem vsus est pane non fermentato.*

Næuus, quod conficitur ex azimo.

Lobechius Disput. 12. pag. 266. ita scribit: *Zuingliocaluiniani azimum panem supercilio Pharisaico despicientes, imo execrantes, fermentatum sub opinione necessitatis* Ecclesiæ *subtrudunt.* Pareus etiam in Collegio Theol. 9. Disput. 26. ait quod *debet esse cibarius panis propter analogiam.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Christus instituit Eucharistiam prima die azimorum, quando non licebat habere panem fermentatum, sed solum azimum. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd conficere Eucharistiam ex azimo potius quàm fermentato, sit næuus, sapit Iudaismum, & sit execrandum.

ARTIC. IX. AN PANIS ET VINVM ex quibus Eucharistia conficitur ſint benedicenda?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Chriſtus benedixit pani. Benedicimus calici.

MAtth. 26. v. 26. & Marci 14. v. 22. *Accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait: Accipite, & comedite; Hoc eſt corpus meum.*

I. Corinth. 10. v. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Matth. 26. v. 26. *Altera circunſtantia eſt, quòd pani & calici benedixit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Benedicẽdi verbo non vtendũ in Eucharistia

Zuinglius de cœna to. 2. fol. 294. *Benedictionis & benedicendi vocabulũ hoc loco* (I. Corinth. 10. cit.) *vti non debebant: Ferè enim pro Conſecrandi verbo hæc accipi conſueuerunt.*

Caluinus in Matth. 26. v. 26. *Marcus & Matthæus Benedicendi verbo vtuntur, ſed cum in eius loco legatur apud Lucam verbum εὐχαριστήσας in ſenſu nulla eſt ambiguitas, & cum deinde in calice gratiarũ actionẽ ſubijciunt, prioris dicti ſatis clari sũt interpretes. Quò magis ridicula eſt Papiſtarum inſcitia, qui ſigno crucis benedictionem exprimunt, quaſi exorciſmo Chriſtus eſſet vſus.*

Panis Eucharist. non benedicendus. Nec Matthæus nec Paulus vſi voce benedicendi in Eucharist.

Muſculus in locis tit. de Miſſa. pag. 397. in fol. *Benedicere non eſt cõſecrare, ſed gratias agere ac benè de aliquo loqui, vt taceam, quòd nec Matthæus nec Lucas, nec* Paulus *verbo Benedicendi vſi ſunt in hac cauſa.* Idem volunt alij, qui contendunt εὐλογεῖν apud Matthæum & Marcum nihil ſignificare aliud, quàm gratias agere.

COLLATIO.

Scriptura diſertè docet, quòd Chriſtus benedixit pani, & quòd nos benedicimus calici. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd benedictio panis ſit exorciſmus, quòd verbo Benedicendi nihil ſignificetur niſi gratias agere, quòd non deberet hic vſurpari, & quòd nec Matthæus nec Paulus eo vſi ſint in hac materia. Quæ tam apertè ſunt contra Scripturam, vt Illyricus in Matth. loc. cit. ita ſcribat:

Intellige de benedictione panis, non de gratiarum actione, sicut Paulus disertè, inquit: Calix cui, non quo benedicimus.

ART. X. AN SIT PRÆPARATIO facienda ad Eucharistiam.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. CORINTH. 11. v. 27. & 28. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat.* *Probatio facienda ad Eucharist.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Eucharistia cap. 17. *Catholica Ecclesia docet, præparationem ad Eucharistiam non esse solam fidem, sed veram pœnitentiam & confessionem peccatorum, si quis post Baptisma in peccata mortalia lapsus sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus Postilla in die Paschæ fol. 241. *Docuimus, nullius esse momenti & nullius prorsus valoris, quicquid etiam è nostris viribus ad Sacramenti sumptionem adornamus, quemadmodum egerũt, qui sua se confessione, alijsque operibus dignos reddere voluerunt ad Sacramentum suscipiendum. Qui horrendus error & abusus est.* Et fol. 242. *Condemnauimus eos & non iniuria, qui suis sese operibus parare moliuntur, vt dignè accedant.* *Nulla præparatio per opera facienda.*

Idem de Captiuit. Babylon. c. de Eucharistia to. 2. f. 73. *Concludimus ex his qui dignè communicent: nempe soli illi qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, & erroneas habent conscientias.* Et Concione de digna præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ anno 1518. habita. *Optima dispositio est non nisi ea, qua pessimè es dispositus: & è contrario tunc pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus.* Demum in Psalmum 5. tom. 3. fol. 172 inquit: *Dicam vnum temere & libere. Non sunt Deo propiores vlli in hac vita, quàm hi osores & blasphematores Dei, sed nec gratiores nec amiciores filij.* *Osores Dei, illi gratissimi & proximi.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd homo debet seipsum probare seu præparare ad Eucharistiam; & quod si indignè eam

manducet, reus erit corporis & sanguinis Domini. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non debeamus nos reddere dignos operibus, non moliri, parare operibus vt digni accedamus, quòd soli illi digni communicant, qui perturbatas & erroneas habent conscientias; quòd optima dispositio, sit esse pessimè dispositum: quòd osores & blasphematores Dei sunt illi proximi, gratissimi, & amicissimi.

ART. XI. AN SIT SACRIFICIVM in Ecclesia.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Sacrificium & oblatio in Ecclesia.

MAlachiæ 1. v. 11. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et cap. 3. vers. 3. *Purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 24. c. 1. *Christus in Cæna nouissima, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nullum sacrificiũ in Ecclesia.

Caluinus in 1. Corinth. 9. v. 19. *Nulla sacrificia instituit Dominus, quibus occupentur sacri ministri.*

Vvitakerus Controuers. 4. q. 1. cap, 2. pag. 522. *Nullum nũc in Ecclesia sacrificium superest.* Neque opus est accumulare plura Protestantium dicta, quia eorum hac in re sententia notissima est.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd in Ecclesia sacrificatur & offertur Deo oblatio munda, & sacrificium in iustitia. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nullum sit sacrificium in Ecclesia.

ARTIC. XII. AN SIT ALTARE in Ecclesia.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

HEbr. 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* *Altare in Ecclesia.*

Isaiæ 19. v. 19: *In illa die erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 24. c. 1. *Apostolus Paulus Corinthijs scribens, cùm dicit: non posse eos qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam, altare vtrobique intelligit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in 1. Corinth. 9. v. 19. *Nulla sunt ad immolandum altaria.*

Nullum altare in Ecclesia.

Beza ad Repetitionem Saintis c. 4. p. 6. *Altare quidem fateor nullum in Christiana* Ecclesia. Et lib. quæst. & respons. vol. 3. pag. 352. *In scriptis Apostolicis nulla est altaris, sed duntaxat mensæ Domini mentio.*

Petrus Martyr in Rom. 11. p. 453. *Altaria Euangelij tempore nullum habent locum.* Hac etiam in re sententia Protestantium compertissima est.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd habemus altare; Idē Catholici.

Protestantes dicunt, quod nullum habemus altare, quòd nulla est mentio altaris in scriptis Apostolicis.

ART. XIII. AN AGNVS PASCHALIS immolabatur.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MArci 14. vers. 12. *Primo die azimorum, quando Pascha immolabant.* Græcè ἔθυον, id est, sacrificabant.

Agnus Paschalis immolabatur.

Exodi 12. v. 5. & 6. *Erit agnus sine macula &c. Immolabitque eum vniuersa multitudo Filiorum Israel ad vesperam.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. *Vetus Pascha in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non immolabatur. Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 19. pag. 277. *Agnum Paschalem immolatũ esse ac sacrificatum nullibi tradit sacer codex.*

Non erat Sacrificiũ. Perkinsus in Cathol. Reformat. Controu. 11. cap. 5. col. 431. *Agnus Paschalis nequaquam erat Sacrificium, sed solummodò Sacramentum.* Idēque habet Plessæus l. 2. de Missa c. 2. p. 594.

Moyses negat fuisse sacrificium. Tilenus in Syntagmate cap. 64. pag. 770. *Non concedimus agnum Paschalem fuisse sacrificium propriè dictum, imo Moyses ipse disertim negat Sacrificium fuisse.*

Beza in Marci 14. v. 12. *Vsus sum potius mactandi, quàm Sacrificandi verbo, vt conuiuia Paschæ domestica à sacrificijs illis discernantur, quæ in templo peragebantur à Sacerdotibus.*

Paræus in Collegio Theol. 9. Disput. 27. *Falsa Minor: Quòd Agnus Paschalis fuerit Sacrificium propriè dictum.*

COLLATIO.

Scriptura diserte docet, quòd Agnus Paschalis immolabatur, Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non immolabatur, quòd non erat Sacrificium, non Sacrificium propriè dictum, sed solummodò Sacramentum. Quòd tam apertè repugnat Scripturæ, vt id & fateatur & probet Caluinus in 1. Corinth. 5 vers. 7.

SVMMA HVIVS CAPITIS de Eucharistia.

EX omnibus in hoc capite dictis perspicuum est, quòd Protestantes longè aliam nobis proponunt Eucharistiam, quàm Scriptura ac Catholici. Scriptura enim cum Catholicis docet, quod Eucharistia sit verum corpus & sanguis Christi, quòd sit testamentum, quòd Caro Christi sit comedenda, quòd tẽpore celebrationis Eucharistiæ corpus Christi dabatur, & sanguis eius fundebatur pro nobis; quòd calix fundebatur in remissionẽ peccatorum, quòd panis sit necessaria materia Eucharistiæ, quòd panis azimus materia conue-

niens, & quòd oportet nos ipsos præparare ad Eucharistiam, recipiendam, Item quòd sit sacrificium & altare in Ecclesia, & quòd agnus Paschalis (qui erat figura Eucharistiæ) immolabatur. Quæ omnia Protestantes inficiantur.

Perspicuum etiam est, quòd Protestantes furantur ab Eucharistia veritatem corporis & sanguinis Christi, rationem testamenti, necessitatem materiæ panis, & conuenientiam panis azimi ex quo conficiatur, ac necessitatem præparationis ad eam dignè recipiendam. Furantur etiam à carne & sanguine Christi comestionem & bibitionem, & oblationem ac fusionem ipso tempore celebrationis Eucharistiæ. Et ab Ecclesia furantur sacrificium & altare, atque ab Agno Paschali immolationem. Hæc de Eucharistia, modò de reliquis Sacramentis.

Quot & quãta Protest furãtur ab Euchar.



CAPVT XI.

DE ALIIS SACRAMENTIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN SACERDOTES VERE remittant peccata?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.



MATTH. 16. vers. 19. *Tibi dabo claues Regni Cœlorũ, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis.*

Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in Coelo.*

Ioan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Petrus habuit claues ligandi & soluendi. datur Spiritus S. ad remittendũ peccata.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. seß. 14. can. 9. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti: anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Creatura non habet potestatem remittendi peccata.

Zuinglius art. 51. *Qui remißionem peccatorum creaturæ tribuit, Deum gloria sua spoliat, & idololatra est.* Et in Matth. 11. *Blasphemi & impij sunt, quicunque sibi peccatorum remißionem sumunt, quemadmodum Papa cum suis facit.* Et in c. 6. ad Hebræos pag. 572. ait Christum locutum esse ea quæ retulimus ex Matth. 18. per hyperochen. Idem apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 9. fol. 69. *Quorumcunque remiseritis peccata &c. nequaquam eum sensum obtinent hæc verba, quasi Christus hæc dicendo discipulis peccata remittendi potestatem concedere voluerit.* Et in expositione Fidei tom. 2. fol. 557. *Friuola igitur hæc omnia videntur: Ego te absoluo: Et ego te certum facio, quòd peccata tibi dimissa sunt.*

Christus non dedit potestatem remittendi peccata.

Nec faciendi certos peccata esse remissa.

Homines non remittunt peccata.

Bullingerus in Marci 2. fol. 6. *Homines peccata non remittunt: sed remitti vel remissa esse docent in Christo per fidem.* Similiter Decade 5. sermone 5. fol. 304.

Sunt solum testes remißionis.

Caluinus in Matth. 9. v. 6. *Non tam remittunt ipsi* (Presbyteri) *quàm remissa testantur.* Et in Ioan. 20. v. 22. *Testes solum vel præcones huius beneficij* (remissionis peccatorum) *Apostolos constituit.* Et ad artic. 8. Paris. pag. 224. ait ministerium reconciliationis *non alligatum esse personis sed verbo, adeòque verbo, potius quàm hominibus esse datum, vt à quocunque proferatur gratiæ remißio, certam absolutionem in foro conscientiæ afferat.*

Pastores propriè nullum ligant aut soluũt.

Beza in Confess. cap. 5. sect. 27. *Tenendum est: nec Pastores nec Doctores, propriè posse quenquam, vel ligare, vel soluere, vel regnum Cœlorum cuiquam aperire vel claudere:* Proprium enim *est vnius Dei remittere vel retinere peccata, & ita quidem proprium, vt hanc gloriam cum nemine prorsus communicet.*

Zanchius de Ecclesia cap. 9. tom. 8. col. 95. *Non propriè ipsis Apostolis aut alijs datur potestas remittendi peccata, sed ipsorum ministerio seu* Euangelio. *Non enim propriè ipsi remittunt peccata, sed Euangelium adfert remißionem peccatorum credentibus.*

Danæus

Danæus Controuerſ. 4. cap. 9. pag. 195. *Chriſtus dedit poteſtatem remittendi peccata ſuis Apoſtolis, velut miniſtris ſuum erga homines fideles beneficium declarantibus tantùm, non autem tanquam ipſam peccatorum remiſſionem operantibus, efficientibus.* *Tantum declarant remiſſionem.*

Perkinſus in cap. 4. Galat. to. 2. col. 218. *Papa arrogat ſibi potentiam propriam & iudicialem remittendi & retinendi peccata.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd claues Regni Cœlorum datę ſunt miniſtris Euangelij: quòd quicquid ſoluunt aut remittunt in terra ſoluitur ſeu remittitur in cœlo; quòd datus ſit illis Spiritus Sanctus vt remittant peccata. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd poteſtas remittendi peccata nemini prorſus comunicatur: quòd ſit idololatria tribuere creaturæ hanc poteſtatem: quòd miniſtri Euangelij propriè non ſoluunt, non aperiunt regnum Cœlorum, non remittunt peccata, tantùm declarant remiſſionem, non tam remittunt, quàm teſtantur remiſſionem; ſunt ſolum teſtes & præcones remiſſionis, & miniſterium reconciliationis non alligatur ipſis, ſed verbo.

ART. II. AN CONFITENDA SINT peccata hominibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IAcobi 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* *Peccata cōfitenda hominibus.*

Actor. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. ſeſſ. 14. can. 6. *Si quis negauerit confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iurę diuino: anathema ſit.* *Liberum non cōfiteri.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confeſſio Virtembergica ca. de Confeſſione. *Peccata coram homine (niſi ſi quid in ipſum peccauerimus & veritas legitima ac diuina vocatione dicenda fuerit) enumerare liberum.* *Non præceptum à Chriſto aut Apoſtolis.*

Confeſſio Argentinenſis cap. 20. *Nec Chriſtus ipſe nec A-*

stoli illam (cōfeſſionem peccatorum) *præcipere voluerunt*; Similiter Muſculus in locis tom. 1. titulo de Pœnitentia pag. 477.

Nec à Deo Prohibita.

Lutherus in Poſtilla in die Epiphaniæ fol. 150. *Nequaquam Deus eiuſmodi confeſſionem homini faciendam exigit*. Et Serm. de 10. leproſis tomo 7. fol. 294. *Peccatorum confeſſio, prohibita.*

Caluinus in Refutat. Cathalani pag. 384. *Lex de confeſſione auriculari ſancita, diabolica eſt*. Pag. ſeq. *Eſt intoleranda corruptio ſi rem ipſam ab origine & fundamentis excutias.* De neceſſitate Reform. Eccleſiæ pag. 60. *Neque enim oſtendunt aduerſarij vllam fidelibus neceſsitatem confitendi ante Innocentium 3 fuiſſe impoſitam.* Iuellus Defenſ. Apologiæ pag. 132. *Dicimus vt priuata apud miniſtrum fiat confeſsio, neque à Chriſto edici, neque ad ſalutem eſſe neceſſarium.*

COLLATIO.

Scriptura ex propoſito de hac materia loquens iubet cōfiteri peccata hominibus, & refert quòd primi Chriſtiani cōfitebantur facta ſua. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd ſit liberum confiteri peccata hominibus, quòd nec Chriſtus nec Apoſtoli præceperūt cōfeſſionem; quòd lex ſancita de confeſſione ſit diabolica.

ART. III. AN PER IMPOSITIONEM manuum detur gratia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Gratia per impoſitionē manuum.

2. Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.*

Actor. 8. v. 18. *Cùm vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, anathema ſit.* Et ibidem cap. 3. ait *per ſacram ordinationem gratiam conferri.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non per impoſitionē manuum.

Caluinus in 2. Timoth. 1. v. 6. cit. *Quæritur, an per externum ſignum gratia data fuit? Ad quam quæſtionem reſpondeo: Quo-*

ties ordinabantur ministri, precibus totius Ecclesiæ fuisse Deo commendatos, atque hoc modo impetratam illis fuisse gratiam à Deo, non autem virtute signi fuisse illis datam.

Idem in Actor. 8. v. 15. *Lucas hic non de communi Spiritus gratia loquitur, quâ nos sibi Deus in filios regenerat, sed de singularibus donis &c.* Et in cap. 6. v. 6. *Hinc colligimus manuum impositionem cum Apostolis in vsu fuerit, ritum esse ordini & decoro congruentẽ, nec tamen quicquam habere per se efficaciæ aut virtutis, sed vim & effectum à solo Dei Spiritu pendere.*

Impositio manuum nihil habet virtutis. Non facit ministrum.

Beza Apologia altera contra Saintem vol. 2. col. 325. *In sacro ministerio cæremonia impositionis manuum ministrum non facit (vt vos admodum inscienter vrgere consueuistis) sed iam factum esse Ecclesiæ testificatur.* Et lib. quæst. & respons. vol. 3. pag. 347. *Tenendum est, impositione manuum nunquam fuisse aliquos factos Ecclesiæ ministros: sed qui ritè vocati essent ad ministerium sic fuisse veluti in sui muneris possessionem immissos.* Idem sentiunt alij qui dicunt impositionem manuum non esse necessariam Ministris Euangelij, vt Brentius in Apologia pro Confess. Vuirtembergica c. de ordine, Herbrãdus Disput. 11. pag. 39. Beurlinus in Refutatione Soti cap. 67. Conciliabulum Parisiense 1565. art. 7. & alij, multoque magis illi qui prohibent imponi manus ministris, vt Pseudosynodus Dordracensis 1574. art. 23. his verbis: *Fratres concluserunt, manuum impositionem esse omittendam.*

Impositio manuum omittenda.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quod per impositionẽ manuum gratia est in hominibus, & Spiritus Sanctus datur per eam. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd per impositionem manuum non datur gratia, sed ea impetratur per preces, de quibus Scriptura loco citato nihil dicit, nec per eam confertur ministerium, sed quòd tantùm testificatur illud esse collatum: quod per se nihil habet virtutis aut efficaciæ, sed effectus pendet à solo Spiritu.

ARTIC. IIII. AN IMPONENDÆ SINT manus baptizatis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Manus impositæ baptizatis.

Actor. 8. v. 16. & 17. *Nondum enim in quemquam illorum venerat* (Spiritus Sanctus) *sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu: Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctum.* Actor. 19. v. 5. & 6. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Actor. 8. v. 17. cit. *Describitur his verbis alterum* Ecclesiæ *Sacramentum à baptismo distinctum: quod à forma qua Apostolos vsos fuisse hic* Lucas *commemorat, vocatur impositio manuum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non imponendæ.

Caluinus in Actor. 8. v. 17. cit. *Meminerimus organum Dei fuisse manuum impositionem, quo tempore visibiles Spiritus gratias contulit suis, ex quo vero talibus diuitijs priuata fuit* Ecclesia, *inane duntaxat esse spectrum.* Quæ Caluini verba repetit Marloratus in Actor. 8. v. 17. citat. Et 4. Instit. cap. 19. §. 6. vocat Catholicos, histriones, quòd dicant se imitari Apostolos in imponendo manus baptizatis. Gualterus in Acta homilia 58. *Scimus ex hoc loco* (Actor. 8. cit.) *confirmationis Sacramentum Papistas inuexisse, sed tam ridiculum est, vt &c.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Apostoli imponebant manus baptizatis. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd imponere manus baptizatis sit inane spectrum & histrionicum.

ART. V. AN MATRIMONIVM SIT Sacramentum?

Affirmat Scriptura.

Ephes. 5. v.31. *Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum est* : Ego *autem dico in Christo & in Ecclesia,*

Matrimonium Sacramētum.

Affirmant Catholici.

Concilium Trident. sess. 24. can. 1. *Siquis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, neque gratiam conferre: anathema sit.*

Negant Protestantes.

Confessio Heluetica cap. 19. *Matrimonium agnoscimus institutum esse Dei vtile, sed non Sacramentum.* Similiter Confessio Anglica art. 25. Zuinglius lib. de Religione cap. de Matrimonio, *Matrimonium inter Sacramenta non connumeramus.*

Non Sacramētum.

Caluinus in sua Confessione pag. 111. *Ex Sacramentorum numero Matrimonium expungimus.* Item 4. Instit. c. 19. §. 34.

Beza de Diuortijs vol. 2. Theol. p. 88. *Respondeo ineptissimè matrimonium inter Sacramenta numerari.* Similiter Vvitakerus lib. 8. cont. Duræum sect. 64.

Ineptissimè numeratur inter Sacramenta.

Iuellus in Defens. Apologiç part. 2. cap. 8. sect. 2. *Matrimonium ex se neque bonum est neque malum.* Bidembachius infra cap. 14. Artic. 2. ait Coniugium nihil esse, & Beza ibi: quòd per se non facit hominem meliorem.

Ex se non est bonum.

Collatio.

Scriptura docet, quòd Matrimonium in Christo & in Ecclesia, idest inter Christianos, est magnum Sacramentum. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non sit Sacramentum: quòd ineptissimè numeratur inter Sacramenta; quòd ex se non est bonum. Quæ pugna cum Scriptura tam euidens est, vt eam

aliqui Protestantes agnoscant, prout videbimus lib. 2. cap. vltimo.

ART. VI. AN REPVDIATA VXORE Liceat aliam ducere?

NEGAT SCRIPTVRA.

Repudiata vxore non licet aliam ducere.

LVcæ 16. v. 18. *Omnis qui dimitit vxorem suam, & alterã ducit, mœchatur: & qui dimissam ducit, mœchatur.*

Marci 10. v. 11. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum & alij nupserit, moechatur.* Et v. 9. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

1. Corinth. 7. v. 10. *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere: Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Et v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 24. can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet iuxta Euangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente aliud matrimonium contrahere: anathema sit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Licet ducere aliam ob adulteriũ.

Confessio Saxonica c. 18. *Personæ innocenti, cum re cognita pronunciatur esse libera, non prohibetur coniugium.*

Confessio Scotica pag. 159. *Detestamur ipsius* (Papæ) *crudelitatem, contra innocentem in diuortio repudiatum.*

Pseudosynodus Midelburgensis anno 1581. art. 57. *Si quis adulterij causa à socia tori se separauerit, & cum ea non vult reconciliari, & petit ad aliud matrimonium transire, iam præsbyterium, probato prius adulterio, declarabit hoc verbo Dei esse permissum.*

Ob inimicitias.

Lutherus in 1. Cor. 7. to. 5. fol. 111. *Quid si alter cum altero in gratiam redire nollet, & simpliciter separatus esse velit, & alter continere non valens comparem habere coniugem cogeretur, quid*

illi faciendum, poterit ne cum alio contrahere? Respondeo: Procul du*bio poterit*, Fol. 112. *Sicubi maritus vxorem ad furtum, adulterium, vel quodcunque aliud flagitium aduersus Deum instruere & compellere velit, eadem, cum hac, diuortij ratio est, vt ni reconcilientur, alteri matrimonium porro contrahendi ius sit*, Item: *Quid si & secũdum coniugium non opportunè caderet, vt alter alterum, maritus vxorem, vel è contra, gentium in morem adeoque impiè viuere vrgeret, vel si alter ab altero fugeret, donec tertium vel quartum coniugium attingeretur, dareturne viro toties vxorem ducere quoties alia eiusmodi (vt iam dictum est) esset, vt decem vel plures adhuc viuentes transfugas haberet; Et rursus licebitne vxori decem aut plures, qui iam omnes profugerint, esse maritos? Responsio: Diuo Paulo non possumus obstruere os, neque cum illis luctari, qui eius doctrina, quoties necessum fuerit, vti volunt: verba eius aperta sunt.* Similia habet ibidem serm. de matrimonio, vbi fol. 123. inquit: *si Domina nolit, adueniat ancilla.*

Ob inuitationem ad flagitia.

Ob fugam.

Potest quis habere decẽ vxores viuentes.

Ob recusatũ debitum coniugale.

Gesnerus in Compendio Doctrinę loco. 39. *Parti innocenti in casu malitiosæ desertionis alteri nubere licet, probata tamen prius desertione.*

Ob malitiosam desertionem.

Bidembachius in Consensu Iesuitarum & Christianorum impres. Rupellæ 1584. pag. 1588. *Qui ob stuprum repudiata vxore, aliam dicit, adulterium non committit*. Item. *Christus & Apostoli matrimoniam etiam fornicatione & iniusta desertione dissolui testãtur.* Idem docet Vrbanus Regius de noua & veteri doctrina to. 1. fol. 27. Reineccius to. 4. Armaturæ. cap. 25. & alij Lutherani.

Beza in Confess. cap. 5. sect. 39. *Quibus legitimè concessum est diuortium, si reconciliatio intra præscriptum spatium impetrari non potest, potestatem facimus noui coniugij*. Et lib. de Diuortijs vol. 2. Theol. pag. 87 ait *Adulterio coniugium rectè dirimi posse.* Perkinsus de Sermone Domini in monte to. 2. col. 261. *Ratione scortationis coniugium dissoluitur*. Idem docet Zuinglius in Matth. 19. & in 1. Corinth. 7. Petrus martyr in 1. Corinth. 7. Caluinus in Matth. 19. vers. 9. Polanus in Disput. priuatis Disput. 31. Bucanus in Instit. loco. 12. Hommius disput. 54. Paræus Colleg. Theol. 9. disput. 29.

Adulterio coniugium dissoluitur.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd omnis, quòd quicunque dimittit vxorem & aliam ducit, mœchatur: quòd mulier quæ discedit à viro debet manere innupta aut viro reconciliari: quòd alligata est legi Matrimonij quanto tempore vir eius viuit, quòd homo non separet quod Deus coniunxit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd qui repudiata vxore ob stuprum aliam ducit, non committit adulterium, quòd licet inire aliud matrimonium, ob adulterium, ob malitiosam desertionem, ob negatum debitum coniugale, ob incitationem ad flagitium; quòd scortatio dissoluit coniugium.

ARTI. VII. AN INFIRMI VNGENDI sint oleo.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Infirmi vngendi oleo.

IAcobi 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 14. canon 2. *Si quis dixerit sacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nō vngēdi.

Confessio Virtembergensis cap. de Extrema Vnctione. *Res ipsa testatur hanc vnctionis cæremoniam otiosè nunc & inutiliter vsurpari.* Similia habet confessio Heluetica c. 19. & 25. Caluinus 4. Instit. c. 19. §. 18. *Eiusdem rationis est vnctio* (infirmorum) *cuius esse manuum impositionem supra demonstrauimus, nempe histrionica hypocrisis. Nihil nunc ad nos pertinet.* Et de vera Eccles. Reformat. pag. 330. *Vnctionem, quam sanandis ægrotis adhibuerunt Apostoli; sicut fatemur fuisse Sacramentum, ita negamus ad nos pertinere.*

Est histrionica hypocrisis.

Melancthon

Melanchthon in locis tit. de Extrema vnctione: *Vnctio illa reiicienda est.*

Hospinianus parte 2. Histor. Sacramentariæ fol. 23. *Sacerdotibus mandatum est, ne morituros oleo inungant, hoc enim superstitiosum esse, & cum expresso Dei verbo pugnare.*

Polanus in Disput. Priuat. Disput. 30. pag. 48. *Vnctio Iacobi non ad remissionem peccatorum fuit præscripta.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd infirmi sunt vngendi oleo, iisque promittit remissionem peccatorum. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vnctio infirmorum ad nos non pertinet, quòd vnctio Iacobi non fuit præscripta ad remissionem peccatorum, quòd est reijcienda, est histrionica hypocrisis, & pugnat cum expresso verbo Dei.

ART. VIII. AN SACRAMENTA veteris legis paria sint cum Sacramentis nouæ.

NEGAT SCRIPTVRA.

HEbræos 10. v. 12. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum &c.* *Differunt vt vmbra & imago.*

Collossens. 2. v. 17. *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi aut Neomeniæ, aut Sabbathorum; quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.* *Vt vmbra & corpus.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 7. ca. 2. *Si quis dixerit ea ipsa nouæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ alij ritus; anathema sit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Confessio Heluetica. cap. 19. *Quantum attinet ad illud, quod in Sacramentis est præcipuum & res ipsa, paria sunt vtriusque populi Sacramenta.* *Sunt paria quoad rem.*

Caluinus 4. Instit. cap. 14 §. 23. *Nihilo splendidius de illis* (Sacramentis nouæ legis) *Apostolus, quàm de his loquitur. In Sacramentis pares nobis facit. Quicquid nobis in Sacramentis exhibuit,*

Habebant eandem virtutem. Eandem substantiã.

id in suis recipiebant olim Iudæi: Quam habent nostra virtutem, eam quoque in suis sentiebant.

Beza in 1. Corinth. 10. vers. 3. *Eadem fuit veterum Sacramentorum & nostrorum substantia. Illos & nos docet* (Paulus) *eadem Sacramentis, non signis, sed reipsa habere.*

Petrus Martyr contra Gardinerum col. 148. ait esse *contra Pauli sententiam, non esse nobis eadem Sacramenta cum veteribus.*

Vvitakerus libro 8. contra Duræum sect. 39. *Paulus disertè docet Israelitas re habuisse eadem Sacramenta, quæ nobis Christus tradidit.* Similiter docet Auctor Orthodoxi Consensus supra citatus cap. 10. art. 1. Bullingerus Decade 5. serm. 6. fol. 337. Bucanus in Instit. loco 46. pag. 594. & alij.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Sacramenta veteris legis tantum differebant à Sacramentis nouę, quantùm vmbra ab imagine, vel à corpore ipso. Similiter Catholici.

Protestantes dicunt, quòd quoad rem ipsam erant paria, quòd eandem habebant virtutem, quod sunt eadem, quòd quicquid nos recipimus in Sacramentis Iudæi recipiebant in suis, quòd Apostolus nihil splendidius loquitur de nostris quam de illis.

SVMMA HVIVS CAPITIS
De alijs Sacramentis.

QVæ in hoc capite recitata sunt, ostendunt quam diuersè sentiant Protestantes de alijs Sacramentis ab Ecclesia & Catholicis; Nam Scriptura cum Catholicis docet Sacerdotes verè remittere peccata, confitenda esse hominibus peccata, dari gratiam per impositionem manuum; imponendas esse manus baptizatis, matrimonium esse Sacramentum, non licere repudiata vxore aliam ducere, infirmos vngendos esse oleo, Sacramenta nostra excellentiora esse veteribus; Quæ omnia Protestantes negant.

Quot & quãta Protest furãtur ab alijs Sacramentis.

Ostendunt etiam, quòd Protestantes etiam hac in re antiquum obtinent. Furantur enim à Presbyteris potestatem re-

mittendi peccata, furantur necessitatem confitendi peccata; Furantur à baptizatis impositionem manuum, & ab ipsa impositione manuum vim conferendi gratiam, à matrimonio rationem Sacramenti & indissolubilitatem, ab infirmis vnctionem, & à Sacramentis nouæ legis excellentiam & virtutem supra Sacramēta legis veteris. Atque hæc de Sacramentis: sequitur de Fide.



CAPVT XII.

DE FIDE.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN FIDES SIT OPVS, SEV CREDERE SIT FACERE?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOAN. 6. v. 28. Cùm Iudæi percontati essent: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondet Iesus & dixit eis: Hoc est corpus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* *Fides, est opus.*

Actor. 19. v. 30. custos Carceris ait Paulo & Silæ: *Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum & saluus eris.* *Credere, est facere.*

Iacobi 2. vers. 19. *Tu credis quoniam vnus est Deus? Benè facis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Ioan. 6. vers. 30. *Opus fidei, quia opus hominis est quo homo credit & dat gloriam Deo, opus actiuum ac liberum est.*

NEGANT PROTESTANTES.

Fides non est opus.

Lutherus lib. de Captiuit. Babylonica. tom. 2. fol. 71. *Fides non est opus.*

Non est actio.

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 549. *Fides, aliæque virtutes & tota renouatio, cùm primùm à Deo donantur, non sunt nostræ actiones aut oblationes erga Deum, sed pura ac mera Dei dona.* Ita Lutherani.

Impropriè opus.

Non opus.

Caluinus in Ioan. 6. v. 29. *Satis constat, Christum impropriè loqui, cùm fidei, imponit nomen operis.*

Beza ibidem: *Sunt planè ridiculi, qui ex hoc loco eliciunt fidem esse opus.*

Paræus lib. 1. de Iustificat. ca. 16. p. 270. *Fides impropriè opus appellatur.* Et lib. 4. c. 17. pag. 1139. *Falsum: nos opere fidei iustificari, vel fidem esse opus.*

Non opus.

Non propriè opus.

Tilenus in Syntagmate c. 40. pag. 435. *Sed neque si propriè loqui volumus, fides potest opus vocari.* Sic etiam Danæus in ca. 31. Enchiridij S. Augustini.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides sit opus Dei seu diuinum, quòd credere sit facere: Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides non est opus, non est nostra actio sed purum ac merum Dei donum; quòd impropriè dicitur opus, non potest propriè vocari opus; quòd sunt ridiculi qui colligunt fidem esse opus: quòd sit falsum, fidem esse opus.

ART. II. AN FIDES SIT ALIQVID præter assensum promissionibus Dei.

Fides salutifica cognoscit Deũ & Christũ.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum & quem misisti Iesum Christum.*

Credit resurrectionẽ Christi.

Roman. 10. v. 9. *Si confitearis ore tuo Dominum Iesum; & in corde tuo credideris quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Credit creationẽ mũdi.

Hebr. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.*

1. Ioan. 5. v. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei?* *Christum esse filium Dei.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. can. 12. *Si quis dixerit fidem iustificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; anathemasit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in cap. 15. Genesis. fol. 178. *Profectò fides nihil aliud est, nec aliud potest, quàm assentiri promissioni.* Et Postilla in Epistolam Dominicæ 3. Aduentus fol. 31. *Fides aliud nihil est, quàm firma & constans & perseuerans procul omni dubitatione & vacillatione diuinæ gratiæ & beneuolentiæ æternum duraturæ, fiducia.* *Nihil potest aliud quã assentiri promissionibus.* *Nihil est aliud quam fiducia de gratia.*

Melancthon in Colossens. 1. to. 4. pag. 341. *Significat fides non notitiam historiæ, qualis & in Diabolis est; sed assensum quo amplectimur promissionem.* *Non est notitia historiæ.*

Hutterus in Analysi confess. Augustanæ art. 4. pag. 368. *Est autem credere in Christum nihil aliud, quàm plena animi fiducia recumbere in promissionibus Euangelicis de gratuita peccatorum remissione, & ex his, propter meritum & redemptionem à Christo peractam, gratiam Dei, salutem ac vitam æternam indubitato sibi polliceri.* Et pag. sequ. *Est vnicum ac idem semper obiectum* (fidei) *cuius respectu saluare dicitur, nempe sola diuinæ misericordiæ de gratuita per & propter Christum remissione peccatorum promissio.* *Nihil aliud quam fiducia in promissiones.* *Vnicũ eius obiectũ est misericordia Dei.*

Gerlachius Disput. 17. to. 2. pag. 718. *Iustificantis fidei propriè & in specie dictæ aliud obiectum non est, quam verbum Euãgelij de gratia & misericordia Dei & merito Christi.* *Nullum aliud eius obiectũ quã verbum de gratia.*

Lobechius Disput. 22. pag 527. *Alij in obiecto fidei hallucinantur: quòd totam Scripturam ponunt pro obiecto fidei iustificantis.* Et distinguit ipse fidem iustificantem à fide generali, *quæ* (inquit) *obiectum habet generale omne verbum Dei.* Ita Lutherani. Vide kemnitium de Origine Iesuitarum pag. 61. *Non habet pro obiecto totam Scripturam.*

Bucerus in Matth. 16. v. 355. *Fides nihil aliud est, quàm certa salutis per Christum partæ persuasio.* *Nihil aliud est quàm persuasio salutis.*

Beza in 1. Timoth. 4. v. 15. *Fides nihil aliud est, quàm firma nostræ in Christo electionis persuasio.* In Confessione c. 4. sect.

Non est ea qua credimus Deum esse Deum.
Nō notitia rerū à Deo proditarū.

19. p. 15. *Fides nihil est aliud, quàm illud quo certiores sumus vitam æternam ad nos pertinere.* Et sect. 5. *Fides non est ea qua duntaxat credimus Deum esse Deum & verum esse ipsius verbum, habent enim ipsi Diaboli hanc fidem.* Cap. 7. sect. 8. pag. 60. *Fides non est historica notitia rerum à Deo proditarum, sed certum testimoniū quod Spiritus perhibet singulorum electorum cordibus, quòd sunt à Deo electi.* Et in breui Confess. pag. 82. *Illud omnino est quod fidem appellamus tantopere in Scriptura commendatam, nempe cùm aliquis sibi certò persuadet promissiones salutis & vitæ æternæ ad se sigillatim ac propriè pertinere.* Similia habet lib. quæst & resp. pag. 678: & Caluinus 3. Instit. c. 2 paragrapho 7. & de vera Eccles. Reform. p. 318.

Non est aliud quam persuasio de beneuolentia.
Tota est in promissionibus.

Zanchius de Perseuerantia Sanctorum to. 7. col. 172. *Quid est fides aliud, quàm certa de gratuita beneuolentia Dei erga nos in Christo concepta persuasio?*

Serranus contra Hayum part. 3. p. 211. *Fides in promissionibus tota est.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Fides iustificans sit illa qua creditur Deus verus & Christus Iesus, qua creditur aptata esse sæcula verbo Dei, Iesum esse filium Dei suscitatum à mortuis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides iustificans non sit notitia historiæ Sacræ, non notitia rerum à Deo proditarum, non qua creditur verum esse verbum Dei, quòd tota sit in promissionibus, vnicum & non aliud obiectum habeat quàm promissiones, quòd nihil aliud sit quàm assensus promissioni, nihil nisi fiducia gratiæ, nihil nisi persuasio salutis.

ART. III. AN CREDERE QVOD Christus sit Deus, sit Fides iustificans, aut prosit cuiquam.

Credere Christū esse filium Dei, dat vitam. Facit Deū manere in nobis.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOan. 20. v. 31. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.*

1. Ioan. 4. v. 15. *Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est Fi-*

lius Dei Deus in eo manet & ipse in Deo. Et c. 5. v. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est Filius Dei?*

Vincit mundum.

Matth. 16. v. 17. Cùm Petrus dixisset: *Tu es Christus Filius Dei viui*, Christus ait *Beatus es Simon Bariona.*

Facit beatos.

Actor 8. v. 37. Cùm Philippus dixisset: *Si credis ex toto corde, licet.* Eunuchus respondit: *Credo Iesum Christum esse filium Dei.*

Exigitur à baptizatis.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Iustificat. c. 8. *Hæc fides quæ respicit Christi diuinitatem, ipsa est, quæ iustitiam & vitam æternam tribuit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus Postilla in Dominic. 5. post Pascha fol. 263. *Hic videmus, in Christum credere, non esse, quòd Christum vnam personam quæ Deus sit & homo, credamus: hoc enim adiuuaret neminem.* fol. 260. *Quid verò est in Christum credere. Non est credere, quòd Deus sit, aut quòd cum Deo in cœlis æqualiter dominetur; hoc enim & multi alij credunt.* Et in Gal. 3. to. 5. fol. 346. *Ficta est fides, quæ audit de Deo, de Christo, & omnibus mysterijs incarnationis & redemptionis, & apprehendit istas res auditas.*

Credere Christũ esse Deũ, adiuuat neminem.

Credere omnia mysteria redemptionis est ficta fides.

Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ art. 4. pag. 368. *Est fides iustificans, non quæuis, sed fides Iesu Christi, nõ qua Christus & Christo creditur — Obiectum quidem eius varium ac multiplex constituit* Epistola *ad Hæbræos c. 11. integro, verùm eorum omnium respectu fides iustificare dici nec potest, nec debet.* Ita Lutherani.

Fides non iustificat respectu omnium suorum obiectorum.

Zuinglius in Ioan. 2. to. 4. *Multi credunt Christum esse filium Dei, natum, passum, resuscitatum: sed hæc fides non iustificat.* Sadeel Respons. ad articul. abiurat. 33. pag. 459: *Non satis est, si credam Iesum Christum venisse in mundum, mortem perpessũ esse, resurrexisse; & in Cœlum ascendisse: Hæc enim fides historica non me seruabit.*

Credere Christum natũ, passũ &c. non iustificat.

Bucanus in Instit. loco 29. pag. 274. *Fides generalis, qua ea quæ in Dei verbo reuelata sunt vera esse persuasum habemus, per se non iustificat.*

Fides quæ credit verbo Dei non iustificat.

Scarpius de iustificat. contr. 2. pag. 49. ait, quòd fidei historicæ obiectum, est *totum Dei verbum*, *quam* tamen ne-

gat iustificare. Idem sentiunt alij Protestantes, vt patet tum ex verbis citatis articulo præcedenti: tùm quia negant fidem qua Christiani credunt quòd vnus est Deus (vt loquitur Iacobus c. 2.) sit vera fides: tum quia negant fidem Catholicã seu (vt ipsi loquuntur) historicam qua creduntur mysteria incarnationis & similia, esse fidem iustificantem: tùm demum quia (vt infra Art. 18. videbimus) volunt fidem iustificantem duntaxat esse fiduciã de misericordia Dei speciali erga quemlibet fidelem.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides de diuinitate Christi facit Deum manere in nobis & nos in Deo, reddit beatos, est illa quæ requiritur ad Baptismum & quæ dat vitam. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides quâ Christus creditur Deus & homo, adiuuat neminem: quòd fides qua creduntur omnia mysteria incarnationis & redemptionis est ficta, quòd fides iustificans non est quâ creditur Christus vel Christo; quòd fides quâ creditur totum Dei verbum, non iustificat, non seruat.

ART. IV. AN FIDES IVSTIFICANS sit vna.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Vna fides. Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Iustificat. cap. 5 *Non multæ sunt fides, vna enim fides est propter vnam & eandem rationem formalem qua creduntur omnia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Duplex fides. Scharpius de Iustificat. Controu. 1. pag. 21. *Fides iustificans pro ratione subiecti duplex est, infantium, vel adultorum. Infantium fides nec notitiam, nec applicationem promissionum gratiæ, quales in adultis sunt, habere potest: suos tamen motus à Spiritu S. excitatos infantes habent.*

Polanus 2. parte thesium tit. de fide saluifica pag. 611. *Infantes licet cum adultis eandem per omnia fidem non habeant propter*

pter organorum infirmitatem, habent tamen aliquid analogum, quod Spiritus Sanctus in ipsis immediatè pro ipsorum captu & modulo operatur ad ipsorum iustificationem.

Infantes habent aliquid analogum fidei.

Caluinus 4. Instit. cap. 16. §. 19. *Non eadem esse fide infantes præditos temerè affirmare velim, quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei similem.* § 20. ait, *quòd etsi in Infantibus pœnitentia & fides nondum formatæ sunt, arcana tamen Spiritus operatione vtriusque semen in illis latet.* Et §. 21. *Si accepto regenerationis signo, præsenti vita ante demigrent quàm adoleuerint, eos virtute sui spiritus nobis incomprehensa renouat, quomodo expedire solus ipse prouidet.* Et 3. Instit. cap. 2. §. 11. & 12. Distinguit fidem temporalem reproborum à fide electorum, inter quorum fides dicit esse magnam similitudinem & affinitatem, licet nolit fidem reproborum esse saluificam.

Infantes renouantur modo nobis ignoto.

Beza Respons. ad Acta Colloquij Montisbel parte 2. p. 99. *Nostræ ætatis doctißimi Theologi, non quidem ipsam fidem actu infundi infantium intellectui statuunt, sed eius tantùm inchoationẽ quamdam, ac veluti semen ac radicem.*

Habent tãtũ inchoationẽ fidei.

Kemnitius 2. parte exam. Cõcilij Trident. pag. 92. negat Infantes habere eam fidem quam habent adulti, sed aliquid aliud, *quod* (inquit) *nec satis intelligimus, nec verbis explicare possumus quale sit, vocamus tamen fidem, illud enim organon, quo Regnum Dei accipitur, Scriptura vocat fidem.*

Habent aliquid quod non intelligimus.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd sit vna fides. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sit duplex fides, vna Infantium altera adultorum: quòd Infantes habent quid analogũ fidei adultorum: quòd non habent eandem fidem cum adultis; quòd renouantur modo nobis ignoto: quòd habent tantùm inclinationem ac semen fidei; quòd nescimus quid sit quod habent loco fidei nostræ.

ART. V. AN OMNES FIDEI ARTICVli credi possunt sine Spiritu Sancto?

Negat Scriptvra.

Caro & sanguis non reuelat diuinitatem Christi.

MAtth. 16. v. 17. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in Cœlis est.*

Spiritus necessarius ad cognoscendum Christum.

1. Corinth. 12. v. 3. *Nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto.*

Nihil boni possumus cogitare ex nobis.

2. Corinth. 3. v. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Negant Catholici.

Stapletonus lib. 8. Principiorum doctrinalium c. 2. *Error est, posse aliquem per solam fidem acquisitam omnes fidei articulos credere.* Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 6. art. 1.

Affirmant Protestantes.

Possumus iudicare omnes articulos fidei esse veros sine Spiritu.

Vvitakerus Controu. 1. q. 4. c. 1. pag. 336. *Possumus aliquomodo cognita habere dogmata Scripturarum, fidemque historicam tenere per verbi ministerium, ita vt articulos omnes fidei cognoscamus ac veros esse iudicemus, idque sine interno lumine Spiritus.*

Credere totum Dei verbum nō est donum Dei.

Perkinsus in Galat. 2. tom. 2. col. 89. *Definiunt Pontificij fidē iustificantem, quòd sit donum Dei quo credimus articulos fidei esse veros totumque Dei verbum; sed habent & hanc fidem Diaboli.* Idem sentiunt Melancthon & Beza citati artic. 2. & alij qui docent, quòd Dæmones habent eandem fidem Catholicam seu vniuersalem, aut (vt ipsi loquuntur) historicam, quam nos habemus. Vnde ita Paręus in Galat. 3. lectione 32. *Absque fiducia esset tantùm fides historica, quam etiam habent hypocritæ, imo dæmones ipsi, qui norunt & credunt* Euangelium *verum esse.*

Collatio.

Scriptura de hac re ex professo disserens ait, quòd caro & sanguis non reuelat diuinitatem Christi sed pater cœlestis; quòd nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi in Spiritu Sancto; quòd ex nobis non sufficimus cogitare aliquid boni. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd possumus iudicare omnes articulos fidei esse veros sine lumine Sancti Spiritus; quòd non

sit donum Dei credere articulos fidei esse veros totumque Dei verbum, sed quòd Diaboli id credant.

ART. VI. AN FIDES DISTINGVATVR à Spe & Charitate?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. COr.13.v.13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc, maior autem horum est charitas.* Et v. 2. *Etsi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero; nihil sum.* *Fides distincta à charitate.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus 1. Corinth. 2. v. 12. *Nos Paulo credimus, non Caluino, tria hæc esse fidem, spem & charitatem. Tria sunt, distincta sunt, vnum & idem non sunt, alia fidei, alia spei natura, alia charitatis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius lib. de vera & falsa religione c. de merito pag. 341. in 8. *Qui verò iam non intelligunt fidem, spem & charitatẽ eandem rem esse, nempe hanc in Deum fiduciam, multos nodos in Scriptura cogentur inexplicitos præterire*: Item: *Si spes saluum facit, & fides saluum facit, erunt eadem res fides & spes.* Et pag. seq. *Fidem & charitatem eandem rem esse oportet. Neque hic quisquam miretur, vereaturque confundi à nobis tres istas virtutes theologicas: Nos sanè hoc ex sacris literis didicimus, quòd nisi quælibet harum virtutũ sit altera, planè nihil sit, nedum virtus.* Similia habet in 1. Corint. 13. tom. 4. pag. 478. *Fides eadẽ res cũ charitate.* *Fides confunditur cũ charitate.*

Plerique etiam Protestantium confundunt fidem cum spe, cùm dicunt fidem nihil esse præter fiduciam, prout referemus infra articulo 18. Nam fiducia est spes roborata, aut certe non differt à spe, prout ibidem audiemus Petrum Martyrem docentem.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd fides, spes, & charitas sunt tria. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sunt eadem res, quòd confunduntur, quòd quælibet earum est altera.

ARTI. VII. AN FIDES SIT MAIOR charitate?

NEGAT SCRIPTVRA.

Charitas maior fide.

1. CORinth. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas: Tria hæc, maior autem horum est charitas.*

NEGANT CATHOLICI.

Sanctus Thomas in 1. Corinth. 13. v. 13. *Ista tria manent nunc, sed charitas maior est omnibus.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Fides præcipua inter opera.

Confessio Augustana c. de Bonis Operibus: *Inter bona opera præcipuum est & summus cultus Dei, fides ipsa.* Idque repetit Confessio Saxonica cap. 7.

Lutherus in Galat 3. to. 5. fol. 346. *Si charitas est forma fidei vt ipsi nugantur, statim cogor sentire ipsam Charitatem esse principalem & maximam partem christianæ religionis, & sic amitto Christum.* In cap. 4. fol. 382. *Quia fidem ita docent, vt plus charitati quàm fidei tribuant, Christum summa contumelia afficiunt, ac verbum eius sceleste & impiè deprauant.* Ibidem de Bonis operibus fol. 577. *Primum & summum & nobilissimum omnium bonorum operum est fides.* Et in margine: *Fides cunctis operibus preciosior.* De libertate Christiana to. 2. fol. 5. *Nulla; nec omnia bona opera fidem possunt æquare*: De Captiuit. Babylonica fol. 74. *Fides est opus omnium operum excellentissimum.* Postilla in ferias Ioannis Euangelistæ fol. 93. *Quicquid Euangelicæ literæ de operibus præcipiunt, aut docent, semper sic docent ac præcipiunt, vt primas fidei deferant.* Et in Dominic. Quinquagesimæ fol. 207. *Fides melior, dignior, ac præstantior est dilectione.*

Non plus tribuendū Charitati quàm Fidei.

Fides nobilissimum bonorum operum.

Omnia opera non æquant fidem.

Primæ deferendæ fidei.

Schusselburg. to. 8. Catalo. Heret. pag. 519. *Minor* (nempe, quòd charitas est maxima virtus) *ex verbo Dei probari non potest: Nam 1. Corinth. 13. tantùm fit comparatio trium secundum quid, hoc est, secundum durationem.*

Fides melior charitate.

Herbrandus in Compendio Theol. loco de Iustificat. p. 299. ait quòd fides *summus cultus est & difficillimus, quem Deo præstare possumus.*

Lobechius disput. 9. pag. 188. *Fides primum & summum*

gradum inter reliqua bona obtinet.

Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 18. p. 178. *Fides etiam est maior charitate.* Hæc Lutherani. *Fides maior charitate.*

Caluinus in 1. Corinth. 13. v. 13. cit. *Si excutiamus singulos fidei effectus & conferamus, reperietur in multis superior fides, quin etiam ipsa Charitas eodem Apostolo teste 1. Thessal. 1. effectus est fidei, effectus autem sua causa procul dubio est inferior.* Et 3. Instit. c. 1. §. 4. ait fidem esse *præcipuum opus Sancti Spiritus.* Et de vera Eccles. Reform. pag. 321. *Præcipuam diuini cultus partem.* *Charitas inferior fide.*

Petrus Martyr in locis classe 3. c. 3. §. 6. *Fides quatenus opus est, multis partibus alia opera vincit.*

Perkinsus in Hebræos 11. to. 2. col. 962. *Hinc colligimus fidem esse omnibus reliquis Dei donis diuiniorem.* *Fides diuinior charitate.*

Tindallus apud Foxum in Actis Edit. 1610. pag. 1144. *Nō possumus præbere Deo vllam maiorem honorem, quàm credendo & confidendo in ipsum.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd charitas maior est Fide. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides est excellentissimum, nobilissimum, preciosissimum omnium operum: Quòd vincit omnia opera; quòd omnia opera non possunt æquare fidem, quòd est diuinior, maior, melior, dignior, præstantior charitate, quòd est summus cultus Dei; quòd Charitas tantùm duratione excedit fidem; quòd est inferior fide; quòd sit summa contumelia in Christum, plus tribuere charitati quàm fidei.

ARTIC. VIII. AN FIDES POSSIT ESSE sine charitate seu bonis operibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOan. 12. v. 42. dicitur de Principibus quibusdam qui credebant in Christum, sed eum non confitebantur: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.* *Fides sine dilectione Dei.*

1. Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes trāsferam, Charitatem autem non habuero: nihil sum.* *Fides sine charitate.*

Sine bonis operibus.

Iacobi 2. v. 14. *Quid proderit si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?*

Cum adulterio, homicidio & abnegatione Christi.

Dauid etiam cùm polluebat vxorem proximi, eumque occidi curauit, non habebat Charitatem proximi, neque etiam Dei, quos tam grauiter offendebat: Neque Petrus habebat Charitatem Christi quando eum abiurabat: In quibus tunc temporis erat fides sine bonis, imò cum valdè malis operibus.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 15. *Asserendum est, quocunque peccato mortali, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.*

NEGANT PROTESTANTES.

Fides non stat cum peccato mortali. Nunquam sola. Non sine operibus.

Lutherus in Galat. 5. to. 5. fol 407. *Quis ferat doceri, quòd fides donum Dei per Spiritum S. infusum cordibus possit stare cum peccato mortali.* In Genes. 15. to. 6. fol. 178. *Scimus quidem, quòd fides nunquam est sola sed affert secum charitatem.* Postilla in Dominic. 2. post Trinitatem fol. 285. *Impossibile est credere, vbi charitas desit.* In die Ascensionis fol. 265. *Vbi fides sincera est, absque operibus esse non potest.* Et in Festo S. Nicolai. fol. 355. *Quàm non potest ignis calore & fumo carere, tam non potest fides sine charitate esse.*

Somnium fidem esse cum peccato mortali. Fides nunquam sola.

Apologia Confess. Augustanæ c. 3. *Aduersarij docent fidem cum peccato mortali posse existere.* Cap. 5. *Somniant fidem posse stare cum peccato mortali: Non potest stare cum peccato mortali.*

Liber Concordiæ Lutheranorum cap. 3. pag. 586. *Fides vera nunquam sola est, quin charitatem & spem secum semper habeat* Sic etiam Lobechius Disput. 22. pag. 519. & alij Lutherani, qui volunt fidem excuti per quoduis graue peccatum admissum contra conscientiam.

Impossibile vt sit sine operibus. Nunquam sine spe & ardenti amore.

Zuinglius in Matth. 19. to. 4. pag. 107. *Quòd fides iustificans sit sine operibus, impossibile est: Fides vera & iustificans tam non potest esse sine bonis operibus quàm ignis sine calore.* Ita etiam Bullingerus sermone 6. de Iustificat. Fidei, Bucerus in Epitome doctrinæ Argentinẽsis art. 8. *Vera in Christum fides nunquam esse potest sine viua erga Deum fiducia, aut solida spe vitæ æternæ, ardenti item amore erga Deum pariter & homines.*

Caluinus in Antidot. Concilij sess. 6. p. 280. *Nihilo magis fidem à charitate separabunt, quàm Christum à Spiritu suo*, Et pag. 288. *Non magis Spiritus Sanctificationis à fide quàm Christus ipse separari potest.* Et in 1. Ioan. 4. v. 7. *Facessat stultum commentum de fide informi, quia si quis fidem à charitate separat, perinde facit, ac si calorem à Sole auferre conetur.*

Non magis separatur à Charitate quã Christus à spiritu suo

Beza in 1. Corinth. 13. v. 2. *Fides iustificans, quæ Dei misericordiam in Christo apprehendit, cogitatione quidem secerni à charitate potest, re ipsa nunquam.* Et in 1. Timoth. 4. v. 1. *Fidem à Spiritus Christi effectis, id est, à mortificatione peccati & viuificatione iustitiæ qui diuellit, is eo ipso testatur se infidelem esse.*

Cogitatione potest separari non re ipsa.

Petrus Martyr in Rom. 11. pag. 636. in folio: *Sine bonis operibus vera fides qua verè Deus creditur, non habetur.* Et contra Gardinerum col. 424. *Fidem docemus & contendimus nullam esse sine operibus.*

Nulla fides sine operibus.

Iuellus in defens. Apologiæ parte 2. cap. 20. sect. 1. *Impij sine bonis operibus non habent veram fidem.*

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 15. pag. 890. *Sine charitate fides esse nequit.* Et lib. 4. cap. 9. pag. 1054. *A fide dilectio non magis quàm à sese splendor separabilis est.* Sic etiam pag. 1056. Et in Galat. 5. lectione 62. Item Volanus contra Scargam lib. 1. pag. 803. Author Respons. ad theses Valentianas pag. 914. Bucanus in Institut. loco 32. pag. 346. Scharpius de Iustificat. Controuers. 6. pag. 91. Hommius Disput. 62.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides potest esse sine dilectione Dei, sine charitate, sine operibus: imo cum adulterio, homicidio, & abnegatione Christi. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides, fides vera, fides iustificans, fides qua verè Deus creditur, nulla fides, potest esse sine delectione, sine charitate, sine ardenti amore erga Deũ & proximum, sine operibus, sine sanctificatione, sine mortificatione peccati & viuificatione iustitiæ; quòd non possit stare cum peccato mortali: quòd impossibilile est fidem esse sine bonis operibus vel vbi charitas desit: tam impossibile separare fidem à charitate, quàm Solem vel ignem à calore, quã Christum ipsum à spiritu suo; quòd contrarium dogma sit

somnium, stultum commentum, & qui illud tenet, eo ipso testatur se infidelem esse. Quæ tam apertè pugnant cum Scriptura, vt aliqui Protestantes id agnoscant, vt videre est l.2. cap. vltimo.

ART. IX. AN FIDES POSSIT ESSE sine confessione oris?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Multi credunt qui nō cōfitentur.

IOannis 12. v. 42. Ex *Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur.*

Petrus credit, & tamē abnegat.

Petri etiam fides non defecit, vt supra ostendimus, & tamen aliquando non confitebatur, imo negabat & abiurabat Christum: Marci 14 v. 78.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. De Iustificat. cap. 15. S. *Augustinus eamdem fidem tribuit illis qui confitebantur Iesum manifestè, & illis qui confiteri non audebant*: *Neque dubitari potest, quin fides confitentium vera fides in Christum fuerit; Erat igitur vera & non confitentium.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non creditur sine cōfessione.

Caluinus in Rom. 10. v. 10. *Neque enim corde credere quis potest, quin in ore confiteatur.*

Fides non potest separari à confessione.

Vvitakerus Controuers. 4. q. 6. cap. 2. pag. 696. *Vera fides non magis separari potest à confessione oris, quàm ignis ab ardore aut Sol à splendore radijsque suis. Certè vera fides non est quæ professionem non parit.* Item: *Si succumbat & vincatur terrore, vera fides non est.*

Non potest carere confessione.

Zanchius in sua Confessione cap. 17. tom. 8. col. 522. *Credimus veram fidem non posse ingenua veritatis confessione, cum opus est, carere.*

Nunquam est sine professione.

Volanus in lib. 3. contra Scargam p. 1071. *Vera fides nemini vnquam à Deo datur, quin palam & liberè omni postposito metu Christum celebret, dominumque ac saluatorem suum securè profiteatur.*

COLLATIO.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd multi crediderunt in Christum, tamen eum non confitebantur; & quòd Petri fides non defecit, licet Christum abnegauerit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nemo potest corde credere quin ore confiteatur; quòd vera fides non potest magis separari à confessione oris, quàm ignis ab ardore, aut Sol à splendore radiisque suis; quòd si succumbat, non est vera fides: quòd vera fides nemini vnquam à Deo datur, quin palam & liberè profiteatur.

ART. X. AN FIDES SINE BONIS OPERIbus sit otiosa & mortua?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IAcobi 2. vers. 20. *Fides sine operibus otiosa est.* vers. 17. *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Et vers. 26. *Sicut corpus sine Spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est.* *Fides sine operibus otiosa.*

1. Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* *Mortua. Nihil.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. *Verissimè dicitur fidem sine operibus mortuam & otiosam esse.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in Galat. 2. to. 5. fol. 314. *Papistæ & fanatici sic intelligunt, fidem quantumuis veram, si opera non habeat, nihil valere. Hoc falsum est.* Et Postilla in die Epiphaniç fol. 151. damnat hoc tanquam dogma Papisticum: *Fidem absque operibus inutilem esse.* *Falsum: fidem nihil valere sine operibus. Non est inutilis sine operibus.*

Herbrandus in Compendio loco de fide pag. 267. *Vera fides mortua nunquam dici aut esse potest.* *Non potest dici mortua.*

Morlinus apud Schusselburg. to. 7. catalo. Hæret. pag. 168. *Blasphema vox est: Fidem sine bonis operibus nihil esse, nihil valere, nihil habere virtutis & efficaciæ.* pag. sequ. *Qui dicit fidem sine operum præsentia nihil esse, simpliciter dicit quòd Pontificij, Fide formata charitate iustificari hominem.* Et pag. 170. *Quòd fides* *Blasphemũ: quod nihil sit sine operibus.*

Est deprauatio Pauli. *sine præsentia operum nihil sit, horrenda est obscuratio & deprauatio Pauli.*

Schusselburg. to. 8. Catal. Hæret. pag. 513. *Est hæc propositio blasphema: Fidem in articulo iustificationis nihil esse, si absque nostris operibus ibi sit — An res est mortua vt aliqui improbi affirmant? Deus eiusmodi blasphemiam retundet ac compescet in ijs qui non agunt pœnitentiam.* pag. 526. *Dictum Iacobi de fide sine operibus mortua, intelligendum est de actu sequente iustificationem.* Et pag. sequ. *Iacobi dictum ad actum iustificationis non est torquendũ: Nam hic fides licet sit absque operibus, nihilque vel operum vel meritorum afferat secum in conspectum Dei, tamen non est mortua — In hoc certamine etiamsi fides nulla sua bona opera animaduertat, tamen mortua non est, quantumuis sit languida & exilis.* Ita Lutherani.

Fides nõ est mortua sine operibus.

Non est mortua in actu iustificationis sine operibus.

Fides diligentium gloriam hominum magis quam Dei, viua.

Bucerus in Ioan. 12. *Fidem horum Principum* (qui non confitebantur Christum quia diligebant gloriam hominum magis quam Dei) *quanquam infirmam, tamen veram & viuam fuisse equidem puto.* Idemque docet Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 15.

Fides viua inter grauissimos lapsus.

Caluinus in Antidoto Concilij sess. 6. can. 28. pag. 292. *Semen aliquod fidei manere in homine etiam inter grauissimos lapsus non nego. Id quantulumcunque est, particulam fateor esse veræ fidei, addo etiam viuæ.* Et de vera Eccles. Reform. pag. 318. *Quomodo fides mortua esset, cùm sit viuifica?*

Zanchius in Confess. c. 27. sect. 4. tom. 8. col. 522. *Fides electorum semper viuit.*

Contaminata graui peccato, est viua.

Contraremonstrantes in Collatione Hagæ pag. 396. *Hic non habetur: si fides esset contaminata peccato aliquo* (graui) *illam esse fidem mortuam: Ita nemo haberet fidem viuam.*

Idem sentiunt tum Lutherani omnes, qui dicunt fidem ante opera, & absque præsentia operum iustificare: tum Sacramentarij, qui dicunt iustificationem fidei manere in fidelibus cum quibuscunque peccatis quæ committunt. Nam cum fides non iustificet seu viuificet dum mortua, sed tantùm dum viua est, si iustificet sine operibus bonis, imò cum valde malis, manifestè sequitur, quòd sine bonis, imò cum valdè malis operibus viua est, & non mortua nec otiosa.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides sine bonis operibus est otiosa, est mortua in semetipsa, est mortua sicut corpus sine Spiritu, & quòd sine charitate omnis fides nihil est. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides sine operibus non est nihil, non est inutilis, non est mortua: quòd contaminata graui peccato, non est mortua: quòd nunquam potest esse aut dici mortua: quòd inter grauissimos lapsus est viua, etiam in illis qui diligunt gloriam hominum magis quàm Dei.

ART. II. AN FIDES DE QVA LOquitur S. Iacobus sit vera seu iustificans fides?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IAcobi 2. v. 22. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius* (Abrahæ) *& ex operibus fides consummata est, & suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* *Cooperata operibus. Consũmata operibus. Reputata ad iustitiã. Ex qua homo iustificatur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Iustificat. c. 15. Multis probat S. Iacobum loqui de Fide iustificante.

NEGANT PROTESTANTES.

Kemnitius in locis tit. de Argumentis to. 2. p. 95. *Iacobus dicit: Quòd si quis dicat se habere fidem, qui tamen nulla habeat opera, eum non habere fidem saluificam, sed vanam persuasionem.* *Non fides saluifica sed vana persuasio.*

Hunnius de Iustificat. pag. 220. *Perstringitur à Iacobo nuda & inanis persuasio fidei.* Ita Lutherani. *Nuda & inanis persuasio fidei.*

Zuinglius in Iacobi 2. v. cit. to. 4. ait quòd fides de qua Iacobus, *non sit fides, sed simulacrum fidei, inanis & vana fides.* Sic etiam Bullingerus decade 3. serm. 9. *Simulacrũ fidei.*

Caluinus in Iacobi 2. v. 17. & 19. ait: Quòd *non loquitur de fide*, & v. 14. quòd loquitur *de mortuo fidei simulacro, de falsa professione.* *Mortuum fidei simulacrum.*

Beza ibidem in v. 14. *Non vera fides* (de qua Iacobus) *sed mortuum simulacrum.* *Non vera fides.*

Petrus Martyr. in locis classe. 3. c. 3. §. 23. *Iacobus mortuæ fidei meminit, verùm ea non est fides.*

Non fides.

Vvitakerus lib. 1. contra Duræum sect. 13. *Quod nos Iacobus fide tantum iustificari negat, id de inani, ficta, mortua, imaginaria, diabolica fide intelligendum.*

Ficta & diabolica fides.

Paræus lib. 4. de Iustificat. c. 18. pag. 1157. *Neque enim (vt volunt Sophistæ) iustificationem inter fidem & opera* (Iacobus) *diuidit, sed fidem tanquam rem mortuam à iustificatione prorsus remouet.*

COLLATIO.

Iuxta Scripturam: Iacobus loquitur de fide quæ cooperabatur operibus Abrahæ, quæ consummabatur ex operibus illius, qua Abraham ipse credidit; quæ reputata est ei ad iustitiam, & ex qua homo iustificatur. Huiusmodi autem fides, certissimè est vera iustificans fides. Idem docent Catholici.

Iuxta Protestantes: fides, de qua S. Iacobus loquitur, erat mortuum simulacrum, mortuum fidei simulacrum: vana, falsa, nuda, & inanis persuasio: inanis, ficta, imaginaria, diabolica fides: non fides, non vera fides, prorsus remota à iustificatione.

ARTIC. XII. AN OMNIS ACTVS FIDEI sit vitiosus & nullius pretij coram Deo?

NEGAT SCRIPTVRA.

Fides magna. Plena.

MAtth. 15. v. 28. Christus ait. *O mulier, magna est fides tua.* Actorum 6. v. 5. & 8. *Elegerunt Stephanum plenum fide & Spiritu Sancto.* Et cap. 11. v. 24. *Barnabas plenus Spiritu Sancto & fide.*

Non infirma. Abundās.

Rom. 4. v. 18. *Qui contra spem in spem credidit, & v. 19. Non infirmatus est fide.*

2. Corinth. 8. v. 7. *In omnibus abundatis fide.*

Hebræo. 10. v. 22. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.*

Cōsūmata.

Iacobi 2. v. 22. *Ex operibus fides* (Abrahæ) *consummata est.*

Pretiosa.

1. Petri 1. vers. 7. *Vt probatio vestræ fidei multo preciosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur, &c.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Rom. 4. vers. 2. *Actus fidei, quo captiuatur intellectus in obsequium Christi, est actus eximiæ virtutis, de quo in Domino gloriari potest qui illum exercet.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Caluinus 3. Institut. c. 11. §. 7. *Propriè loquendo, Deum vnum iustificare dicimus, fidem quasi vasi conferimus—Fides, etiamsi per se nullius dignitatis sit vel pretij, nos iustificat Christum afferendo, sicut olla pecunijs referta hominem locupletat.* In Matth. 9. v. 22. *Videmus fidem, vt Deo placeat, opus habere venia.* Et in Actor. 6. v. 8. cit. *Neque enim imaginanda est fidei perfectio, quia* (Stephanus) *plenus fide dicatur.* *Fides per se nullius dignitatis. Opus habet venia. Non perfecta.*

Beza in Colloquio Montisbel. pag. 28. *Nunquam nobis in mentem venit, vt perfectam fidem in quoquam statueremus.*

Petrus Martyr in locis Classe 3, ca. 3 §. 6 *Quod non eo dico, quòd putem nos iustificari fide quatenus ea opus est; varijs enim infirmitatis nostræ maculis inquinatur.* Cap. 4. §. 8. *Si fides ipsa, quâ nostrum opus est, consideretur, ea iustificari non possumus, cùm opus sit & mancum & imperfectum longè deterius quàm lex requirit, sed illa iustificari dicimur, quâ promissiones Dei & Christi iustitiam meritaque per ipsam apprehendimus & nobis applicamus. Fingas tibi mendici hominis fœdissimam & leprosam manum, qua capiat Eleemosynam ab offerente: certè mendicus ille à fœditate seu lepra suæ manus haud quaquam iuuatur, sed eleemosyna quam manu qualicunque accipit.* Et in Rom. 11. p. 535. in folio, comparat fidem *manui leprosæ, infirmæ, vlceratæ.* *Varijs maculis inquinata. Longe deterior quã lex requirit. Instar leprosæ & fœdissimæ manus.*

Paræus lib. 4. de Iustificat. c. 17. pag. 1139. *Nihil absurdi: fidem aliquando admixtam habere diffidentiam vel incredulitatem, quæ est peccatum, & sic per accidens fidem esse peccatum.* Item: *fides iustificat sicut mendicus per manũ scabiosam accipit eleemosynã.* *Per accidens peccatum.*

Danæus in cap. 31. Enchyridij S. Augustini pag. 785. *Per se quidem & qualis est in nobis fides si spectemus, est imperfecta, manca, polluta, & infidelitate conspurcata & commixta, vt ne virtutis quidem nomine verè digna sit.* Idem sentiunt alij omnes Protestantes, qui dicunt omnia nostra bona opera esse coinquinata & peccata coram Deo, vt referemus c. sequenti: nam in hoc eadem est ratio fidei & operum. *Infidelitate cõspurcata.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd aliqua fides est magna, plena, abũdans, consummata, in spem contra spem, non infirma, præciosior auro probato. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd omnis fides est nullius dignitatis vel pretij, opus habet venia, est peccatum, varijs maculis inquinata, deterior quàm lex requirit, manca, imperfecta, polluta, infidelitate conspurcata, instar fœdissimæ, leprosę, vlceratæ, & scabiosæ manus, ne quidem nomine virtutis verè digna.

ARTI. XIII. AN FIDES PERFICIATVR Charitate seu bonis operibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Fides consummatur seu perficitur operibus.

IAcobi. 2. v. 22. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius & ex operibus fides consummata est* (Græcè, ἐτελειώθη) id est, perfecta est: vt vertunt Caluinus & Tremellius in textu & Beza in notis in hunc locum.

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 3. *Charitas dicitur forma fidei, in quantum per charitatem actus fidei perficitur & formatur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non perficitur operibus.

Lutherus in Galat. 2. to. 5. fol. 296. *Verum Euangelium est: quòd opera aut charitate non sunt ornatus seu perfectio fidei.*

Non perficitur.

Bullingerus Decade 3. sermone 9. fol. 156. *Omnibus modis homine Christiano indigna est sententia, quæ asserit, operibus nostris perfici fidem, id est, per opera sarciri, quod fidei diminutum videtur.*

Nõ accipit perfectionẽ ex operibus.

Caluinus in Iacobi 2. v. 22. cit. *Dicitur ex operibus fuisse perfecta, non quòd inde suam perfectionem accipiat, sed quod vera esse inde comprobetur.* Idem habet in Refutat. errorum Serueti pag. 656. & alij Protestantes communiter.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd fides consummatur seu perficitur bonis operibus. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides non ornatur seu perficitur

charitate, quòd opera non perficiunt fidem; quòd fides non accipit suam perfectionem ex operibus.

ART. XIV. AN PER FIDEM DVNtaxat cognoscamus nos iustificari?

NEGAT SCRIPTVRA.

LVCÆ 7. v. 50. Christus ait peccatrici: *Fides tua te saluam fecit.* *Fides saluū facit.*

Rom. 1. v. 17. *Iustus ex fide viuit.* Idem habetur Galat. 3. v. 11. Hæbr. 10. v. 38. & Abacuc. 2. v. 4. *Viuimus ex fide.*

Rom. 3. v. 30. *Qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.* Et cap. 5. v. 1. *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad Deum.* *Iustificamur ex fide per fidem.*

Actor. 26. v. 18. *Vt accipiant remissionem peccatorum & sortem inter Sanctos per fidem quæ est in me.* *Accipimus remissionē per fidem.*

Galat. 2. v. 16. *Vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.*

Ephes. 2. v. 8. *Gratia saluati estis per fidem.* *Saluamur per fidem.*

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Iustificat. c. 17. *Probemus fidem veram, non esse (vt aduersarij volunt) nudam ac solam apprehensionem iustitiæ, sed esse causam & vim habere iustificandi.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Zuinglius in Exposit. fidei to. 2. fol. 557. *Per fidem diximus remitti peccata, quò nihil aliud volumus, quàm dicere solam fidem certum reddere hominem de remissis sceleribus.* De Prouidentia cap. 6. to. 1. fol. 371. *Fidei tribuitur iustificatio & salus, cùm ea sint solius electionis & liberalitatis diuinæ, fides autem electionem sic sequatur, vt qui illam habeant, sciant se veluti per sigillum ac pignus electos esse.* Et in Rom. 8. to. 4. pag. 428. *Electio, si propriè velimus loqui saluat, non fides: sed quia fides certum signum est te esse electum, tribuitur fidei, quod est electionis.* *Fide remissa, nihil aliud quam ea certos reddi.* *Fides non propriè saluat.*

Caluinus lib. 6. de libero Arbitrio pag. 196. *Deus electos suos amplectitur, amat, acceptosque habet etiam ante vocationem, sed in Christo: eos autem vocando se propitium ipsis ostendit ac beneuolum, hoc est, amorem ipsis quem ante deferebat, testatur, vt* *Fide sentimus amari nos à Deo.*

eum in animis suis sentiant, eòque fruantur. Et in Rom. 5. v. 10. *Quatenus arcano suo consilio nos in Christi corpus cooptat, odisse nos desinit, sed reditio in gratiam nobis ignota est, donec fide in eam peruenimus.*

Fide cognoscimus reditionem in gratiam.

Iustitia hominis reuelatur cùm credit.

Sutliuius lib. 2. de Ecclesia cap. 6. pag. 308. *Iustitia, qua iusti sumus coram Deo, non ex temporali hominis actu sed ex æterno Dei decreto pendet, & tum demum reuelatur, cum homo credere incipit.*

Est ab æterno, sed reuelatur.

Abbotus in Diatribam Tomsoni cap. 4. pag. 92. *Meminisse debuit, Deo iustificatos esse actu ab æterno, in quibus hoc non nisi tempore suo reuelatum & manifestatum est.*

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 38. *Beneuolentiam illam & fauorem quo nos Dominus in Christo complectitur, nostraque peccata nobis remittit, & nos in gratiam recipit, in Deo collocamus; huius autem gratiæ effecta in nobis insunt, ea verò effecta sunt vt per Spiritum Sanctum à Deo nos amari sentiamus, in Deum credamus.*

Paræus l. 1. de Iustificat. c. 15. p. 260: *Quod dicit nos credere in nostra certitudine iustificationē sitam esse falsum est: Docemus enim iustificationem in remissione peccatorum, sensum vero & consolationem iustificationis in certitudine & trāquillitate cordis consistere.*

Sensus iustificationis est in nostra certitudine

Piscator in Thesibus lib. 2. loco 8. p. 62. *Cum fide nos iustificari dicimus, intelligimus nos per fidem certò persuasos esse, Deum nobis iustitiam imputare seu pecccata remittere propter satisfactionem seu obedientiam Christi.*

Fide iustificamur, id est, persuademur de iustificatione.

Idem indicant alij, qui (vt articulo sequenti referemus) negant fidem necessariam esse ad iustificationem, & salutem: Id enim ostendit, fidem ex eorum sententia non habere aliud officium in iustificatione quàm eam nosse, nosque certos de ea reddere. Atque hac forte ex causa & vocant fidem apprehensionem iustitiæ, & definiunt eam esse notitiam diuinæ erga nos voluntatis, vti facit Caluinus 3. Instit. cap. 2. §. 6. & in Catechismo cap. de fide: vel persuasionem salutis; vti faciunt Bucerus & Beza supra citati. Notitia enim seu persuasio non facit rem de qua est, sed duntaxat facit eam nobis innotescere.

COLLA-

COLLATIO.

Scriptura docet. Quòd iustificamur ex fide, & per fidem, quòd accipimus remissionem peccatorum per fidem, quòd viuimus ex fide, quòd saluamur per fidem, quòd fides nos saluos facit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd iustificati sumus actu ab æterno, quòd iustificatio nostra non pendet ex temporali actu nostro; quòd iustificatio nostra tunc reuelatur & manifestatur cùm incipimus credere: quòd fide iustificari sit per fidem certò persuasos esse Deum nobis iustitiam imputare; quòd fides propriè non saluat: quòd per fidem remitti peccata, nihil aliud sit, quàm fidem certum hominem reddere de remissis peccatis.

ART. XV. AN FIDES SIT NECESSARIA AD IUSTIFICATIONEM VEL SALUTEM?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MArci vltimo vers. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ioan. 3. v. 18. *Qui non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Et v. 36. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Qui non credit, dãnatur. Iam iudicatus est. Ira Dei manet super eum.

Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Sine fide nõ placemus Deo.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. *Sine fide nulli vnquam contigit iustificatio.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius de Prouidentia to. 1. fol. 370. *Non est vniuersale quòd qui fidem non habeat, damnetur.* Item: *De incredulorum damnatione hi soli intelliguntur, qui audierunt & non crediderunt*, de aliis *non possumus pronunciare.* De Peccato Originali tom. 2. fol. 118. *Hoc* (qui non crediderit condemnabitur) *nullatenus absolutè est intelligendum, sed de his qui audito* Euangelio *credere noluerunt.* Idque repetit in historia resurrectionis tom. 4. pag. 402. Vnde in Expositione fidei to. 2. fol. 659. ait quòd videbimus in Cœlo Herculem, Theseum, Numam & similes paganos, eiusque ea in re sententiam tuentur Tigurini in sua Confes-

Non omnis non credens damnatur. Aliqui increduli saluantur.

sione fidei; Bullingerus in Præfatione eiusdem, Gualterus in Præfatione operum Zuinglij, & in Apologia pro eodem. Idemque dogma de salute paganorum sine fide in Christum defendunt Thammerus, Erasmus, Hardenbergius, Toslanus & alij Protestantes, vt refert Schusselb. lib. 3. Theol. Caluin. art. 7.

Infantes placent Deo sine fide.

Bucerus in Matth. 19. pag. 404. *Porro, ex eo quòd infantes fide carent, nihil minùs concluditur, quàm (quod quidam putant) ideo eos non posse Deo placere aut Sanctos esse.*

Saluantur citra fidem.

Musculus in locis tit. de Baptismo pag. 628. *Electione Dei saluantur infantes, etiamsi ex hac vita non modò citra baptismum, sed etiam citra fidem auferantur.*

Reconciliantur sine fide.

Caluinus in Matth. 19. v. 14. *Quòd non aliter reconciliari nos Deo & adoptionis hæredes fieri contendunt, quàm fide, hoc de adultis fatemur, sed quòd ad infantes attinet, falsum esse conuincit hic locus.* Idem habet in Rom. 15. v. 17. Et lib. contra Seruetum pag. 647. ait quod, illud *Omnis qui non credit filio Dei, manet in morte*, non pertinet ad infantes, *sed contumacibus tantùm iudicium denunciat.*

Infantes nõ habẽt habitum fidei.

Beza in Confessione cap. 4. sect. 48. *Non constat nobis infantes præditos esse habitu fidei, quam diximus requiri ad rem Sacramentorum recipiendam, neque verisimile est illo habitu præditos esse posse.* Et in Colloquio Montisbel. pag. 407. *Etsi infantes Christianorum fide careant, non tamen propterea baptismus illis inutilis est.*

Nulla fides in paruulis.

Danæus Contr. de Baptismo c. 10. pag. 268. *Quærit quæ sit fides quam in baptismo paruulorum requirimus in ipsis paruulis? Respondeo: Nulla.*

Sancti sunt sine fide.

Petrus Martyr apud Schusselburg. lib. 1. theol. Caluin. art. 18. fol. 60. ait *infantes ex fidelibus natos sanctos esse ex mera Dei misericordia, licet fidem veram in Christum non habeant.* Idemque docet in 1. Corinth. 7. pag. 94. in folio. Hungari in sua Panordmia apud Grauerum in Absurdis Caluinisticis cap. 4. sect. 25. *Infantes Christianorum dici non possunt propriè loquendo fidem habere: saluari tamen & regnum Dei consequi merito censentur ij omnes qui sunt ex illis prædestinati.*

Saluantur sine fide.

Perkinsus in serie Causarum cap. 57. tom. 1. col. 3. Pendet

salus, non ex operibus vel fide nostra, sed ex decreto electionis quod est immutabile.

Salus non pendet ex fide nostra.

Vvitakerus Controuers. 2. quæst. 6. cap. 3. pag. 566. *Baptismus non infundit infantibus fidem aut gratiam aliquam.* Et ibidem asserit infantes non habere fidem informem vel formatam.

Kemnitius 2. parte Examinis tit. de Baptismo pag. 89. *Quidam simpliciter disputant, omnes illas & similes Scripturæ sententias, tantùm ad adultos pertinere, non autem ad infantes, quos sentiunt gratia quidem Dei saluari sed sine fide.* Idemque quoad rem dicit ipse pag. 92. cùm inquit infantes saluari per operationem Spiritus Sancti, quæ qualis sit ait se nescire, licet eam vocet fidem, ne verbo videatur Scripturæ contrarius.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd non credens condemnabitur, iam iudicatus est, non videbit vitam, ira Dei manet super eum: quòd sine fide impossibile est placere Deo. Eadẽ Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nec omnes adulti non credentes damnabuntur: quòd Infantes nullam habent fidem, non habitum fidei, non informem vel formatam: quòd reconciliantur Deo sine fide, saluantur sine fide, possunt placere Deo licet careant fide: quòd salus non pendet ex fide nostra. Quæ sunt tam contraria Scripturæ, vt aliqui Protestantes fateantur ea euertere omnem fidem & totum Christianismum, prout videbimus lib. 2. cap. 24. Hic audiamus Lutherum in cap. 47. Genes. to. 6. fol. 633. dicentem: *Zuinglius nuper scripsit Numam, Hectorem, Herculem frui æterna beatitudine cum Petro & Paulo & alijs Sanctis. Quod nihil aliud est, quàm apertè fateri, quòd sentiant nullam esse fidem, nullum Christianismum.*

ARTIC. XVI. AN FIDES REVERA iustificet, seu sit vera causa iustificationis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

SCriptura (vt Artic. 14. retulimus) docet, quòd iustificamur ex fide, per fidem; quòd accipimus remissionem peccatorum per fidem, quòd viuimus ex fide; quòd fides nos saluos facit.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Fides non saluat.

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 551. *Fides, verbum, & Sacramenta dicuntur saluare nos, cum talia solus Deus faciat.* Et col. sequ. *Sæpe dicitur: Fides tua te saluum fecit, cùm id sola Dei misericordia ac omnipotentia fide apprehensa efficiat — Sæpe effectus non veris aut non primarijs causis tribuuntur.*

Fides iustificat correlatiuè.

Ministri Electorales in Colloquio Aldeburgico pag. 2. *Sequitur propositionem hanc: Sola fide iustificamur, intelligendam esse correlatiuè.*

Correlatiuè.

Melancthon de fide tom. 2. pag 284. Nos *vsitatè dicimus hanc propositionem: fide iustificamur, intelligi correlatiuè pro ista, per misericordiam gratis propter misericordiam placemus.* Ita Lutherani.

Synecdochicè.

Zuinglius in Elencho to. 2. fol. 34. *Hic nodus est: Quomodo fides beat aut iustificat — Sed leui Sinecdoches ictu quicquid insolubile videtur, dissilit: Accipitur enim fides pro Dei electione, finitione, vocatione, quæ omnia fidem antecedũt — Iam videmus fidei salutem tribui, eò quòd qui fidem habent vocati, electi ac præcepti sunt.*

Fides nõ est illud quod nos iustificat.

Beza in Romanos 4. v. 2. *Quasi fides illud sit, quod nos iustificat, & non potius instrumentum duntaxat, quo tanquam manu quapiam Christum iustitiam nostram apprehendimus.*

Non opus aut actio fidei.

Bucanus in Instit. Theol. loco 31. pag. 322. *Nec fidei opus vel actio nos iustificat, sed ipse Christus quem fide apprehendimus,* Et

iubet nomine fidei intelligere Christum, vbi dicimur iustificari per fidem, vel fidem imputari ad iustitiam.

Vorstius in respons. ad Hommium pag. 31. *Non dico, fidem ipsam propriè nos iustificare.* *Fides non propriè iustificat.*

Paræus lib. 1. de Iustificat. c. 14. pa. 228. *Dicimus fidem iustificare relatiuè.* Cap. 17. pag. 283. *Non potest sine manifesta absurditate & falsitate affirmari, nos per fidem, ex fide, vt per causam efficientem vel formalem iustificari.* Et 287. *Nullo pacto efficientia & vis illa iustificandi fidei sine absurditate & falsitate ascribi potest.* Et 291. *Fides imputatur ad iustitiam non absolutè, sed relatè, quia apprehendit iustitiam imputatam, phrasi metonimyca, quali etiam dicitur iustificare.* *Iustificat relatiuè. Non est efficiens aut formalis causa iustificationis. Non absolutè iustificat sed relatè.*

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 38. *Fides, spes, & charitas nos iustos aliquo modo faciunt, sed inchoatè non absolutè.* Et ad demonstrationem 10. Sanderi pag. 768. *Fides non est causa salutis nostræ.* *Non est causa salutis.*

Perkinsus in Galat. 3. to. 2. co. 139. *Fides non causat, efficit, procuratuè nostram salutem.* Et loco supra citato: *Salus non pendet ex fide nostra.* Itemque Sutliuius supra citatus: *Iustitia, qua iusti sumus coram Deo, non ex temporali hominis actu pendet.* *Non causat salutem. Salus non pendet ex fide. Nō ex actu nostro.*

Tilenus in Syntagmate c. 41. p. 447. *Est hæc enunciatio: Fides nos iustificat, figurata ac metonymica: & hunc sensum habet, Deus credentem iustificat propter Christi meritum, quod credens sola fide apprehendit.* Et c. 56. pag. 640. *Est baptismus antecedens salutis, non causa, quam ne fidei quidem tribuimus propriè, sed solùm metalepticè.* Sic etiam Danæus in cap. 31. Enchiridij Augustini. *Fides iustificat metonimicè. Solùm metalepticè.*

COLLATIO.

Iuxta Scripturam fides reuera causat iustificationem & salutem. Assentiuntur Catholici.

Iuxta Protestantes: non propriè iustificat, sed correlatiuè, relatiuè, relatè, figuratè, synedochicè, metonymicè, metalepticè, non est efficiens nec formalis causa iustificationis, nullo pacto habet vim iustificandi, non est causa salutis, non causat, efficit, aut procurat salutem, salus ex ea non pendet, nec iustitia ex vllo actu nostro.

ART. XVII. AN FIDES SINE OPERIBUS SEU SOLA EXISTENS IUSTIFICET?

Negat Scriptura.

Homo non iustificatur ex fide tantum.

Non ex fide sine operibus.

IAcobi 2. v. 24. *Ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantum* Et v. 14. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid potest fides saluare illum?* Idem probant supra citata Scripturæ loca quæ docent fidem sine operibus otiosam, mortuam & nihil esse, quia fides quæ otiosa, mortua & nihil est, non iustificat.

Negant Catholici.

Concilium Trident. sess. 6. c. 7. *Fides, nisi ad eam accedat spes & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.*

Affirmant Protestantes.

Fide iustificamur antequam operemur.

Iustificat sine & ante charitatem

Sola existens.

Nō ornata charitate.

Sine vllis minimis operibus.

Confessio Belgica art. 24. *Fide in Christo iustificamur, & quidem priusquam bona vlla opera ediderimus.*

Lutherus in Galat. 2. to. 5. fol. 310. *Hæc fides sine & ante charitatem iustificat*, seu vt Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 15. fol. 50. refert eius verba: *Fides ante spem & charitatem sola accipit remissionem peccatorum.* Et fol. 309. *Cùm homo audit quòd debeat quidem credere in Christum, fidem tamen non iustificare nisi accesserit illa forma, scilicet charitas, tum statim à fide deficit & cogitat; si fides sine charitate non iustificat, ergo fides est otiosa & inutilis & charitas sola iustificat.* Et 312. *Error & impietas est asserere fidem infusam non iustificare nisi ornata sit operibus charitatis.* Et tom. 1. in Disputat. habita anno 1520. fol. 371. *Fides nisi sit sine vllis etiam minimis operibus non iustificat, imò non est fides.* Idēque Lutherum publicè defendisse testatur Schusselburg. to. 7. Catal. Hæret. pag. 182. ibique Vvestphalus, item Morgenstern pag. 193. Similia etiam ex Luthero recitant ministri Saxonici in Colloquio Aldeburg. pag. 31. 166. 323.

Præsentia operum non necessaria.

Liber Concordiæ Lutheranorum cap. 3. pag. 587. *Repudiamus & damnamus: fidem non iustificare sine bonis operibus, itaque bona opera necessario ad iustitiam requiri & absque eorum præsentia hominem iustificari non posse.*

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 561. *Falso dicitur: quòd fides nunquam sit sine bonis operibus si de actu non de potentia sola præsentiæ eorum id dictum intelligas, præsertim in prima iustificatione.* Item: *Deus iustificat impium & non operantem Rom. 3. Ergo in iustificatione non tantùm nō cooperantur, sed ne adsunt bona opera.* *In iustificatione ne adsunt bona opera.*

Schusselburg. to. 7. cit. pag. 837. *Manet firma nostra propositio: — Quòd fides in prima iustificatione peccatoris impij sit sine omnibus bonis operibus actu præsentibus.* *Fides iustificat sine operibus actu præsentibus.*

Vvigandus apud eundem ibidem pag. 792. *Necesse est fidem prius existere ac deinde fructus consequi, licet tempus illud non valeamus discernere: Nam certa est sententia Lutheri: Fides iustificat antequam faciat bona opera.* Et 764. *Absentia nostrorum bonorum operum non impedit Deum, quò minus imputet iustitiam per Christum.* *Antequam faciat bona opera.* *Absentia operum non impedit iustificationē.*

Author de Iustificatione to. 5. Doctrinę Iesuiticæ impressæ Rupellæ 1586. pag. 241. *Sacra Scriptura plures depingit iustificatos in quibus nullum opus bonum, sed tantùm fides spectatur.* Item: *Hæc & similia exempla satis perspicuè demonstrant, fidem in initio sine bonis operibus reuera subsistere, atque eam sic operibus vacuam imputari ad iustitiam & remissionem accipere peccatorum.* Vide plura huiusmodi Protestantium dicta cap. 13. art. 11. Idē enim sentiunt tum Lutherani, qui docent præsentiam operum non esse necessariam ad iustificationem: tum Sacramentarij, qui dicunt iustificationem fidei manere in fidelibus inter grauissima peccata. Si enim fides existens cum pessimis operibus iustificat, multò magis iustificabit existens sine bonis operibus. *Plures iustificati in quibus nulla opera.* *Fides vacua operibus iustificat.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd homo non iustificatur ex fide tantùm, quòd fides sine operibus non prodest, non saluat, sed est otiosa, mortua, & nihil. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides iustificat priusquam vlla bona opera edit, sine & ante charitatem, sine vllis etiam minimis operibus, antequam faciat bona opera, sine bonis operibus actu præsentibus: quòd iustificat sine pręsentia bonorum operum; quòd in iustificatione ne adsunt bona ope-

ra, quòd plures iustificantur, in quibus nullum opus bonum spectatur: quòd fides vacua operibus imputatur ad iustitiam & accipit remissionem peccatorum.

ARTI. XVIII. AN FIDES IVSTIFICET quatenus est credulitas seu credit?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Fides iustificat quatenus credit.

ROM. 4. v. 3. *Credidit Abraham* Deo, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Idem Genes. 15. v. 6. & Iacobi 2. v. 23.

Rom. 10. v. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Quatenus cognoscit.

Ioannis 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non iustificat quatenus est credulitas.

Zuinglius lib. de vera & falsa religione cap. de Merito pag. 341. in 8. *Fides in Scripturis sacris variè accipitur: Primùm pro credulitate, deinde pro firmitudine, mox pro fiducia in Deum, & de ista sola debet intelligi quòd fides saluum faciat.* Et Respons. ad Lutheri Confess. to. 2. fol. 507. *Quòd huiusmodi fides & assensus animabus nostris aliquid solatij, securitatis, pacis, tranquillitatis vel salutis pariat, affirmare falsum foret ac longè ineptissimum.*

Assensus fidei nihil salutis parit.

Non saluat quatenus est notitia.

Hemingius in Enchiridio Theol. Classe 1. pag. 109. *Manifestum est, notitia sola neminem saluari. Vnde nemo non videt fidem iustificantem non tantùm esse historiæ cognitionem.*

Nec quatenus intelligit.

Gerlachius to. 2. disput. 17. pag. 713. *Licet fide intelligamus aptata esse sæcula verbo Dei, licet Sancti &c. Hæc omnia tamen non sunt iustificantis* (fidei) *quatenus talis est.*

Nec quatenus est assensus vel notitia.

Lobechius Disput. 22. pag. 528. *Dicitur fides saluifica iustificare, non quoad fundamentum, quatenus est notitia & assensus in mente*

mente & fiducia in voluntate, sed quoad terminum seu obiectum, quod est Christus.

Fieldus lib. 3. de Ecclesia c. 44. *Specialis fides habet duos præcipuos actus: vnus per modum petitionis humiliter obsecrat gratiam, alter consistit in persuasione quòd id concessum est quod petimus. Per primum actum fides obtinet & operatur nostram iustificationem: per secundum non iustificat, sed certos nos reddit de iustificatione.* *Non quatenus est persuasio, sed quatenus petitio.*

Idem sentiunt alij Protestantes, vti patet tum ex eorum dictis relatis supra artic. 2. & 3. tùm quia negant fidem iustificantem esse fidem Catholicam, qua creduntur ea quæ omnibus fidelibus credenda sunt; sed volunt eam esse fiduciam specialem, qua quisque fidelis confidat peccata sua esse remissa, aut saltem eam volunt includere hanc fiduciam. Vnde Lutherus præfat. in Epist ad Rom. to. 5. fol. 97. *Fides est fiducia constans misericordiæ Dei erga nos.* Et Postilla in Festo Sanctæ Catharinæ fol. 445. *Germana fides est solida fiducia in Christum.* Confessio Saxonica c. 4. *Fides significatur fiducia acquiescens in filio Dei.* Cap. 7. *Fides est fiducia misericordiæ acquiescens in filio Dei.* Et cap. 16. *Vera fides est fiducia misericordiæ propter Filium Dei promissæ & acquiescens in filio Dei.* Et ibidem negatur, quòd notitia doctrinæ sit vera fides. Ministri Saxonici in Colloq. Aldeburgico pag. 30. *Fidem in hoc negotio intelligimus esse fiduciam acquiescentem in Christo.* *Fides apud Protestãtes est fiducia.*

Zuinglius Respons. ad Confess. Lutheri tom. 2. fol. 506. *Fides non aliud quàm certa & solida est in solum Deum fiducia.*

Scharpius de Iustificat. Contr. 2. pag. 37. *Asserimus fidem iustificantem esse fiduciam specialis misericordiæ*: Et Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 4. *Verum: Fidem iustificantem nobis esse fiduciã.* Atqui (vt ait Petrus Martyr in 1. Corinth. 13.) *Neque spes à fiducia differt, quantum existimem ex sacris literis posse colligi.* Adeoque eorum fides iustificans, non est credulitas, sed spes. *Fiducia est spes.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides iustificat quatenus credit Deo, quatenus cognoscit Deum & Christũ, quatenus credit Christum suscitatum à mortuis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides non iustificat, quatenus est credulitas, vel assensus, vel intellectio, vel notitia, vel persuasio: sed solùm quatenus est fiducia aut petitio; quòd quatenus est assensus nihil salutis animabus nostris parit.

ART. XIX. AN FIDES IPSA IMPVtari possit ad iustitiam?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Credere imputatur ad iustitiam. Fides reputatur ad iustitiam.

ROm. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Ibidem. v. 5. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et v. 9. *Reputata est Abrahæ fides ad iustitiam.* Idem Galat. 3. vers. 6.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Rom. 4. v. 3. *Ille actus credendi* (Abrahæ) *fuit actus iustitiæ.*

Bellarminus lib. 1. de Iustificat.. cap. 17. *Ipsa fides censetur esse iustitia, ac per hoc non apprehendit fides iustitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est iustitia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Belgica artic. 22. *Propriè loquendo, nequaquam intelligimus ipsam fidem per sese seu ex se nos iustificare, vt quæ sic duntaxat veluti instrumentum quo Christum iustitiam nostram apprehendimus.*

Fides propriè non est iustitia.

Schusselburg. to. 7. Catalogi Hæret. pag. 259. *Propriè loquendo, fides non est ipsa iustitia, sed instrumentum seu medium quo gratia & misericordia Dei apprehenditur.* Petrus Martyr in Rom. 4. v. 3. citat: *Nec illi sunt audiendi, qui hanc sententiam ita interpretantur, vt fidem accipiant à Paulo dictam, quâ opus est, vt hic sit sensus: Deum imputasse ad iustitiam actionem illam Abrahami qua credidit, quasi eam habere voluerit pro iusta.*

Deus non imputat actum fidei ad iustitiã.

Beza in Breui Confessione vol. 1. Theol. pag. 82. *Dicebat Paulus nos sola fide iustificari, atque adeo ea sola nos viuere, id est, fælices esse, non quasi propriè fides sit nostra iustitia & vita: sed quoniam per solam fidem Christum amplectimur, & certò scimus illum nobis esse iustitiam atque vitam.*

Fides non est propriè iustitia.

Sadeel ad artic. 44. abiurat. pag. 480. *Non actio seu opus fidei nostræ, id est, nostrum credere nos iustificat.* Sic etiam Riuet. Controu. tract. 3. sect. 36. pag. 954. *Credere nō iustificat.*

Perkinsus in Galat. 3. to. 2. col. 126. *Actus credendi non est nostra iustitia.* *Actus credendi non est iustitia.*

Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 103. *Dicitur fides reputari ad iustitiam, hoc sensu, quia iustitia homini imputatur per fidem.* Et 119. *Impropriè dicitur: credenti imputari fidem ad iustitiam.* *Fides impropriè reputatur ad iustitiam.*

Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 17. pag. 290. *Fides dicitur censeri pro iustitia seu imputari ad iustitiam, non vtique absolutè sed relatè, ratione sui obiecti, quod respicit & apprehendit, hoc est, Christi cum sua iustitia.* Et pag. sequ. *Palam est, fidem imputari ad iustitiam, nihil aliud esse, quàm iustitiam seu iustificationem in morte & resurrectione Christi per fidem quærere & accipere.* *Fides imputatur relate, hoc est, obiectum fidei.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd ipsum credere Abrahæ, fides Abrahæ, fides credentis reputatur ad iustitiam. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nostrum credere nos non iustificat, quòd actio Abrahæ qua credidit non imputabatur illi ad iustitiam: quòd actus credendi non est nostra iustitia: quòd propriè fides non est nostra iustitia: quòd impropriè dicitur fidem imputari credenti ad iustitiam: quòd fidem imputari ad iustitiam nihil aliud sit, quàm accipere iustitiam per fidem. Quæ tam contraria sunt Scripturæ, vt ita scribat Lutherus ipse in Genes. 15. to. 6. fol. 177. *Spiritus Sanctus testis fide dignus affirmat, hoc ipsum credere, seu hanc ipsam fidem esse iustitiam, seu imputari ab ipso Deo pro iustitia, & haberi pro iustitia.* Idem agnoscunt alij lib. 2. c. vltimo.

ART. XX. AN FIDES SIT TANTVM Iustorum?

NEGAT SCRIPTVRA.

IOan. 2. v. 23. *Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die Festo multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Et cap. 12. v. 42. *Credunt, quibus Christus nō se credit.*

Creduͭt qui diligunt gloriam hominũ magis quam Dei. *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*

Malus bene credit. Iacobi 2. v. 19. dicitur ad malum fidelem: *Tu credis quoniam vnus est Deus? Benè facis.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 8. de Iustificat. c. 32. *Scriptura euidenter testatur in multis fuisse fidem sine charitate, pœnitentia, alijsque virtutibus.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Nulli participes veræ fidei nisi adoptati. Caluinus in Matth. 13. vers. 20. *Sciamus nullos esse veræ fidei participes, nisi qui adoptionis spiritu obsignati Deum ex animo Patrem inuocant.* Et 3. Institut. c. 2. §. 9. *Vnicam piorum fidem agnoscimus.*

Principes non credebant. Petrus Martyr in 1. Corinth. 13. *Non damus istos* Principes (Ioan. 12. citat.) *veram habuisse fidem.* Et in Rom. 11. *Nos negamus illos* (Principes) *verè credidisse.*

Non credebant quibus Christus se non credebat. Musculus in locis tit. de Necessitate fidei tom. 1. pag. 437. *Non loquimur de fide illa, quæ magis opinio est quàm vera fides, talis erat eorum fides de quibus Ioannis 2. citat. Non probabat horum fidem Dominus, quia non erat vera.*

Zanchius de Perseuerantia Sanctorum cap. 2. tom. 7. col. 141. *Spectato tum ipsorum, tum Ecclesiæ iudicio dicuntur ὄντως credere, sed coram Deo οὐκ ὄντως credunt—ijs similes fuerunt illi, de quibus Ioannis 2. Multi crediderunt in eum, Iesus autem &c. Quasi dicat, illi putabant se verè credere, sed Christus videbat eos non verè credere, ideo non se credebat eis.* Et col. 163. *Fides hæc coram Deo semper est hypocrisis, Talis erat illorum fides de quibus Ioannis 2. Multi crediderunt in eum.* Similiter exponit hunc locum Caluinus 3. Instit. cap. 2. citat. §. 12. Gualterus etiam in Ioan. 2. ait fidem illorum de quibus ibi loquitur Ioannes, non fuisse *sinceram*, & eorum de quibus loquitur cap. 12. citato, non fuisse *veram*.

Non vere credebant. Fides eorũ erat hypocrisis.

Fides impiorum, nõ vera fides. Vvitakerus Concione vltima pag. 693. *Quæ impiorum aut τῶν προσκαίρων fides appellatur, ea non aliud est, nisi aut nuda sciētia, aut coniectura, aut opinio, aut imaginatio, aut imago fidei, vera fides non est.*

Rainoldus Thesi 4. pagin. 122. *At mali, nec fideles sunt.* *Mali, non fideles.*

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 15. p. 107. *An tibi vere credentes & iustificati, qui gloriam hominum magis quàm gloriam Dei dilexerunt? Imò, si propriè loquamur, ne credentes quidem.* *Principes non credebant.*

Volanus lib. 3. contra Scargam pag. 1069. *Non habent* (Mali) *Fidem veram sed fictam & simulatam.* Et pa. 1071. *Hac fide* (vera) *destituti & illi fuerunt, qui credidisse ab Ioanne dicuntur, sed propter Pharisæos non confitebantur.* *Mali non habent veram fidem.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd multi Principes qui non confitebātur Christum, & qui diligebant gloriam hominum magis quàm Dei, credebant in Christum: quòd multi credebant in nomine Christi, quibus Christus semetipsum non credebat: quòd malus credendo bene facit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Principes illi non credebant, non habebant veram fidem, non erant credentes: quòd ij quibus Christus non se credebat, non credebāt coram Deo, eorum fides non erat vera, non sincera, sed hypocrisis: quòd tãtū pij & adoptati sunt participes veræ fidei: quòd impiorum & malorum fides sit ficta, simulata, imaginatio aut imago fidei, non vera fides: quòd mali non sunt fideles.

ART. XXI. AN FIDES SIT TANTVM Electorum?

NEGAT SCRIPTVRA.

ACtor. 8. v. 13. *Tunc Simon* (Magus) *& ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo.* *Simon Magus credebat.*

Hebr. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* *Semel illuminati etiã ij qui non pœnitent.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Actor. 8. v. 13. *Simon Magus veram fidem habuit.*

Bellarminus lib. de Iustificat. c. 14. *Fides non est propria electorum.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Simon magus vere nō habebat fidem.

Zuinglius in Matth. 19. to. 4. pag. 107. *Scriptura aliquando dicit quosdam credidisse, qui fidem sunt professi quam verè non habebant, vt de Simone Mago in* Actis. Et in expositione fidei to. 2. fol. 558. *Sunt quidam, qui prorsus non credunt, quales Iudas & Simon Magus fuerunt.* Idem docet lib. de Baptismo ibidem fol. 61. & in Respo. ad Hueberum fol. 110.

Prorsus nō credebat.

Caluinus in Actor. 8. v. 3. citat. *Animus* (Simonis) *simulatione* (fidei) *fuit inuolutus.*

Prorsus ἄπιστος. Reuera non credebat.

Beza contra Illyricum vol. 2. Theol. pag. 131. *Prorsus ἄπιστος Simon Magus.* Et in Colloq. Montisbel. pag. 379. *Simon Magus simulauit se credere, sed reuera caruit fide; simulauit se credere, sed reuera non credidit.*

Vera fides stolide illi tribuitur.

Volanus lib. 3. contra Scargam. pag. 1070. *Simoni Mago veram fidem Scarga stolidè tribuit.*

Danæus Controuer. de Baptismo c. 14. pag. 386. *Excipit Simonem Magum à fide excidisse & alios Apostatas idem facere, sed nego eos veram fidem vnquam habuisse aut habere.*

Credebat tantū ore.

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 14. pag. 876. *Fuit Simon Hypocrita, credens tantùm ore non corde:* *Nec refert,* (inquit) *quod Lucas absolutè dicit eum credidisse.* Idem de Simone Mago docet Vrsinus in Catechismo pag. 127. Piscator in thesibus lib. 2. pag. 380. Scharpius de Iustificat. controu. 6. pag. 94. Polanus in Sylloge thesium parte. 1. pag. 216. Et ex Lutheranis Herbrandus in Compendio theol. loco de baptismo pa. 408. *Simon Magus fide caruit.* Hæc illi de Simone Mago: De reprobis ita docent.

Soli prædestinati illuminātur in fidem.

Caluinus 3. Institut. cap. 2. §. 11. *In fidem non illuminantur, nisi qui præordinati sunt ad salutem.* Et in sua Confessione pag. 106. *Agnosco fidem donum esse peculiare, quod datur solis electis.*

Fides datur solis electis.

Beza in Confessione c. 4. sect. 20. *Addamus tertium axioma: Fidem esse Dei donum solis electis proprium ac peculiare.*

Donum propriū electis.

Bucerus in Matth. 16. pa. 353. *Aeternum salui erunt, quotquot semel veram fidem nacti fuerint.*

Musculus in locis titulo de fide tom. 1. pag. 443. *Fides in Christum est Electorum tantùm.* *Est electorũ tantùm.*

Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 48. *Vera fides electorum propria est.*

Zanchius de Prædestinat. cap. 4. to. 7. col. 203. *Reprobi intus nunquam verè credunt in Christum.* *Reprobi nunquam vere credunt.*

Paræus lib. 3. de Iustificat. c. 14. pag. 853. *Agnoscimus fidem & iustitiam fidei esse propriam electorum.* Idem docet Vrsinus in Miscellaneis Catechet. pag. 134. Polanus parte 2. Thesium pag. 651. Et ex Lutheranis Gerlachius to. 2. Disput. 17. pag. 713. *Iustificans fides in reprobos non cadit.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Simon Magus etsi reprobus credebat, baptizabatur, adhærebat Philippo; quod etiam illi quos impossibile est renouari ad pœnitentiam, semel erant illuminati. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Simon Magus prorsus non credebat, erat prorsus ἄπιστος, reuera carebat fide, reuera non credebat, non habebat veram fidem, credebat tantùm ore, quòd soli prædestinati illuminantur in fidem; quòd fides sit propriè electorum; quòd reprobi nunquam verè credunt: quòd non refert quòd Scriptura absolutè dicat contrarium.

ARTIC. XXII. AN FIDES SIT EX auditu?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ROm. 10. v. 17. *Ergo fides ex auditu.* *Fides ex auditu.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius in Exegesi to. 2. fol. 347. *Nos putamus ex verbis fidem hauriri non posse, sed fide magistra quæ proponuntur verba intelligi.* Et de Prouidentia cap. 6. to. 1. fol. 371. *Cùm Paulus fidē ex auditu esse Romanis scribit, eodem modo, viciniori & nobis no-* *Fides non hauritur ex verbis.*

Non est externæ prædicationis.

tiori causæ tribuit quod solius est Spiritus, non externæ prædicationis. Similia habet ipse & OEcolampadius apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 1. fol. 7.

Non aliunde quàm ex Scripturis.

Caluinus in Ioan. 5. v. 39. *Non aliunde quàm ex Scripturis Christus ritè cognoscitur.*

Non ex opera prædicatorum. Non ex Ecclesiæ auctoritate. Ex auditu .i. ex recto sensu.

Vvitakerus lib. 1. de Scriptura. cap. 11. sect. 4. pag. 130. *Omnis ex Scripturis vera fides prouenit, non ex ipsa prædicatorum opera.* Item. *Vna omnium Patrum vox est fidem ex solis Scripturis non ex Ecclesiæ auctoritate nasci.* Iterum. *Scripturis solis nostra fides innititur & ex Scripturis solis nascitur.* Et cap. 13. sect. 8. pag. 150. *Lectio facit vt Scripturas & doctrinam Scripturarum possimus cognoscere.* Et Controu. 1. qu. 5. cap. 8. pag. 356. Ita exponit citata verba Apostoli: *Ex auditu, id est, ex sensu Scripturæ ritè percepto*, & addit pag. 7. *Fides ex sola Scriptura nascitur.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet quòd fides est ex auditu, & ibidem addit quòd non sit sine prædicante. Idem Catholici.

Protestantes dicunt quòd fides non sit aliunde quam ex Scripturis, ex solis Scripturis, quòd sit ex lectione, non ex opera Prædicatorum, non ex auctoritate Ecclesiæ, quòd sit solius spiritus non externæ prædicationis, quòd non potest hauriri ex verbis.

ARTIC. XXIII. AN FIDES VNQVAM amittitur?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Quidem recedunt à fide.

LVcæ 8. v. 13. *Nam qui supra petram: Qui cum audierint cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt.*

Thomas incredulus, non fidelis.

Ioan. 20. v. 27. Christus ait Thomæ Apostolo: *Noli esse incredulus sed fidelis.* Et ipse Thomas v. 25. ait *Nisi videro &c. non credam.*

Naufragãt à fide, Discedunt à fide. Errant à fide.

1. Timoth. 1. v. 19. *Quidam circa fidem naufragauerunt.*

Cap. 4. v. 1. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* Et cap. 6. v. 10. *Quidam errauerunt à fide.*

AFFIR-

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Ioan. 20. v. 28. *Apertè docet Scriptura Euangelica, apertè Patres confirmant, Thomam incredulum fuisse & infidelem.*

Bellarminus de Iustificat. lib. 3. cap. 14. *Fides semel habita amitti potest.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Ioan. 20. v. 28. ait de Thoma Apostolo: *Fidem in eo non fuisse prorsus extinctam: Fides, quæ abolita videbatur, latuit velut obruta in eius corde.* In Matth. 13. v. 20. *Fidem, quam semel insculpsit piorum cordibus, euanescere & perire impossibile est.* In Lucæ 17. v. 13. *Viua fides nunquam emoritur.* Et 3. Institut. cap. 2. §. 21: *Asserimus fidei radicem nunquam è pio pectore auelli, eius lumen nunquam ita extingui aut præfocari, quin saltem velut sub fauilla delitescat.*

Fides non extincta in Thoma. Latuit in eius corde. Impoßibile, fidem perire. Nunquam emoritur.

Beza in Ioan 6. v. 37. *Fides vera & electorum propria nequaquam reipsa penitus excidit.* In Colloq. Montisbel. pag. 380. *Qui semel vera fide à Deo donantur, eam nunquam amplius amittere possunt.* In 2. parte Respons. ad Acta huius Colloquij, pag. 68. *Fidem ipsam veram amitti nego.* Et in Confessione cap. 4. sect. 20. *Affirmo, eum qui vel semel tota vita sua senserit certum veræ fidei testimonium, securum esse debere de ea non modo permanente sed etiam permansura ad finem vsque, tum quoque, cum ea tempora inciderint quibus abesse penitus videatur.*

Non penitus excidit. Non potest amitti. Fides manet quando penitus videtur abesse.

Zuinglius in Lucæ 9. to. 4. pag. 261. *A vera fide nemo excidere potest.*

Bullingerus sermone 5. de virtute fidei fol. 15: *Vera fides neque deficere potest, neque extingui.*

Nunquam potest deficere.

VVitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 48. *Vera fides quæ electorum propria est, nunquam amitti potest.* Et Contr. 2. q. 5. cap. 7. pag. 515. *Nos semel fidem acquisitam amitti non posse dicimus.*

Perkinsus in Galat. 1. tom. 2. col. 51. *Vbi hæc fides verè est, nunquam extinguitur aut prorsus abolctur.*

Non potest amitti.

Zanchius de Perseuerantia tom. 7. col. 128. *Consequitur nullum verè Christianum à fide vnquam defecisse aut deficere posse.* Et in sua Confessione cap. 17. sect. 4. tom. 8. col. 522. *Fides electorum nunquam penitus excidit, sed semper viuit.*

Semper viuit.

ra, quòd plures iustificantur, in quibus nullum opus bonum spectatur: quòd fides vacua operibus imputatur ad iustitiam & accipit remissionem peccatorum.

ARTI. XVIII. AN FIDES IUSTIFICET quatenus est credulitas seu credit?

AFFIRMAT SCRIPTURA.

Fides iustificat quatenus credit.

ROm. 4. v. 3. *Credidit Abraham* Deo, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Idem Genes. 15. v. 6. & Iacobi 2. v. 23.

Rom. 10. v. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Quatenus cognoscit.

Ioannis 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non iustificat quatenus est credulitas.

Aßensus fidei nihil salutis parit.

Zuinglius lib. de vera & falsa religione cap. de Merito pag. 341. in 8. *Fides in Scripturis sacris variè accipitur: Primùm pro credulitate, deinde pro firmitudine, mox pro fiducia in Deum, & de ista sola debet intelligi quòd fides saluum faciat.* Et Respons. ad Lutheri Confess. to. 2. fol. 507. *Quòd huiusmodi fides & assensus animabus nostris aliquid solatij, securitatis, pacis, tranquillitatis vel salutis pariat, affirmare falsum foret ac longè ineptißimum.*

Non saluat quatenus est notitia.

Hemingius in Enchiridio Theol. Classe 1. pag. 109. *Manifestum est, notitia sola neminem saluari. Vnde nemo non videt fidem iustificantem non tantùm esse historiæ cognitionem.*

Nec quatenus intelligit.

Gerlachius to. 2. disput. 17. pag, 713. *Licet fide intelligamus aptata esse sæcula verbo Dei, licet Sancti &c. Hæc omnia tamen non sunt iustificantis* (fidei) *quatenus talis est.*

Nec quatenus est assensus vel notitia.

Lobechius Disput. 22. pag. 528. *Dicitur fides saluifica iustificare, non quoad fundamentum, quatenus est notitia & assensus in*

mente & fiducia in voluntate, sed quoad terminum seu obiectum, quod est Christus.

Fieldus lib. 3. de Ecclesia c. 44. *Specialis fides habet duos præcipuos actus: vnus per modum petitionis humiliter obsecrat gratiam, alter consistit in persuasione quòd id concessum est quod petimus. Per primum actum fides obtinet & operatur nostram iustificationem: per secundum non iustificat, sed certos nos reddit de iustificatione.*

Non quatenus est persuasio, sed quatenus petitio.

Idem sentiunt alij Protestantes, vti patet tum ex eorum dictis relatis supra artic. 2. & 3. tùm quia negant fidem iustificantem esse fidem Catholicam, qua creduntur ea quæ omnibus fidelibus credenda sunt; sed volunt eam esse fiduciam specialem, qua quisque fidelis confidat peccata sua esse remissa, aut saltem eam volunt includere hanc fiduciam. Vnde Lutherus præfat. in Epist ad Rom. to. 5. fol. 97. *Fides est fiducia constans misericordiæ Dei erga nos.* Et Postilla in Festo Sanctæ Catharinæ fol. 445. *Germana fides est solida fiducia in Christum.* Confessio Saxonica c. 4. *Fides significatur fiducia acquiescens in filio Dei.* Cap. 7. *Fides est fiducia misericordiæ acquiescens in filio Dei.* Et cap. 16. *Vera fides est fiducia misericordiæ propter Filium Dei promissæ & acquiescens in filio Dei.* Et ibidem negatur, quòd notitia doctrinæ sit vera fides. Ministri Saxonici in Colloq. Aldeburgico pag. 30. *Fidem in hoc negotio intelligimus esse fiduciam acquiescentem in Christo.*

Fides apud Protestãtes est fiducia.

Zuinglius Respons. ad Confess. Lutheri tom. 2. fol. 506. *Fides non aliud quàm certa & solida est in solum Deum fiducia.*

Scharpius de Iustificat. Contr. 2. pag. 37. *Asserimus fidem iustificantem esse fiduciam specialis misericordiæ*: Et Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 4. *Verum: Fidem iustificantem nobis esse fiduciã.* Atqui (vt ait Petrus Martyr in 1. Corinth. 13.) *Neque spes à fiducia differt, quantum existimem ex sacris literis posse colligi.* Adeoque eorum fides iustificans, non est credulitas, sed spes.

Fiducia est spes.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides iustificat quatenus credit Deo, quatenus cognoscit Deum & Christũ, quatenus credit Christum suscitatum à mortuis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides non iustificat, quatenus est credulitas, vel assensus, vel intellectio, vel notitia, vel persuasio: sed solùm quatenus est fiducia aut petitio; quòd quatenus est assensus nihil salutis animabus nostris parit.

ART. XIX. AN FIDES IPSA IMPUTARI possit ad iustitiam?

AFFIRMAT SCRIPTURA.

Credere imputatur ad iustitiam.
Fides reputatur ad iustitiam.

ROm. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Ibidem. v. 5. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et v. 9. *Reputata est Abrahæ fides ad iustitiam.* Idem Galat. 3. vers. 6.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Rom. 4. v. 3. *Ille actus credendi* (Abrahæ) *fuit actus iustitiæ.*

Bellarminus lib. 1. de Iustificat.. cap. 17. *Ipsa fides censetur esse iustitia, ac per hoc non apprehendit fides iustitiam Christi, sed ipsa fides in Christum est iustitia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Belgica artic. 22. *Propriè loquendo, nequaquam intelligimus ipsam fidem per se seu ex se nos iustificare, vt quæ sic duntaxat veluti instrumentum quo Christum iustitiam nostram apprehendimus.*

Fides propriè non est iustitia.

Schusselburg. to. 7. Catalogi Hæret. pag. 259. *Propriè loquendo, fides non est ipsa iustitia, sed instrumentum seu medium quo gratia & misericordia Dei apprehenditur.* Petrus Martyr in Rom. 4. v. 3. citat: *Nec illi sunt audiendi, qui hanc sententiam ita interpretantur, vt fidem accipiant à Paulo dictam, quâ opus est, vt hic sit sensus: Deum imputasse ad iustitiam actionem illam Abrahami qua credidit, quasi eam habere voluerit pro iusta.*

Deus non imputat actum fidei ad iustitiã.

Beza in Breui Confessione vol. 1. Theol. pag. 82. *Dicebat Paulus nos sola fide iustificari, atque adeo ea sola nos viuere, id est, fœlices esse, non quasi propriè fides sit nostra iustitia & vita: sed quoniam per solam fidem Christum amplectimur, & certò scimus illum nobis esse iustitiam atque vitam.*

Fides non est propriè iustitia.

Sadeel ad artic. 44. abiurat. pag. 480. *Non actio seu opus fidei nostræ, id est, nostrum credere nos iustificat.* Sic etiam Riuet. Controu. tract. 3. sect. 36. pag. 954. *Credere nō iustificat.*

Perkinsus in Galat. 3. to. 2. col. 126. *Actus credendi non est nostra iustitia.* *Actus credendi non est iustitia.*

Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 103. *Dicitur fides reputari ad iustitiam, hoc sensu, quia iustitia homini imputatur per fidem.* Et 119. *Impropriè dicitur: credenti imputari fidem ad iustitiam.* *Fides impropriè reputatur ad iustitiam.*

Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 17. pag. 290. *Fides dicitur censeri pro iustitia seu imputari ad iustitiam, non vtique absolutè sed relatè, ratione sui obiecti, quod respicit & apprehendit, hoc est, Christi cum sua iustitia.* Et pag. sequ. *Palam est, fidem imputari ad iustitiam, nihil aliud esse, quàm iustitiam seu iustificationem in morte & resurrectione Christi per fidem quærere & accipere.* *Fides imputatur relate, hoc est, obiectum fidei.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd ipsum credere Abrahæ, fides Abrahæ, fides credentis reputatur ad iustitiam. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nostrum credere nos non iustificat, quòd actio Abrahæ qua credidit non imputabatur illi ad iustitiam: quòd actus credendi non est nostra iustitia: quòd propriè fides non est nostra iustitia: quòd impropriè dicitur fidem imputari credenti ad iustitiam: quòd fidem imputari ad iustitiam nihil aliud sit, quàm accipere iustitiam per fidem. Quæ tam contraria sunt Scripturæ, vt ita scribat Lutherus ipse in Genes. 15. to. 6. fol. 177. *Spiritus Sanctus testis fide dignus affirmat, hoc ipsum credere, seu hanc ipsam fidem esse iustitiam, seu imputari ab ipso Deo pro iustitia, & haberi pro iustitia.* Idem agnoscunt alij lib. 2. c. vltimo.

ART. XX. AN FIDES SIT TANTVM Iustorum?

NEGAT SCRIPTVRA.

IOan. 2. v. 23. *Cùm autem esset Hierosolymis in Pascha in die Festo multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Et cap. 12. v. 42. *Credunt, quibus Christus nō se credit.*

Credût qui diligunt gloriam hominũ magis quam Dei.

Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur vt è Synagoga non eÿcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.

Malus bene credit.

Iacobi 2.v.19.dicitur ad malum fidelem: *Tu credis quoniam vnus est Deus? Benè facis.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus lib.8.de Iustificat.c.32. *Scriptura euidenter testatur in multis fuisse fidem sine charitate, pœnitentia, aliÿsque virtutibus.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Nulli participes veræ fidei nisi adoptati.

Caluinus in Matth.13.vers. 20. *Sciamus nullos esse veræ fidei participes, nisi qui adoptionis spiritu obsignati Deum ex animo Patrem inuocant.* Et 3.Institut.c. 2. §. 9. *Vnicam piorum fidem agnoscimus.*

Principes non credebant.

Petrus Martyr in 1. Corinth. 13. *Non damus istos Principes* (Ioan.12.citat.) *veram habuisse fidem.* Et in Rom.11. *Nos negamus illos* (Principes) *verè credidisse.*

Non credebant quibus Christus se non credebat.

Musculus in locis tit.de Necessitate fidei tom.1. pag. 437. *Non loquimur de fide illa, quæ magis opinio est quàm vera fides, talis erat eorum fides de quibus Ioannis 2. citat. Non probabat horum fidem Dominus, quia non erat vera.*

Zanchius de Perseuerantia Sanctorum cap.2.tom.7.col. 141. *Spectato tum ipsorum, tum Ecclesiæ iudicio dicuntur ὄντως credere, sed coram Deo οὐκ ὄντως credunt — ÿs similes fuerunt illi, de quibus Ioannis 2. Multi crediderunt in eum, Iesus autem &c. Quasi dicat, illi putabant se verè credere, sed Christus videbat eos non verè credere, ideo non se credebat eis.* Et col.163. *Fides hæc coram Deo semper est hypocrisis, Talis erat illorum fides de quibus Ioannis 2. Multi crediderunt in eum.* Similiter exponit hunc locum Caluinus 3. Instit. cap. 2. citat. §. 12. Gualterus etiam in Ioan. 2. ait fidem illorum de quibus ibi loquitur Ioannes, non fuisse *sinceram*, & eorum de quibus loquitur cap.12.citato, non fuisse *veram*.

Non vere credebant. Fides eorũ erat hypocrisis.

Fides impiorum, nõ vera fides.

Vvitakerus Concione vltima pag. 695. *Quæ impiorum aut τῶν προσκαίρων fides appellatur, ea non aliud est, nisi aut nuda sciẽtia, aut coniectura, aut opinio, aut imaginatio, aut imago fidei, vera fides non est.*

Rainoldus Thesi 4. pagin. 122. *At mali, nec fideles sunt.* *Mali, non fideles.*

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 15. p. 107. *An tibi vere credentes & iustificati, qui gloriam hominum magis quàm gloriam* Dei *dilexerunt? Imò, si propriè loquamur, ne credentes quidem.* *Principes non credebant.*

Volanus lib. 3. contra Scargam pag. 1069. *Non habent* (Mali) *Fidem veram sed fictam & simulatam.* Et pa. 1071. *Hac fide* (vera) *destituti & illi fuerunt, qui credidisse ab Ioanne dicuntur, sed propter Pharisæos non confitebantur.* *Mali non habent veram fidem.*

Collatio.

Scriptura disertè docet, quòd multi Principes qui non confitebātur Christum, & qui diligebant gloriam hominum magis quàm Dei, credebant in Christum: quòd multi credebant in nomine Christi, quibus Christus semetipsum non credebat: quòd malus credendo bene facit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Principes illi non credebant, non habebant veram fidem, non erant credentes: quòd ij quibus Christus non se credebat, non credebāt coram Deo, eorum fides non erat vera, non sincera, sed hypocrisis: quòd tātū pij & adoptati sunt participes veræ fidei: quòd impiorum & malorum fides sit ficta, simulata, imaginatio aut imago fidei, non vera fides: quòd mali non sunt fideles.

Art. XXI. An fides sit tantum Electorum?

Negat Scriptura.

Actor. 8. v. 13. *Tunc Simon* (Magus) *& ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo.* *Simon Magus credebat.*

Hebr. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt* Spiritus *Sancti &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* *Semel illuminati etiā ij qui non pœnitent.*

Negant Catholici.

Stapletonus Antidoto in Actor. 8. v. 13. *Simon Magus veram fidem habuit.*

Bellarminus lib. de Iustificat. c. 14. *Fides non est propria electorum.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Simon magus verè nō habebat fidem.

Zuinglius in Matth. 19. to. 4. pag. 107. *Scriptura aliquando dicit quosdam credidisse, qui fidem sunt professi quam verè non habebant, vt de Simone Mago in Actis.* Et in expositione fidei to. 2. fol. 558. *Sunt quidam, qui prorsus non credunt, quales Iudas & Simon Magus fuerunt.* Idem docet lib. de Baptismo ibidem fol. 61. & in Respo. ad Hueberum fol. 110.

Prorsus nō credebat.

Caluinus in Actor. 8. v. 3. citat. *Animus* (Simonis) *simulatione* (fidei) *fuit inuolutus.*

Prorsus ἄπιστος. Reuera non credebat.

Beza contra Illyricum vol. 2. Theol. pag. 131. *Prorsus ἄπιστος Simon Magus.* Et in Colloq. Montisbel. pag. 379. *Simon Magus simulauit se credere, sed reuera caruit fide; simulauit se credere, sed reuera non credidit.*

Vera fides stolidè illi tribuitur.

Volanus lib. 3. contra Scargam. pag. 1070. *Simoni Mago veram fidem Scarga stolidè tribuit.*

Danæus Controuer. de Baptismo c. 14. pag. 386. *Excipit Simonem Magum à fide excidisse & alios Apostatas idem facere, sed nego eos veram fidem vnquam habuisse aut habere.*

Credebat tantū ore.

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 14. pag. 876. *Fuit Simon Hypocrita, credens tantùm ore non corde:* Nec refert, (inquit) *quod Lucas absolutè dicit eum credidisse.* Idem de Simone Mago docet Vrsinus in Catechismo pag. 127. Piscator in thesibus lib. 2. pag. 380. Scharpius de Iustificat. controu. 6. pag. 94. Polanus in Sylloge thesium parte. 1. pag. 216. Et ex Lutheranis Herbrandus in Compendio theol. loco de baptismo pa. 408. *Simon Magus fide caruit.* Hæc illi de Simone Mago: De reprobis ita docent.

Soli prædestinati illuminātur in fidem.

Caluinus 3. Institut. cap. 2. §. 11. *In fidem non illuminantur, nisi qui præordinati sunt ad salutem.* Et in sua Confessione pag. 106. *Agnosco fidem donum esse peculiare, quod datur solis electis.*

Fides datur solis electis.

Beza in Confessione c. 4. sect. 20. *Addamus tertium axioma: Fidem esse Dei donum solis electis proprium ac peculiare.*

Donum propriū electis.

Bucerus in Matth. 16. pa. 353. *Aeternum salui erunt, quotquot semel veram fidem nacti fuerint.*

Musculus in locis titulo de fide tom. 1. pag. 443. *Fides in Christum est Electorum tantùm.* *Est electorũ tantùm.*

Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 48. *Vera fides electorum propria est.*

Zanchius de Prædestinat. cap. 4. to. 7. col. 203. *Reprobi intus nunquam verè credunt in Christum.* *Reprobi nunquam vere credunt.*

Paræus lib. 3. de Iustificat. c. 14. pag. 853. *Agnoscimus fidem & iustitiam fidei esse propriam electorum.* Idem docet Vrsinus in Miscellaneis Catechet. pag. 134. Polanus parte 2. Thesium pag. 651. Et ex Lutheranis Gerlachius to. 2. Disput. 17. pag. 713. *Iustificans fides in reprobos non cadit.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Simon Magus etsi reprobus credebat, baptizabatur, adhærebat Philippo; quod etiam illi quos impossibile est renouari ad pœnitentiam, semel erant illuminati. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Simon Magus prorsus non credebat, erat prorsus ἄπιστος, reuera carebat fide, reuera non credebat, non habebat veram fidem, credebat tantùm ore, quòd soli prædestinati illuminantur in fidem; quòd fides sit propriè electorum; quòd reprobi nunquam verè credunt: quòd non refert quòd Scriptura absolutè dicat contrarium.

ARTIC. XXII. AN FIDES SIT EX auditu?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ROm. 10. v. 17. *Ergo fides ex auditu.* *Fides ex auditu.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius in Exegesi to. 2. fol. 347. *Nos putamus ex verbis fidem hauriri non posse, sed fide magistra quæ proponuntur verba intelligi.* Et de Prouidentia cap. 6. to. 1. fol. 371. *Cùm Paulus fidẽ ex auditu esse Romanis scribit, eodem modo, viciniori & nobis no-* *Fides non hauritur ex verbis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Ioan. 20. v. 28. *Apertè docet Scriptura Euangelica, apertè Patres confirmant, Thomam incredulum fuisse & infidelem.*

Bellarminus de Iustificat. lib. 3. cap. 14. *Fides semel habita amitti potest.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Ioan. 20. v. 28. ait. de Thoma Apostolo: *Fidem in eo non fuisse prorsus extinctam: Fides, quæ abolita videbatur, latuit velut obruta in eius corde.* In Matth. 13. v. 20. *Fidem, quam semel insculpsit piorum cordibus, euanescere & perire impossibile est.* In Lucæ 17. v. 13. *Viua fides nunquam emoritur.* Et 3. Institut. cap. 2. §. 21: *Asserimus fidei radicem nunquam è pio pectore auelli, eius lumen nunquam ita extingui aut præfocari, quin saltem velut sub fauilla delitescat.*

Fides non extincta in Thoma. Latuit in eius corde. Impossibile, fidem perire. Nunquam emoritur.

Beza in Ioan 6. v. 37. *Fides vera & electorum propria nequaquam reipsa penitus excidit.* In Colloq. Montisbel. pag. 380. *Qui semel vera fide à Deo donantur, eam nunquam amplius amittere possunt.* In 2. parte Respons. ad Acta huius Colloquij, pag. 68. *Fidem ipsam veram amitti nego.* Et in Confessione cap. 4. sect. 20. *Affirmo, eum qui vel semel tota vita sua senserit certum veræ fidei testimonium, securum esse debere de ea non modo permanente sed etiam permansura ad finem vsque, tum quoque, cum ea tempora inciderint quibus abesse penitus videatur.*

Non penitus excidit. Non potest amitti. Fides manet quando penitus videtur abesse.

Zuinglius in Lucæ 9. to. 4. pag. 261. *A vera fide nemo excidere potest.*

Bullingerus sermone 5. de virtute fidei fol. 15. *Vera fides neque deficere potest, neque extingui.*

Nunquam potest deficere.

Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 48. *Vera fides quæ electorum propria est, nunquam amitti potest.* Et Contr, 2. q. 5. cap. 7. pag. 515. *Nos semel fidem acquisitam amitti non posse dicimus.*

Non potest amitti.

Perkinsus in Galat. 1. tom. 2. col. 51. *Vbi hæc fides verè est, nunquam extinguitur aut prorsus aboletur.*

Zanchius de Perseuerantia tom. 7. col. 128. *Consequitur nullum verè Christianum à fide vnquam defecisse aut deficere posse.* Et in sua Confessione cap. 17. sect. 4. tom. 8. col. 522. *Fides electorum nunquam penitus excidit, sed semper viuit.*

Semper viuit.

Paræus de Iustificat .lib. 3. cap. 15. pag. 909. *Deficiens fides non est vera fides, sed apparens & hypocritica.*

Piscator apud Vorstium in Parasceue cap. 9. *Fieri non potest (puta vllo modo) vt credentes fidem amittant.* Idem docent Volanus lib. 3. contra Scargam pag. 1074. Author Responsf. ad Theses Vademontanas pag. 509. Polanus in disput. priuatis Disput. 37. Vrsinus in Miscellaneis Catechet. p. 134. Scharpius de Iustificat. controu. 1. p. 25.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Thomas Apostolus erat ad tempus incredulus non fidelis, non credebat: quòd quidam discedunt à fide, recedunt à fide, naufragant à fide, errant à fide. Eadem Catholici.

Protestantes dicũt, quòd in Thoma fides non erat prorsus extincta, quòd latebat in eius corde: quòd radix fidei nũquam auellitur, vera fides non penitus excidit, non amittitur, nunquam extinguitur; quòd permanet etiam quando penitus abesse videtur, quòd semper viuit, quòd non potest amitti, nunquam potest amitti, nunquam potest deficere, nullo modo potest amitti: quòd impossibile est eam perire.

ARTIC. XXIV. AN FIDEI REPENDAtur merces?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Credens habet vitã. Amamur quia credimus.

IOan. 3. v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* c. 16. v. 27. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis quia ego à Deo exiui.* Et ca. 20. v. 29. *Beati qui non viderunt & crediderunt.*

Matth. 15. v. 28. Christus ait Chananææ: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis; & sanata est filia eius ex illa hora:* Vel vt habet Marcus cap. 7. v. 29. *Ait illi: Propter hunc sermonem vade, exijt Dæmonium à filia tua.*

Per fidem adipiscimur promissiones.

Hebr. 11. v. 33. dicitur de Sanctis: *Per fidem adepti sunt repromissiones.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Ioan. 6. v. 30. *Opus fidei, quia*

opus hominis est quo homo credit & dat gloriam Deo, opus actiuum ac liberum est, ideoque ei potest rependi merces, sicuti Abrahæ fides remunerata fuit.

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius in 2. Corinth. 5. to. 4. pag. 496. *Non quòd operũ sit merces aut fidei, sed &c.* *Nõ est merces fidei.*

Caluinus in Ioan. 6. v. 29. *Fides passiuum est opus vt ita loquar, cui nulla potest rependi merces.* *Nulla merces potest ei rependi.*

Piscator in Thesibus loco 16. pag. 280. *Fidei naturæ prorsus meriti ratio repugnat.* Idem sentiunt alij, qui (vt supra retulimus) dicunt fidem in nobis esse fœdam, pollutam, instar scabiosæ manus, ac peccatum.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd qui credunt sunt beati; habent vitam æternam, amantur à Deo quia credunt, & quòd propter fidem Chananaæ filia eius sanata est. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non sit merces fidei, quòd ei nulla potest rependi merces, quòd eius naturæ prorsus repugnat ratio meriti.

ARTIC. XXV. AN FIDES HÆMORrhoissæ tangentis fimbriam Christi & aliorum tangentium vmbram Petri & sudaria Pauli fuerit sana?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 9. v. 21. Hęmorrhoïssa *dicebat intra se: si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & videns eam dixit: Confide filia, Fides tua te saluam fecit.* Et cap. 14. v. 36. *Rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quicunque tetigerunt salui facti sunt.* *Fides Hæmorrhoissæ eam saluam faciebat.* *Tangentes fimbriam Christi sanabantur.*

Actor. 5. v. 15. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* *Omnes obumbrati vmbra Petri sanabãtur.*

Tacti à sudarijs Pauli curabantur.

Actor 19. v. 11. *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria vel semicinctia, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Matth. 9. v. 21. cit. *Christus ipse hoc eius* (Hæmorrhoïssæ) *factum ex fide profectum fuisse affirmat, dicens: Fides tua te saluam fecit, & sanitas confestim ex hoc facto consequuta ex optima & firma fide eam hoc cogitasse Christique vestimentum tetigisse manifeste demonstrat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Aliquid vitij aut erroris in fide Hæmorrhoissæ.

Deflexit à via.

Tangentes fimbriam Christi, superstitiosi.

Errarunt.

Caluinus in Matth. 9. v. 21. cit. *Fieri potest, vt mulieris fidei aliquid erroris & vitij fuerit admixtum.* Item: *Quod in veste hæsit potius, quàm vt se illi sanandam precibus offerret, forte Zelo inconsiderato paululum à via deflexit.* Et in Matth. 14. vers. 36. cit. *Credibile est, superstitione aliqua fuisse implicitos, cum ad tactum vestis restringerent Christi gratiam.*

Danæus Contr. 4. pag. 1348. *Præsupponit eos qui hæc fecerũt* (Matth. 9. Actor. 5. & 19. citatis) *non errasse, id quod falsum est; etsi sunt à Deo exauditi & à suis morbis sanati illi ægroti.* Item: *Modum quem illi delegerunt Deus non probauit.* Idem sentiunt alij Protestantes, qui improbant tactum reliquiarum Sanctorum cum veneratione.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Christus approbauit fidem mulieris venerabundè tangentis fimbriam suam, & credẽtis per tactum illius sanari: quòd per miraculosas curationes approbauit etiam fidem illorum qui vel fimbriam vestimenti eius, vel vmbram Petri, aut sudaria Pauli tangebant. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fortè aliquid erroris & vitij fuit in fide hæmorrhoïssæ, & quòd paululum à via deflexit; quòd fuerint superstitiosi qui tangebant fimbriam Christi; quòd errabant qui tangebant fimbriam eius & vmbram Petri & sudaria Pauli. De hac contradictione Scripturæ vide confessionem Protest. l. 2. c. vlt.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE FIDE.

EX dictis in hoc capite liquet, quòd Protestãtes planè alio modo depingãt nobis fidem quàm Scriptura ac Catholici. Scriptura enim cũ Catholicis docet quòd fides sit opus seu actio, quòd sit assensus omnibus articulis fidei seu verbis Dei, quòd nequeat haberi sine Spiritu S. quòd sit vna, quòd distincta à spe & charitate, quòd inferior charitate, quòd possit esse sine confessione oris, sine charitate seu bonis operibus, quòd sine operibus sit otiosa & mortua, & sine ijs non iustificet, quòd iustificet quatenus est credulitas, quòd reuera iustificet & non per eam solùm cognoscamus nos iustificari, quòd imputetur ad iustitiam, quod sit pretiosa & magni valoris apud Deum, quòd necessaria ad iustificationem & salutem, quòd non sit tantùm iustorum & electorum, quòd sit ex auditu, quòd possit amitti, quòd ei rependatur merces. Quæ omnia negant Protestantes.

Liquet etiam quòd Protestantes erga ipsam fidem, quam videri volunt plusquam alij omnes magni facere, fures agant & furẽtur: Furantur enim à fide quòd sit opus seu actio, quòd sit assensus omnibus à Deo reuelatis, quòd distinguatur à spe & charitate, quòd sit vna, quòd iustificet quatenus est credulitas, quòd reuera iustificet, quòd sit necessaria ad iustificationem & salutem, quòd sit alicuius dignitatis, quòd imputetur ad iustitiam, quòd ei rependatur merces, quòd sit virtus vel etiam nomine virtutis digna. Ablatis autem à fide ratione operis, assensu erga omnia à Deo reuelata, vnitate, & distinctione à spe & charitate, omni valore, vi iustificandi, necessitate ad iustificationem & salutem, dignitate mercedis, ratione iustitiæ ac virtutis, ac demum ipso nomine virtutis, ne nomen quidem ipsum fidei reliquum faciunt, ne dum rem ipsã. Neque solũ tot ac tanta bona Fide à furantur, verũ etiã eorum loco multa mala illi ascribunt, quæ sunt prorsus contraria naturæ fidei, vt Quòd sit infidelitate conspurcata, instar fœdissimæ, vlceratæ, scabiosæ & leprosæ manus, opus habeat venia, sit peccatum. Huiusmodi scilicet est noua fi-

Quot & quanta Protestantes furantur à fide.
Naturam.
Vnitatem.
Distinctionem.
Vim iustificandi.
Necessitatẽ
Dignitatẽ.
Virtutem.
Nomen ipsum virtutis.

des, quam pro veteri Catholica ac vera fide à Scriptura tradita Protestantes substituerunt: quæ vera est infidelitas, & quales fuerint ipsius authores facilè ostendit. Hactenus de Fide. Sequitur de Bonis Operibus.



CAPVT XIII.

DE BONIS OPERIRVS IN GENERE.

ARTICVLVS PRIMVS.

ART. I. AN ALIQVA OPERA PECCAtoris antequam iustificetur sint bona?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Meretrix iustificata ex operibus. *Malus bene facit.* *Peccatrici dimissa peccata ob dilectionem.*

IACOBI 2. v. 25. *Rahab meretrix, nonne ex operibus iustificata est?* Et v. 19. dicitur ad peccatorem: *Tu credis quoniam vnus est Deus? Benè facis.*

Lucæ 7. vers. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Idem patet ex Publicano ibidem cap. 18. vers. 13. qui ascendebat ad templum, se humiliabat, orabat, dolebat de peccatis, antequam descenderet iustificatus: Et ex alijs Scripturæ locis quę docent pœnitentiam & similia bona opera præcedere iustificationem.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit.*

Peccator faciens præceptum, peccat.

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ cap. de Traditionibus:

Falsum est, non peccare hominem qui facit opera præceptorum extra gratiam.

Confessio Heluetica cap. 15. *Oportet nos prius iustos esse, quàm diligamus aut faciamus bona opera.* *Prius iustus quàm faciat bona opera.*

Lutherus de libertate Christiana to. 2. fol. 8. *Hominem oportet esse iustum antequam operetur bonum.* Et Postilla in Dominicam post Natiuitatem fol. 94. *Dominus suis literis definit: Quæcunque opera iustificationem præcedunt, mala esse, nulliusque momenti.* *Omnia opera ante iustificationẽ mala.*

Lobechius Disput. 22. pag. 533. *Etsi non renatorum opera per se bona sunt, quatenus cum lege Dei ex parte quoad externam obedientiam congruunt, tamen Deo placere non possunt sed in iudicio Dei pro peccatis habentur.* *Opera non renatorum habentur pro peccatis*

Bucerus in disput. Cantabrigiensi pag 714. *Ante iustificationem reuera peccatum est iramque Dei in nos prouocat, quicquid boni operis facere videamur.* *Ante iustificationem omne bonũ opus est peccatum.*

Petrus Martyr in Rom. 11. pag. 525. *Omnia opera quæ ante iustificationem fiunt, peccata sunt.*

Caluinus in Antidoto Concilij sess. 6. cap. 9. pag. 282. *Quæ nobis hic opera comminiscuntur iustificatione priora? Posteris vix persuadebitur tantum fuisse stuporis in* Papatu, *vt iustificationi vllum opus præponerent, etiamsi negarent esse tanti boni meritoriũ.* Et 3. Instit. cap. 14. §. 7. *Quid pariant peccatores à Deo alienati, nisi illius iudicio execrabile?* *Nulla bona opera priora iustificatione.* *Peccator quicquid parit est execrabile.*

Beza lib. quæst. & Respons. vol. 1. Theol. pag. 676. *Vlla statuere bona opera eorum qui non sunt iustificati, stultum est.* *Stultum statuere bona opera nõ renatorum.*

Perkinsus in Galat. 3. to. 2. col. 159. *Docemur, omnes non regenitorum actiones esse peccata.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd meretrix fuit iustificata ex operibus, quòd peccatrici fuerunt remissa peccata quia dilexit; quòd malus credendo bene facit; quòd Publicanus faciebat multa bona opera antequam iustificaretur. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd ante iustificationem nulla opera sunt bona, omnia sunt mala, peccata, execrabilia, iramque Dei in nos prouocant.

ARTIC. II. AN OMNIA BONA OPERA IVSTORVM SINT PECCATA SEV IVSTI in omni bono opere peccent?

NEGAT SCRIPTVRA.

In his non peccauit Iob. *Non declinauit.* *Dauid non declinauit, nisi &c.* *Nubendo non peccatur.* *Hæc faciẽdo non peccatur.*

IOb. 1. v. 22. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.* Et ca. 23. v. 11. *Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui & non declinaui ex ea, à mandatis labiorum eius non recessi.*

3. Regum 15. v. 5. E*o quòd non declinasset* (Dauid) *ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.*

1. Corinth. 7. v. 28. *Si acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit.* Et vers. 37. *Non peccat, si nubat.*

2. Petri 1. v. 10. *Hæc facientes, non peccabitis aliquando.*

Apoc. 3. v. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 11. *Constat eos Orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt iustum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut quòd intolerabilius est, pœnas æternas mereri.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Iustitiam Deus reputat malitiã. *Bona opera sunt damnabilia.* *Sunt peccata.* *In omni opere peccatur.* *Iustitia est immunda.* *Bona opera faciunt hominem peiorem.*

Lutherus to. 1. in disput. fol. 390. *Mirum est problema: quòd Deus remuneret iustitiam, quam ipse reputet malitiam & iniquitatem.* Et tom. 2. de Ratione confitendi fol. 26. *Etiam bona opera nostra, si Deus per rigorem iudicet & non misericordia ignoscente ignoscat, sunt damnabilia & mortalia.* De Captiuit. Babylon. fol. 80. *Et bona opera inueniuntur esse peccata.* In Assertione Artic. 31. fol. 109. *In omni opere bono iustus peccat.* Et 110. *Peccare docet, qui negat bonum opus esse peccatum.* In Confutat. Latomi fol. 220. *Omnis iustitia est immunda, omne opus bonum peccatum.* Et to. 5. in Galat. 1. fol. 227. *Sint opera, modò sciatur ea esse coram Deo peccata.* 228: *Necesse est opera legis esse peccata, alioquin iustificarent certè.* In cap. 2. fol. 231. *Opera etiam sacratissimæ legis Dei, adeo non præstant iustitiam, vt etiam peccata sint, & hominem peiorem faciant coram Deo.* Ibidem de bonis operibus fol. 581. *Sciat homo*

homo omnem eius vitam & actionem, nihil aliud nisi damnabilia esse peccata in Dei iudicio. Postilla in Dominic. 4. post Pascha fol. 258. *Cum omnibus quæ facis operibus nihil aliud potes, nisi peccare.* Et in Natale Christi fol. 374. *Christus docet omnia nostra nihil coram Deo, quàm peccata esse.* *Nihil quàm damnabilia peccata.* *Nihil possumus nisi peccare.*

Vrbanus Regius in locis tom. 1. fol. 358. *In omni opere etiã bono huius vitæ est peccatum.* *In omni opere bono peccatum.*

Illyricus apud Schusselb. tom. 7. Catal. Hæret. pag. 155. *Disputatum à nostris hactenus contra Papistas, Omnes Sanctos in omni bono opere peccare.* *Omnes Sãcti in omni opere bono peccant.*

Vvigandus ibidem pag. 719. *Propter hanc ipsam imperfectionem & pollutionem bona opera per se sunt peccata.* Ita Lutherani. *Bona opera per se peccata.*

Caluinus de libero Arbitrio lib. 1. pag. 141. postquam retulisset hæc verba Lutheri: *Peccare iustos etiam in operibus bonis: & bona opera esse ex se mortalia peccata*, subdit: *Nihil est in istis verbis quod non simpliciter & citra vllam figuram verum sit.* Et in Refutat. Serueti pag. 655. *Quia tanquam filijs ignoscit* (Deus) *hinc operibus per se iniustis gratuitam iustitiam ex venia imputat.* Idem habet 3 Instit. cap. 17. §. 1. *Ex se mortalia.* *Per se iniusta.*

Beza in Confessione. cap. 4. sect. 19. *Si summo iure inquireret Deus in ipsa quoque præstantissima hominum opera, nihil aliud posset de ijs constitui, quàm meras esse donorum Dei pollutiones.* Similia habet libro quæst. & Respons. ibidem pag. 674. *Nihil quã mera pollutio donorũ Dei.*

Bullingerus Decade 3. sermone. 10. fol. 174. *Dicimus, opera fidelium bona esse peccata.* *Sunt peccata.*

Serranus Respons. ad Hayum parte. 2. pag. 188. *Quicquid ab homine est, malum est, peccatum est, quantumuis magnam habeat speciem virtutis.* *Peccata.*

Author Respons. ad Theses Valentianas pag. 917. *Si hominis opera quantum libet eximia considerentur & ad amussim diuinæ legis & iustitiæ exigantur, quid erunt aliud quàm offendicula, peccata, quæ suapte vitiositate, morti æternæ sunt obnoxia?* *Nihil aliud quàm peccata.*

Iunius Controu. 4. lib. 3. cap. 2. *Omnia opera hominis etiam iustificati sunt peccata secundum se.* *Secundum se peccata.*

Parçus lib. 4. de Iustificat. cap. 15. pag. 1125. *Opera iustorũ, si districtius ad legis rigorem examinentur a Deo, mera erunt pec-* *Mera peccata.*

Etiam faciēs bonum peccat.

cata. Et cap. 20. pag. 1176. *Iustus etiam faciens bonum, peccat.* Sic etiam in Collegio Theol. 2. Disput. 9. & Collegio. 6. disput. 12.

Tindallus apud Foxum in Actis pag. 1139. *Nullum est opus adeò bonum, quin lex illud damnet.*

In omni bona actione peccamus.

Ex natura rei.

Vvitakerus de Peccato Originali libro 2. cap. 3. pag. 656. *Inhærens concupiscentia facit, vt in omni actione nostra etiam bona, peccemus.* Item: *Docemus, mortaliter semper peccari à iustis ex natura rei & actionum ipsarum.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Iob in quibusdam non peccauit labijs, non declinauit à via, non recessit à mandatis Dei; quòd Dauid non declinauit ab omnibus præceptis Dei præterquam erga Vriam: quòd accipiendo vxorem non peccatur; quòd aliqua facientes non peccabimus. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quod in omni actione bona peccamus: quòd iustus in omni opere peccat, omnes Sancti in omni bono opere peccant, faciens bonum peccat; quòd bona opera sunt peccata, præstantissima opera sunt peccata, bona opera per se damnata, per se iniusta, secundum se peccata, ex se mortalia: quòd opera etiam sacratissimæ legis Dei hominem peiorem faciunt coram Deo; quod omnis actio in iudicio Dei nihil sit nisi damnabile peccatum, merum peccatum, nihil aliud quàm peccatum, nihil quàm pollutio donorum Dei; quod omnis iustitia sit immunda & Deus eam reputet malitiam & iniquitatem.

ART. III. AN BONA OPERA IVstorum sint suauis odor coram Deo?

Bona opera odor suauitatis Deo.

Odor suauissimus.

Fumus incensi.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

GEnesis 8. v. 20. *Noe obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis.*

Numer. 29. v. 2. *Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino.*

Apocalyp. 8. v. 3. *Et data sunt illi incensa multa vt daret de*

orationibus Sanctorum — & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus l.4. de Iustificat. cap. 20. *Opera iustorum Scriptura vbique laudat, & dicit esse Deo placita & accepta in odorem suauitatis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in Disput. de Mysterio Trinitatis to. 1. fol. 418. *Iustitiam legis ciuilem (Deus) exigit, & seriò mandat, quamuis sciat eam coram sese esse stercus.* *Bona sunt stercus corā Deo.*

Vvigandus in Methodo doctrinæ cap. 12. pag. 109. *Nostra bona opera sunt immunda, sunt stercora.* *Stercora.*

Vrbanus Regius in Interpretat. locorum Comm. to. 1. f. 47. *Nostra opera in vniuersum sordent.* *Sordent.*

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 545. ait quòd bona opera *sunt scybola seu reiectamenta, planè immunda, indigentque mundatione.* Sic etiam præfat. libri de Sectis pag. 26. *Scybola reiectamenta.*

Schusselburg. to. 7. Catalo. Hæret. pag. 55. P*aulus omnes suas iustitias pro stercore & reiectamentis, & Isaias pro panno menstruatæ haberi, reijci, ac contemni volunt.* Idemque habet alius Lutheranus apud eundem to. 5. p. 543. *Stercora.*

Caluinus in Refutat. Serueti pag. 651. *Cùm doceo, quibusdam velut fœcibus semper esse admixta opera, vt fœteant coram Deo si ad rigidum examen vocentur, me in spiritum blasphemare dicit.* Similia habet de vera Ecclesiæ reformat. pag. 317. & 3. Institut. c. 14. §. 16. vbi etiam ait c. 12. §. 4. *Opera, si sua dignitate censeantur, nihil nisi inquinamenta sunt & sordes.* Et concione 158. in Iob p. 757. *Quicquid Deo possumus exhibere, fœtidum est.* *Fœtent corā Deo.* *Nihil nisi inquinamenta & sordes.* *Fœtida.*

Bucerus in Epitome Doctrinæ Argentinensis artic. 9. *Omnes sancti pro nihilo & stercoribus ducunt, quicquid vnquam fecerunt boni.* *Nihil & stercora.*

Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 42. *Ne quisquam putet Paulum operibus suis post fidem susceptis aliquid tribuere, adiungit se & hæc etiam abijcere:* Similia habet Zuinglius in Philippens. 3. to. 4. pag. 508. *Abijcienda.*

Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 19. pag. 314. *Apostolus iustitiam fidei & ex fide seu iustitiam Christi & Dei, qua sola vult inueniri in Dei iudicio, simpliciter opponit omnibus suis operibus præsentibus, præteritis, & futuris: omnia ducens pro damno, pro nihilo, stercoribus.* Pag. sequ. *Hactenus Apostolus omnia opera sua tanquam stercora abijciens, non magis est blasphemus, quàm tota Ecclesia Prophetica fuit blasphema, omnes suas iustitias pannum menstruatum, rem æquè fœdam, appellans. Eat nunc Bellarminus, & queratur blasphemias, quòd opera & iustitias suas dicamus stercora.* Et lib. 2. cap. 12 pag. 530. ait: Quòd *iustitiæ inhærentes etiam in statu gratiæ sordes sunt, & quidem omnes ex rigore iudicij Dei.*

Damnum stercora.

Sordes.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd bona opera iustorum sunt odor suauitatis, odor suauissimus, fumus incensi coram Deo. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd bona opera iustorum sunt coram Deo sordes, stercora; nihil nisi inquinamenta, sordes, & stercora; quòd sunt fœtida, fœtent coram Deo si ad rigidum examen vocentur; quod iustitiæ inhærentes seu operum sunt sordes, stercora.

ART. IV. AN BONA OPERA IVSTOrum sint perfecta seu integrè bona;

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ISaiæ 38. v. 3. Ezechias ita orat. *Memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.*

3. Regum 11. v. 4. *Nec erat cor eius perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris sui.* Et cap. 15. v. 4. *Eò quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini.*

1. Ioan. 4. v. 12. *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Et c. 2. v. 5. *Qui seruat verbũ eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.*

Ezechias ambulauit in corde perfecto. Dauidis cor perfectum coram Deo. Fecit rectũ coram Deo. Charitas quorundã perfecta.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Iustificat. cap. 10. *Catholici omnes docent, opera iustorum simpliciter & absolutè iusta, & suo modo esse perfecta, quamuis non ea perfectione quin crescere possint.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Augustana cap. de Bonis operibus: *Hæc noua obedientia procul abest à perfectione legis.* *Bona opera procul absunt à perfectione.*

Confessio Vvirtembergensis c. de Bonis operibus: *Omnia bona opera quæ nos facimus sunt imperfecta, nec possunt seueritatem diuini iudicij ferre.* *Sūt imperfecta.*

Confessio Heluetica c. 16. *Sunt multa indigna Deo, & imperfecta plurima inueniuntur etiam in operibus Sanctorum.* Similiter docet Confessio Belgica: Art. 24. *Plurima imperfecta in illis.*

Lutherus in Genes. 15. tom. 6. fol. 178. *Opera sua semper contaminata, imperfecta, & polluta sunt.* *Imperfecta.*

Kemnitius in Examin. 1. parte tit. de Iustificat. pag. 253. *Iustitia inhærens in hac vita tantùm inchoata, imperfecta, & immunda est.* Idque repetit in locis parte 1. pag. 252. & parte 2. pag. 101. Similiter Gerlachius tom. 2. disput. 16. pag. 725. Lobechius disp. 9. p. 191. & alij Lutherani.

Zuinglius in Marci 10. tom. 4. pag. 166. *Coram Dei iudicio omnia opera nostra quantumcunque bona, impura & immunda reperientur.*

Petrus Martyr in 1. Corinth. v. 19. *Nihil agimus quantumuis specie bonum sanctumque videatur, quod reipsa non sit multis vitijs contaminatum.* Item: *Vt à nobis dimanant* (opera) *infinitis sordibus deformata sunt.*

Caluinus de libero Arbitrio lib. 1. pag. 141. *Nullum extitit vnquam bonum opus, quod vndique purum ac perfectum omni prorsus næuo careret,* Idem Caluinus in Actor. 6. v. 11. *Sanctorum opera semper aliquid vitij aspersum habent.* Et in ca. 10. vers. 4. *Opera semper mutila sunt & vitiosa.* Similia habet in Ioannis 4. v. 36. & cap. 5. vers. 29. Lucæ 17. v. 10. Rom. 7. v. 18. Galat. 6. v. 8. 3. Instit. cap. 14. 15. & 17. & alibi sæpè. *Nihil vndique perfectum.* *Opera semper vitiosa*

Beza in Confessione cap. 4. sect. 19. *Tanta est Dei bonitas, vt opera nostra quamuis imperfectissima, tamen non modò non improbet, sed etiam eo vsque probet, vt mercede dignetur.* *Imperfectissima.*

Vrsinus in Catechismo quæst. 62. pag. 401. *Nostra etiam præstantissima opera in hac vita sunt imperfecta, atque adeò peccatis inquinata.* *Imperfecta.*

Integrum bonum nostrũ nullũ. Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 89. *Integrum bonum nullum est in hac vita nostrum.*

Opera ex parte mala. Perkinsus in Galat. 5. v. 17. *Opera regeneratorum sunt ex parte mala,*

Non absolute iusta. Scharpius de Iustificat. Controu. 13. pag. 194. *Asserimus fidelium opera non simpliciter & absolutè iusta & perfecta esse.* Idque repetit pag. 197. 216. & 224.

Paræus l. 4. de Iust. c. 10. p. 1063. *Tantũ probant, Sanctorũ opera esse imperfectè bona, atq; adeo peccata.* C. 15. p. 1125. *Iustorũ bona opera imperfectam habent bonitatem: eorum bonitas qualiscunque carnis sordibus non secus inquinatur atque aqua lutosum riuum pertransiens impuratur.* Et lib. 5. in Procemio pag. 1213. *Bona opera iustorum non sunt absolutè bona, sed peccato inhabitante semper polluta.* *Non absolute bona.* Idem docet Tilenus in Syntagmate cap. 42. Author de Iustificat. hominis to. 5. doctrinæ Iesuit. pag. 232. Piscator in thesibus lib 2. loco 8. Polanus in disput. Priuatis Disput. 40 Bucanus in Instit. loco 31. Sadeel ad Artic. 40. & 45. abiurat. Zanchius lib. 5. de Natura Dei cap. 2.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd bona opera Iustorum sunt bona & recta in oculis Domini, quòd Charitas diligentium inuicem & seruantium verbum Dei est perfecta: quòd Ezechias ambulauit in corde perfecto coram Deo: quòd cor Dauidis erat perfectum coram Deo. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd bona opera iustorum procul absunt à perfectione: quod sunt plurima imperfecta in illis; quòd sunt tantùm inchoata, sunt imperfecta, imperfectissima, mutila, vitiosa, non vndique pura & perfecta, imperfectè bona, & imperfectam habent bonitatem, non sunt absolutè bona, non absolutè, non simpliciter iusta, multis vitijs contaminata, infinitis sordibus deformata, inquinata sicut aqua trãsiens lutosum riuum, ex parte mala & peccata; quòd nullum sit integrum bonum nostrum in hac vita.

ARTI. V. AN BONA OPERA IVSTOrum sint iusta seu iustitia coram Deo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

DEuteronom. 24. v. 13. *Sin pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum, vt habeas iustitiam coram domino Deo tuo.*

Reddere depositũ est iustitia coram Deo.

Psalmo 105. v. 30. *Stetit Phinees, & placauit & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam.*

Factum Phinees reputatum in iustitiam.

Ezechielis 14. v. 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum*

Aliqui liberant animas suos iustitia sua.

Danielis 6. v. 22. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me.*

Iustitia coram Deo in Daniele.

Lucæ 1. vers. 75. *Vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

Hebræ. 12. vers. 33. dicitur de Sanctis. *Operati sunt iustitiam.*

Iustitia coram Deo.

1. Ioan. 3. vers. 12. *Opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.*

Opera iusta.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 6. de Iustificat. cap. 8. *Iustitia bonorum operum in fide est vera coram Deo iustitia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in Disput. t. 1. fol. 390. *Deus remunerat iustitiam quam ipse reputat malitiam & iniquitatem.* Et in cap. 53. Isaiæ to. 4. fol. 203. *Christianorum iustitia reputatiuè tantùm iustitia est, non formaliter.*

Deus iustitiã reputat malitiam.

Nostra iustitia tantũ reputatiue.

Kemnitius in locis to. 2. tit. de Argumentis p. 101. *Reddere pauperi pignus, est quidem bonum & iustum opus, non tamen tale, quod si secundum legis rigorem examinetur, mereatur titulum iustitiæ.*

Reddere pignus non meretur titulum iustitiæ.

Caluinus in Antidoto Concilij sess. 6. cap. 8. pag. 279. *An mihi locum vnum proferent, qui incohatam nouitatem pro iustitia apud Deum probari testetur vel in toto vel ex parte?* In cap. 11. p.

Bona opera nec in toto nec in parte iustitia coram Deo.

Procul absunt à veritate iustitiæ. 283. *Gratuita imputatione fit, vt iustitiæ nomen habeant opera, quæ procul alioquin à iustitiæ veritate abessent.* In Roman. 3. vers 27. *Fidei lex nullam in operibus, qualiacunque sint, iustitiam relinquit.* In cap. 11. v. 6. *In nihilum redigitur iustitia operum, quoties gratia nominatur.* Et 3. Instit. c. 17. §. 9. *Nullum extat opus quod non ex sua ipsius corruptione pollutum sit ne iustitiæ honorem teneat.* Ibidē: *Opera supra dignitatem iusta censentur.*

Nulla iustitia in operibus.

Supra dignitatem censentur iusta.

Paræus de Iustificat. lib. 1. cap. 19. pag. 314. *Qui opera sua, etiam quæ fingunt se facere ex gratia Christi, faciunt iustitiam vel iustitiæ merita coram Deo, faciunt ex eis idola, & sic reuera faciunt ex eis stercora & Deos stercoreos.* lib. 2. cap. 10. pag. 505. *Quomodo esset vera & absoluta iustitia, cum deficiat in multis?* Lib. 3. cap. 8. pag. 681. *Adeò iustitia illa inhærens charitatis & operum est incerta, dubia, vt reuera sit nulla in iudicio Dei.* Et lib. 4. cap. 20. pag. 1175. *Siue ad seipsum, siue ad regulam legis Deus, examinat nostram iustitiam, iniustitia deprehenditur.*

Iustitia operum est idolum.

Non vera & absoluta iustitia.

Iustitia deprehenditur iniustitia.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd bona opera iustorum sunt iusta, sunt iustitia, sunt iustitia coram Deo; quòd ab eo reputantur in iustitiam: quòd iusti sua iustitia liberabunt animas suas. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd bona opera iustorum procul absunt à veritate iustitiæ, non tenent honorem iustitiæ, non sunt vera & absoluta iustitia; quòd apud Deum nec ex toto, nec ex parte sunt iustitia: quòd lex fidei nullam in operibus relinquit iustitiam: quòd in nihilum redigitur iustitia operum per gratiam; quòd reuera nulla sit iustitia in iudicio Dei: quòd Deus nostram iustitiam reputat iniustitiam, malitiam, iniquitatem; quòd qui bona opera etiam facta per Christi gratiam faciunt iustitiam, faciunt ea idola & Deos stercoreos.

ART.

ART. VI. AN IN BONIS OPERIBVS iustorum possit esse vlla dignitas?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

PHilippens. 1. v. 27. *Tantùm dignè Euangelio Christi conuersamini.*

Conuersatio digna Euangelio.

Colossens. 1. v. 12. *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.*

Digni parte Sāctorū.

1. Thessalon. 2. v. 12. *Deprecantes vos, & consolantes, testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo.*

Ambulatio digna Deo.

3. Ioan. v. 6. *Quos benè facies deducens dignè Deo.*

Deductio digna Deo.

Apocalyp. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

Digni ambulare cum Deo.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Ioan. 4. v. 14. *docet hic locus vim & dignitatem operum quæ procedunt à Spiritu Sancto, contra impios horum temporum hæreticos.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus de Seruo Arbitrio to. 2. fol. 453. *In merito, vel mercede, vel agitur de dignitate vel sequela: si dignitatem spectes, nullum est meritum, nulla merces.*

Nulla dignitas in operibus.

Hemingius in Enchyridio Classe 1. pag. 122. *Si de operibus statuendum est pro sua dignitate, indigna sunt quæ in conspectum Dei prodeant.*

Indigna conspectu Dei.

Caluinus in Romanos 9. v. 11. *Non respicitur dignitas operum; quæ nulla est.* 3. Institut. cap. 17. §. 8. *Si operibus statuendum est pro dignitate sua pretium, indigna esse dicimus quæ in conspectū Dei prodeant.* De libero Arbitrio lib. 4. pag. 177. *De merito; si operis dignitatem intelligat, nego.* Et in Antidoto Concilij sess. 6. cap. vltim. pag. 288. *Falsam operibus dignitatem affingunt, vt sine venia placeant.*

Nulla dignitas operum.

Beza lib. quæst. & respons. vol. 1. Theol. pag. 674. *Dico placere hæc regeneratorum opera, non ob vllam ipsorum dignitatem, verùm ex mera Patris gratia.* Sic etiam Bucanus in Institut. loco 32. pag. 336.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd possemus conuersari dignè Euangelio Dei, ambulare dignè Deo, deducere alios dignè Deo: quòd aliqui sunt facti digni in partem sortis Sanctorum, & digni ambulare cum Deo. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd in bonis operibus nulla sit, non vlla sit dignitas: quòd sint indigna conspectu Dei.

ARTIC. VII. AN BONIS OPERIBVS & benè operantibus promittatur ac detur vita æterna seu merces?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Merces redditur operarijs. Vita æterna promissa pietati. Vincenti datur. Merces operi.

MAtth. 20. v. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

1. Timoth. 4. v. 8. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionē habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.*

Apocalypsis 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Similiter v. 17. & 26.

2. Paralippom. 15. v. 7. *Erit enim merces operi vestro.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 5. de Iustificat. c. 3. *Scriptura disertis verbis dicit hanc mercedem dari operibus, non soli promissioni.*

NEGANT PROTESTANTES.

Salus non datur operibus. Nec præmia spiritualia. Salus non datur operantibus.

Zuinglius in Lucæ 13. tom. 4 *Opera non sunt ea, quibus salutem æternam dat Deus.*

Author libri de Iustificat. in to. 5. Doctrinæ Iesuit. impress. Repellæ 1586. pag. 240. *Præmia Spiritualia conferri bonis operibus, nec peti nec concedi debet.*

Paræus lib. 5. de Iustificat. cap. 3. pag. 1234. *Dico falsam esse glossam: Voca operarios, redde illis mercedem, id est, redde operarijs vitam æternam.* Et pag. 1236. *Negatur etiam* (vitam æternam) *dari operantibus.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd merces redditur operarijs quòd vincenti datur edere de ligno vitæ: quòd pietati promittitur præsens vita & futura. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vita æterna non datur operantibus: quòd sit falsa glossa, redde illis mercedem, id est, redde operarijs vitam æternam: quòd Deus non dat salutem æternam operibus: quòd non confert præmia spiritualia operibus.

ARTI. VIII. AN BONA OPERA SINT meritoria apud Deum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Ecclesiastici 16. v. 14. *Omnis misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* *Est meritũ operum.*

Hebræ. 13. v. 16. *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* *Deus promeretur operibus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. c. 16. *Nihil ipsis iustificatis deesse credendum est, quò minùs plenè, illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, verè promeruisse censeantur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus de Seruo arbitrio tom. 2. fol. 480. *Nullum est meritum prorsus.* *Nullum meritum prorsus.*

Zuinglius in Expos. Fidei tom. 2. f. 558. *Constat meriti aut præmij nomen haberi in diuinis literis, sed loco liberalis doni.* *Nulla opinio merendi.*

Caluinus 3. Institut. cap. 16. §. 2. *Hominibus merendi opinionem tollimus.* Cap. 17. §. 3. *Seruorum Dei opera probrum magis quàm laudem perpetuò merentur.* In Rom. 4. v. 2. *Quis nostrum sibi guttam meriti arrogabit?* Et in Galat. 6. v. 8. *Dico non modo vilissima mercede indigna esse* (bona opera) *sed prorsus digna esse quæ damnentur.* *Ne gutta meriti. Opera nec vilissima mercede digna.*

Beza in 1. Ioan. 1. vers. 9. *Vbi merita, quæ in Dei conspectum adferamus?*

Perkinsus in Cathol. Reform. controuers. 5. cap. 1. *Reiicimus omnia merita personalia, quæ sunt meri ac puri alicuius hominis.* Et ca. 2. *Homo ne buccellam quidem panis mereri potest.* *Ne buccellã panis possumus mereri.*

Scharpius de Iustificat. Contr. 15. p. 218. *Dicimus fidelium opera in conspectu Dei nullo modo nec ex congruo, nec ex condigno meritoria esse.* *Nec ex cõdigno nec ex congruo meritum.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd retribuetur vnicuique secundum meritum operum suorum: quòd bonis operibus Deus promeretur. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nullum est meritum prorsus: quòd tollenda est meriti opinio: quòd non habemus guttam meriti: quòd nec buccellam panis possumus mereri; quòd bona opera sunt indigna vilissima mercede, & nullo modò meritoria, vel ex congruo vel ex condigno.

ART. IX. AN EX BONIS OPERIBVS possemus gloriari in Domino?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Glorietur in Domino. *Gloria in se.* *Opera, gloria ante Deum.*

1. Corinth. 1. v. 30. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Galat. 6. v. 4. *Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit & non in altero.*

1. Thessalon. 2 vers. 19. & 20. *Quæ est enim spes nostra aut gaudium aut corona gloriæ?* Nonne *vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius: Vos enim estis gloria nostra & gaudium.*

2. Corinth. 1. v. 12. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Et 1. Cor. 9. v. 15. *Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Rom. 3. v. 21. *Abraham habuit opera quibus apud Deum gloriari potuit.* Idem repetit in Rom. 4. vers. 2.

Bellarminus lib. 5. de Iustificat. cap. 5. *Fides excludit gloriationem eorum qui in se gloriantur, quasi suis viribus iustitiam facere possint, & à se habeant si quid boni habeant; non autem excludit gloriationem eorum qui in Domino gloriantur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Opera nulla causa gloriandi.

Lutherus Postilla in Natale Domini fol. 374. *Nulla causa est vt in his* (operibus) *vel tantillùm gloriemur, sed potius vt erubescamus.*

Caluinus in Roma. 4. v. 2. *Abraham non habet vnde glorie-*

tur apud Deum. Et in caput. 3. verſ. 27. *Gloriationem haud dubio excluſam dicit, quia nihil poſſumus noſtrum producere quod Dei ſit approbatione aut commendatione dignum.* Item. *Cùm ad fidei normam ventum eſt, proſternitur vniuerſa operum gloria.* Et 3. Inſtit. cap. 14. §. 16. *Ne quid operibus gloriæ aſcribant. Gloriationem omnem faceſſere neceſſe eſt.* *Omnis gloriatio excluſa.*

Petrus Martyr in Rom. 3. p. 87. *Voluntas Dei omnino id curat, vt omnis à nobis excludatur gloriatio.* Et pag. 86. *Cùm excluſam Deus velit gloriationem, patet quàm illi aberrent, qui merita defendunt.* Et in Rom. 4. pag. 94. *Fieri non poteſt, vt quis gloriam habeat apud Deum.* *Nemo poteſt habere gloriã apud Deum.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd poſſemus in Domino gloriari: quòd vnuſquiſque habebit gloriam in ſemetipſo: quòd ij quibus benefecimus erunt gloria noſtra ante Dominum. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd vniuerſa operum gloria proſternitur, omnis à nobis gloriatio excluditur, non poſſumus habere gloriam apud Deum: quòd non ſit in operibus vnde vel tantillum gloriemur, ſed potius erubeſcamus.

ARTIC. X. AN OMNIA BONA OPERA ſint æqualia apud Deum?

NEGAT SCRIPTVRA.

MAtth. 22. v. 38. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Hoc eſt maximum & primum mandatum.* *Maximum mandatũ.*

Lucæ 10. verſ. 42. *Maria optimam partem elegit.* *Optima pars.*

1. Corinth. 7. v. 38. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* Et cap. 12. verſ. 31. *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Et cap. 13. verſ. 13. *Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.* *Bene & melius.* *Excellẽtior via.* *Maior virtus.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus in 1. Cor. 7. verſ. 38. *Iungere matrimonio bonum eſt, non iungere melius eſt. An potuit verbis magis perſpicuis poſterius priori præferri?*

PROTESTANTES.

Opera æqualia apud Deũ.

Lutherus lib. de votis to. 2. fol. 291. *Nihil inter opera discernamus, æqualia sunt apud Deum, quæ magna & parua sunt apud nos & inter sese.* In psalmum 14. to. 3. fol 254. *In fide omnia opera sunt æqualia.* Item: *Credenti enim Deo idem est siue ieiunet siue oret, siue fratri seruiat. In omnibus enim Deo se seruire nouit & placere æqualiter, siue magna siue parua sint opera, pretiosa siuè vilia, breuia siue longa.* De bonis operibus to. 5. fol. 578. *In hac fide omnia opera fiunt paria & æqualia. Tum concidit omnis differentia operum, siue magna sint siue parua, siue longa siue breuia, siue multa, siue pauca. Nam opera Deo sunt grata non in se ipsis, sed propter fidem.* Ibidem in cap. 3. Petri fol. 468. ait, *Coram Deo nullum opus alteri præstare, sed per fidem omnia æquari.* Sic etiam serm. in Hebr. 11. tomo. 7. fol. 280.

Aequaliter placent Deo.

Nulla differentia operum.

Nullum opus alteri præstat.

Idem, esse sutorem & Apostolũ.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. p. 1138. *Mingere, scutellas lauare, sutorem aut Apostolum esse idem est: Perinde est scutellas lauare & prædicare, quantum ad hoc quod est placere Deo.*

Confessio Heluetica cap. 29. *Est certissimum, opera illa quæ in vera fide fiunt aparentibus per coniugij officia & œconomiam placere Deo, non minus quàm preces, ieiunia, atque eleemosynas.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd in mandatis diuinis est maximum: quòd in operibus est optima pars, bonum & melius, maius & excellentius. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd apud Deum omnia opera sunt æqualia, coram Deo nullum opus præstat alteri, Deo omnia æqualiter placent, quòd lauare scutellas perinde placet Deo ac prædicare.

Consilium non præceptum de virginitate.

ART. XI. AN OMNIA BONA OPERA sint præcepta à Deo?

NEGAT SCRIPTVRA.

Licitũ nubere vel nõ nubere.

1 COrinth. 7. v. 25. *De virginibus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et v. 36. *Si quis turpem se videri existimet super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat si nubat.*

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 8. *Sententia est Catholicorum omnium, multa esse verè & propriè consilia Euangelica, quæ nec sint præcepta nec indifferentia, sed Deo grata & ab illo commendata.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus lib. de votis tom. 2. fol. 272. *Religiosis persuasa est hæc sacrilega & blasphema sententia de Consilijs & præceptis.* Itẽ: *Consilia quæ illi fingunt, fermè sunt quæ Christus Matth. 5. docet, his adde virginitatem & continentiam. Esse autem hæc omnia non consilia sed necessaria mandata, primum hoc probat* &c. Tomo 4. in cap. 9. Isaiæ fol. 109. *Turca melior est istis, qui horrendum hunc errorem de Consilijs inuexerunt.* Et de bonis operibus to. 5. fol. 577. *Nullum est bonum opus, nisi quod Deus præcepit.*

Blasphemũ ponere cõsilia.

Consilia omnia sunt præcepta.

Nullum bonum nisi præceptũ.

Hutterus in Analysi Confe. Augustanæ pag. 413. *Non igitur opera verè bona dici vel possunt vel debent, nisi quæ à Deo sunt mandata.* Et pag. 415. *Facessat execranda illa amentia, quam in constituendis præceptis & consilijs Euangelicis Sophistæ Pontificij audacissimè prodiderunt.*

Execrãda amentia ponere Cõsilia.

Caluinus 4. Instit. cap. 13. §. 12. *Nulla est vocula à Christo emissa, cui non sit necessario obtemperandum.* Et in 1. Corinth. 9. v. 18. *Nullum fatemur esse bonum opus nec Deo acceptum, quod lege Dei comprehensum non sit.*

Beza in 1. Corinth. 7. v. 25. *Discrimen illud falsum inter præceptum & consilium libens refugio.*

Danæus Controu. 5. p. 949. *Non sunt alia consilia, alia præcepta.*

Volanus lib. 1. contra Scargam pag. 1005. *Quæ consilia isti vocant Christi, seria ipsius esse mandata quibus omnes obtemperare necesse est, Christus ipse apertè docet.*

Polanus in Disput. Priuatis Disp. 18. *Consilia in verbo Dei à præceptis distincta nulla sunt.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd virginitas non est præcepta à Deo sed consulta ab Apostolo; quòd quis posset nuptui virginẽ tradere aut non tradere, prout vult. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nullum sit bonum opus quod non sit præceptum à Deo: quòd virginitas sit necessariò mandata: quòd consilia nō distinguuntur à præceptis, sed ipsamet sunt præcepta: quòd sunt amentes, deteriores Turcis, & blasphemi, qui distingunt inter Consilia & præcepta. Quæ tam apertè repugnant Scripturæ, vt aliqui Protest. id agnoscant l. 2. c. vltimo.

ART. XII. AN BONA OPERA SINT necessaria ad iustificationem?

AFFIRMAT SCRIPTURA.

Dimissio hominibus necessaria ad iustificationem.

MAtth. 6. v. 15. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Idem Marci 11. v. 26.

Ioan. 15. v. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6 canon. 9. *Si quis dixerit impium sola fide iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam cooperetur, & nulla ex parte necesse eum suæ voluntatis motu disponi ac præparari, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Remissio promissa nulla habēti opera.

Præsentia operum nō necessaria ad iustificationem.

Non opus operibus ad iustitiam.

Apologia Confess. Augustanæ Vuittembergæ in 8. fol. 60. *Nonne Euangelium pollicetur etiam iis remissionem peccatorum & salutem, qui nulla habent prorsus bona opera?* Liber Cōcordiæ Lutheranorum in Declaratione Artic. Augustanorum cap. 3. pag. 793. *Falsum est, si quis dicat fidem non posse iustificare sine operibus, vel fidei vt iustificet, necessariam esse præsentiam bonorum operum: aut ad iustificationem, vel in articulo iustificationis necessariam esse præsentiam bonorum operum.*

Lutherus de libertate Christiana to. 2. fol. 5. *Fides nostra facit, ne cuiquam opus sit lege aut operibus ad iustitiam & salutem.* Et fol. 6. *Christianus nullis operibus ad hoc indiget, vt iustus & saluus sit.* Et Postilla in Dominicam post Natale. *Ad iustificationem nihil aliud, quàm audire & credere Iesum Christum nostrum Saluatorem, requiritur.*

Ministri Saxonici in Colloq. Aldeburgico edit. Iennæ fol.

fol.192: & Lypsiæ p.164. *Quicũque docet in Articulo iustificationis bona nostra opera necessitate præsentiæ esse necessaria, is à verbo Dei confessione & Apologia Augustana & Scriptis Lutheri deuiat.*

Opera non necessaria necessitate præsentiæ.

Herbrandus in Compendio theol. loco de Iustificat. pag. 297. *Quid excludit particula, Sola? Non tantùm opera à causa iustificationis efficiente, dignitate, ac merito, verùm etiam à causa sine qua non, usque adeo ab omni necessitate præsentiæ in actu iustificationis. Nam sine operibus peccator in Christum credens iustificatur, Alias semper esset incerta & ita dubitandum.* Et pag. seq. *Ad iustificationem non est opus vlla alia re nisi sola fide.*

Non necessaria necessitate præsentiæ.

Kemnitius apud Schusselburg. tom.7. Catal. Hæret. pag. 711. *Neminem posse iustificari qui non habeat bona opera, falsum est, & pugnat cum ipsa Apologia.* Et 716. *Si dicam, fidem non iustificare, nisi habeat bona opera actu præsentia, falsum est.*

Fides iustificat sine præsentia operum.

Morlinus apud eundem ibidem pag.171. *Falsa est simpliciter propositio: Operum præsentiam quomodocunque necessariã esse in actu iustificationis.* Et 173. *Stat pro inuicta veritate, si reputetur tanquam necessaria bonorum operum præsentia in actu iustificationis stercus esse & detrimentum.* Vide plura huiusmodi Lutheranorum dicta apud eundem tom. citato.

Operum præsentia non necessaria.

Caluinus in Matth. 6. v. 12. *Venia, quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs, non dependet.*

Venia quã petimus non pendet ab ea quã damus.

Rainoldus in Apologia Thesium pag. 263. *Bona opera ad iustificationem non requiruntur.*

Brentius in Epistolam Natalis Dom. pag. 383. *Christus nullum opus ad iustificationem præscripsit.*

Opera non requirũtur ad iustificationem.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus non dimittet peccata nostra si nos non dimiserimus hominibus: quòd manebimus in eius dilectione modò seruemus pręcepta sua. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd venia quam petimus non pendet ab ea quam præstamus: quòd promittitur remissio ijs qui nulla habent bona opera: quod non est opus operibus ad iustitiam: quòd opera non requiruntur ad iustificationem, quòd Christianus nõ indiget operibus vt iustus sit: quod ad

iustificationem non est necessaria præsentia operum : quòd præsentia operum non est quomodocunque necessaria in actu iustificationis : quòd si reputetur necessaria, est stercus & detrimentum : quòd sola fides excludit necessitatem præsentię operum quando iustificamur.

ARTIC. XIII. AN BONA OPERA SINT necessaria ad salutem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Iustitia necessaria ad regnum cælorum.

MAtth. 5. v. 21. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.* Cap. 18. v. 3. *Amen dico vobis : nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Et cap. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Patientia necessaria ad promissiones.

Sine sanctimonia non videtur Deus.

Hebr. 10. v. 36. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Et cap. 12 v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Iustificat. cap. 7. *Nos dicimus opera bona homini iusto esse necessaria ad salutem.*

NEGANT PROTESTANTES.

Opera non necessaria ad salutē.

Non docēdum, opera esse necessaria ad salutem.

Pseudo Apostolorum doctrina opera legis esse necessaria ad salutem.

Liber Concordiæ Lutheranorum in declarat. Articulorum cap. 4. pag. 704. *Propositiones illæ de necessitate bonorum operum ad salutem, perturbatis & afflictis conscientiis consolationē eripiunt, occasionem præbent dubitationis de gratia Dei, multis modis sunt periculosæ.* Pag. 705. *Propositiones illæ de bonis operibus ad salutem necessariis non sunt docendæ, defendendæ, pingendæ, sed potius ex Ecclesiis nostris vt falsæ & non sinceræ explodendæ atque reiiciendæ.* Et in Epitome Articulorum cap. 4. pag. 590. *Reiicimus & damnamus subsequentes Phrases cùm docetur : Bona opera esse necessaria ad salutem.* Idem docet Apologia Confess. Augustanæ verbis citatis Articulo præcedenti.

Lutherus in Galat. 1. to. 5. fol. 286. *Pseudo Apostoli docuerunt præter fidem in Christum opera legis diuinæ necessaria esse ad salutem.* Et vt refert Schusselburg. to. 7. Catalog. Hæret. pa.

312. *Formulam hanc: Bona opera sunt necessaria ad salutem, ex quorundam dictatis expungi deleri & abijci curauit, ac publicam de ea disputationem instituit, & in ea ex Ecclesijs per ipsum repurgatis eam reiectam ad forum Antichristi remisit.* Vel vt scribunt Illyricus & Gallus apud eundem ibidem pa. 567. *In publica disputatione Vvitembergæ anno 36. habita plus quinquies ingeminauit hanc vocem: propositionem, Bona opera esse necessaria ad salutem volumus damnatam, abrogatam, ex Ecclesiis & Scholis nostris penitus explosam.* Expũgẽda. Damnãda.

Hunnius de Iustificat. pag. 187. *Hanc propositionem, qua prædicantur* (opera) *ad salutem necessaria, vtcunque pingatur ac fingatur, eliminandam censeo ex Ecclesia.* Eliminãda vtcunque pingatur.

Lobechius Disputat. 9. p. 198. *Vt vt necessaria dicantur opera, nequaquam tamen ad salutem ea necessaria esse dicendum aut existimandum est —Vnde Lutherus graui consilio, & recto iudicio propositiones illas de necessitate bonorum operum ad salutem extra Ecclesiæ limites reiecit, ac tanquam pseudo-Apostolorum doctrinam redolentes damnat.* Reijciẽda.

Ministri Saxonici in Colloq. Aldelburg. pag. 6. & 7. Reijciunt hoc dogma: *Bona opera esse necessaria ad salutem.* Herbrandus in Compendio Theol. loco de Bonis operibus pag. 344. *Eliminentur hæ propositiones. Bona opera sunt necessaria ad salutem.*

Illyricus in claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 545. ait quòd *Scriptura tollit non tantùm meritum, sed & omnem præsentiã necessitatemque bonorũ operũ ad salutem.* Et præf. in Epist. ad Rom. *opera non sunt vlla ratione peccatori ad salutem necessaria.* Idem docet Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ art. 6. pag. 409. Adamus Francisci in Margarita Theol. loco. 10. pag. 114. & 117. Gesnerus in Compendio loco 23. pag. 491. Vrbanus Regius de noua & veteri doctrina tom. 2. fol. 20. Kemnitius in Exam. parte 1. tit. de fide pag. 292. & in locis parte 3. pag. 248. Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 5. fol. 49. & seq. & to. 7. Catal. Hæret. pag. 154. Vbi etiam refert multos Lutheranos damnantes doctrinam de Necessitate operum ad salutem, quorum aliqui eam vocant *pestiferum venenum*; aliqui *fundamentum omnium operum Papalium seu* Satanæ doctrina.

Antichristi; alij *Satanæ doctrinam*. Vt Morlinus & Poach. to. 4. pag. 225. 229. Confessio Heluetica cap. 16. *Non sentimus bona opera ita ad salutem esse necessaria, vt absque illis nemo vnquam sit seruatus.* Atque huic confessioni subscripserunt Ministri Geneuenses, eamque comprobarunt omnes Ecclesię Angliæ, Scotiæ, Galliæ, Belgij, vt refert Syntagma Confessionum.

Vita sine conditione operum. *Opera non absolute necessaria.*

Caluinus in Antidoto Concilij sess. 6. can. 20. pag. 291. *In eo differt à lege Euangelium, quia non sub conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittat.*

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 12. pag. 815. *Vnde non esse* (opera) *absolutè necessaria ad salutem intelligitur.* lib. 4. cap. 1. pag. 932 *Etiam Latronem, qui toto vitæ cursu nihil boni fecerat, cùm in agone ad Christum confugeret, morte præuentum sine operibus saluatum existimamus.* Et cap. 2. pag. 951. *Sine ea* (noua obedientia) *promissio vitæ, rata esse potest credentibus.*

Necessitas operum ad salutem pugnat cũ Euangelio.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. pag. 1143. *Non est necesse laborare, vt per bona opera assequamur vitam æternam, iam enim nunc eam tenemus.* Idque approbat Foxus ibidem. Kemnitius etiam in locis parte 2. tit. de Cœna pag. 203. tradit Bullingerum reijcere propositionem de necessitate bonorum operum ad salutem. Eandem reijcit Author Præfationis in Lutherum in Epist. ad Galatas Anglicè versum, Paræus in Colleg. Theol. 3. disput. 12. Et colleg. 6. disput. 12. ait, quòd ambigue & lubrice dicitur opera esse necessaria ad salutem. Et in Galat. 6. lect. 73. ait: *Retinebant dogmata non pauca cum Euangelio pugnantia, de septem Sacramentis, de operibus ad salutem necessariis, &c.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd patientia est necessaria vt reportemus promissiones: quòd sine Sanctimonia nemo Deum videbit; quòd nisi iustitia nostra sit maior quàm Pharisæorum, non intrabimus in Regnum cœlorum: quòd si volumus ad vitam ingredi, seruanda sunt mandata. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd opera non sunt necessaria ad salutem, non absolutè necessaria: quòd latro sine operibus

sit saluatus: quòd Euangelium promittat salutem sine conditione operum: quòd doctrina de necessitate operum ad salutem sit damnanda, explodenda, periculosa, sit doctrina pseudo Apostolorum, Antichristi, & Sathanæ. Quæ tam apertè pugnant cum Scriptura, vt multi Protestantes id palam fateantur, vti patebit lib. 2. cap. vlt.

ART. XIV. AN BONA OPERA SINT vtilia ad iustitiam & salutem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. TImoth. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* Idem docet, cum tradit opera esse necessaria ad iustificationem & salutem, vt iam vidimus imo esse causam salutis, vt articulo sequenti videbimus. *Pietas vtilis ad omnia etiam ad futurā vitam.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos cap. de Oratione: *Sacris precibus placatum reddimus Deum, eleemosyna redimimus hominum offensiones, ieiunio propriæ vitæ sordes eluimus. Et quanquam singula prosint ad omnium scelerum genera, tamen propriè singulis ijs peccatis quæ diximus apposita & accommodata sunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Argentinensis cap. 3. *Liquet opera nostra ad hoc, vt iusti ex iniustis euadamus, nihil posse conferre.* *Opera nihil conferunt vt iustificemur.*

Belgica art. 24. *Opera à sincera fidei radice emanantia ad nos iustificandos nullius sunt prorsus momenti.* *Nullius prorsus momenti.*

Apologia Anglica: *Dicimus nihil nobis esse præsidij in operibus & factis nostris.* *Nihil præsidij in operibus.*

Lutherus de Votis tom. 2. fol. 279. *Docuisse ea* (opera) *salutaria, est Dæmoniacum & Apostaticum à fide, cum sola fides sit necessaria & salutaris.* In 1. Petri 1. tom. 5. fol. 453. *Quæ omnia eò pertinent, vt discamus operibus nos iuuari non posse.* In cap. 40. Isaiæ apud Schusselburg. tom. 7. Catalog. Hæret. fol. 320. *Cùm damnantur bona opera, sic damnantur, tanquam ad iustitiam Christianam (sic & ad salutem) inutilia.* Postilla in Dominicam 3. post Pascha fol. 257. *Nec vlla eò* (ad iustificationē) *in-* *Dæmoniacum, docere opera esse salutaria.* *Non iuuamur operibus.* *Sunt inutilia ad iustitiam & salutem.*

Nihil efficiunt ad pietatẽ aut salutem. *Nihil prosunt.* *iuabunt opera.* In die Ascensionis fol. 267. *Opera planè nihil ad pietatem aut salutem efficiunt.* In Dominicam 13. post Trinitatem fol. 316. *Tametsi mihi omnia bona opera essent, Noë, Abrahæ, adeoque cunctorum dilectorum Patrum, nihil mihi prodessent.* Et in Dominicam 18. fol. 329 ait quòd opera *homini nihil commodent.* Et in festo sanctæ Annæ fol. 432. *Opera nihil efficiunt.* *Non vtilia operãti.* Serm. de 10. leprosis tom. 7. fol. 298. *Sciat sua opera non sibi, sed proximo tantùm necessaria & vtilia esse.* Et to. 1. fol. 401. *Neque enim data est lex, vt quicquam iuuet ad iustitiam.* Nec cõtentus docuisse opera esse inutilia ad salutem, addit etiam quòd sunt pernitiosa. Nam ita scribit Hospinianus in Concordia Discorde c. 20. f. 120. *Rorarius ostendit Lutherũ semper vsum fuisse hac propositione: Bona opera perniciosa sunt ad salutem.* *Sunt pernitiosa ad salutem.* Idemque Luthero attribuunt ministri Saxonicj in Colloquio Aldeburg. Scripto 6. pag. 205. Ac satis indicat Lutherus to. 3. in cap. 40. Isaiæ: fol. 169. his verbis. *Damnatur iustitia & sapientia carnis tanquam inutilis, imò perniciosa ad iustitiam & salutem consequendam*: Nomine enim *iustitiæ & sapientiæ carnis* solet intelligere bona opera. Et de ijs videtur ipsum intellexisse Schusselburg. loco iam citato.

Ministri Electorales in Colloq. Aldeburg. Scripto 7. pa. 293. ita loquuntur: *Scripsit Amsdorffius, & post eum vel per eum Flaccius Non solum non necessaria, sed & pernitiosa esse opera ad salutem.* *Pernitiosa.* Quod etiam habent Scripto 6. pag. 120. Vbi pag. 121. inquiunt, quòd Amsdorffius librum edidit *cui titulus est: Bona opera nocere saluti.* Et addunt: *Ne autem dicat aliquis, Amsdorffium hoc de fiducia tantùm operum sensisse & dixisse, ipsemet declarat, cùm inquit: Quòd bona opera etiam secundum naturam & substantiam suam, sicuti à Deo mandata sunt, ad salutem sunt perniciosa.* *Opera secundũ suã naturam pernitiosa ad salutẽ.* Hutterus etiam in Analysi Confess. Augustanæ Disput. 13. pag. 411. inquit: *Nonnulli* (Protestantes) *asserebant bona opera ad salutem esse perniciosa siue noxia.* Idemque fatetur liber Concordiæ cap. 4. pag. 699. Adamus Francisci in Margarita Theol. loco 10. pag. 117. & Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 15. pag. 159.

Lex inutilis ad iustificationẽ. Lubeccenses apud Scusselburg. to. 7. Catalo. Hæret. pag. 607. *Lex non solum non est necessaria ad iustificationem, sed planè inutilis.*

Gerlachius to. 2. Disput. 14. pag. 556. *Lex moralis iam post lapsum, ad iustificandum & saluandum adeo inutilis est*, vt &c. Ita Lutherani.

Caluinus in Respons. ad Sadoletum pag. 126. *Certè in homine iustificando negamus* (opera) *vel pilum vnum valere*. Item. *Opera bona in homine iustificando negamus vllas habere partes*. Et in Romanos 8. v. 3. *Lex nihil prorsus habet momenti ad conferendam iustitiam*.

Opera ne pilum valent ad iustificationē

Nullas habēt partes.

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 41. *In nobis iustificandis nullam omnino Dominus operum nostrorum rationem habet*.

Nulla habetur ratio operum.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. anno 1610. pag. 1143. *Omnes qui putant bona opera iuuare aut prodesse quicquam ad assequendum donum salutis æternæ, blasphemant contra Deum, & spoliant eum suo honore*. Idque approbat Foxus.

Nō prosunt quicquam.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd pietas est vtilis ad omnia, Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd opera non iuuant ad iustificationem, ne pilum valent, nullas ibi habent partes, nulla est eorum ratio, nihil ad iustificationem conferunt. quòd nō sunt salutaria, nihil efficiunt ad salutem, non prosunt quicquam ad salutem: quòd non possunt iuuare, nihil prosunt, nihil cōmodant, nihil efficiunt; quòd sunt inutilia, imo perniciosa ad iustitiam & salutem.

ART. XV. AN BONA OPERA SINT causa salutis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 25. v. 23. *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*. Et v. 34. *Possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi; Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*.

Gaudium propter fidelitatem.

Regnum quia bene egerunt.

Rom. 8. vers. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem*.

2. Cor. 4. v. 17. *Quod in præsenti est momentaneū & leue tribula-*

Tribulatio operatur pondus gloriæ.

PROTESTANTES.

Opera æqualia apud Deũ.

Lutherus lib. de votis to. 2. fol. 291. *Nihil inter opera discernamus, æqualia sunt apud Deum, quæ magna & parua sunt apud nos & inter sese.* In psalmum 14. to. 3. fol 254. *In fide omnia opera sunt æqualia.* Item: *Credenti enim Deo idem est siue ieiunet siue oret, siue fratri seruiat. In omnibus enim Deo se seruire nouit & placere æqualiter, siue magna siue parua sint opera, pretiosa siuè vilia, breuia siue longa.* De bonis operibus to. 5. fol. 578. *In hac fide omnia opera fiunt paria & æqualia. Tum concidit omnis differentia operum, siue magna sint siue parua, siue longa siue breuia, siue multa, siue pauca. Nam opera Deo sunt grata non in se ipsis, sed propter fidem.* Ibidem in cap. 3. Petri fol. 468. ait, *Coram Deo nullum opus alteri præstare, sed per fidem omnia æquari.* Sic etiam serm. in Hebr. 11. tomo. 7. fol. 280.

Aequaliter placent Deo.

Nulla differentia operum.

Nullum opus alteri præstat.

Idem, esse sutorem & Apostolũ.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. p. 1138. *Mingere, scutellas lauare, sutorem aut Apostolum esse idem est: Perinde est scutellas lauare & prædicare, quantum ad hoc quod est placere Deo.*

Confessio Heluetica cap. 29. *Est certissimum, opera illa quæ in vera fide fiunt aparentibus per coniugij officia & œconomiam placere Deo, non minus quàm preces, ieiunia, atque eleemosynas.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd in mandatis diuinis est maximum: quòd in operibus est optima pars, bonum & melius, maius & excellentius. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd apud Deum omnia opera sunt æqualia, coram Deo nullum opus præstat alteri, Deo omnia æqualiter placent, quòd lauare scutellas perinde placet Deo ac prædicare.

ART. XI. AN OMNIA BONA OPERA sint præcepta à Deo?

Consilium non præceptum de virginitate.

Licitũ nubere vel nõ nubere.

NEGAT SCRIPTVRA.

1 Corinth. 7. v. 25. *De virginibus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Et v. 36. *Si quis turpem se videri existimet super virgine sua, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat, non peccat si nubat.*

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 8. *Sententia est Catholicorum omnium, multa esse verè & propriè consilia Euangelica, quæ nec sint præcepta nec indifferentia, sed Deo grata & ab illo commendata.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus lib. de votis tom. 2. fol. 272. *Religiosis persuasa est hæc sacrilega & blasphema sententia de Consiliis & præceptis.* Itē: *Consilia quæ illi fingunt, fermè sunt quæ Christus Matth. 5. docet, his adde virginitatem & continentiam. Esse autem hæc omnia non consilia sed necessaria mandata, primum hoc probat* &c. Tomo 4. in cap. 9. Isaiæ fol. 109. *Turca melior est istis, qui horrendum hunc errorem de Consilijs inuexerunt.* Et de bonis operibus to. 5. fol. 577. *Nullum est bonum opus, nisi quod Deus præcepit.* *Blasphemū ponere cōsilia. Consilia omnia sunt præcepta. Nullum bonum nisi præceptū.*

Hutterus in Analysi Confe. Augustanæ pag. 413. *Non igitur opera verè bona dici vel possunt vel debent, nisi quæ à Deo sunt mandata.* Et pag. 415. *Facessat execranda illa amentia, quam in constituendis præceptis & consilijs Euangelicis Sophistæ Pontificij audacissimè prodiderunt.* *Execranda amentia ponere Cōsilia.*

Caluinus 4. Instit. cap. 13. §. 12. *Nulla est vocula à Christo emissa, cui non sit necessario obtemperandum.* Et in 1. Corinth. 9. v. 18. *Nullum fatemur esse bonum opus nec Deo acceptum, quod lege Dei comprehensum non sit.*

Beza in 1. Corinth. 7. v. 25. *Discrimen illud falsum inter præceptum & consilium libens refugio.*

Danæus Controu. 5. p. 949. *Non sunt alia consilia, alia præcepta.*

Volanus lib. 1. contra Scargam pag. 1005. *Quæ consilia isti vocant Christi, seria ipsius esse mandata quibus omnes obtemperare necesse est, Christus ipse apertè docet.*

Polanus in Disput. Priuatis Disp. 18. *Consilia in verbo Dei à præceptis distincta nulla sunt.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd virginitas non est præcepta à Deo sed consulta ab Apostolo; quòd quis posset nuptui virginē tradere aut non tradere, prout vult. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nullum sit bonum opus quod non sit præceptum à Deo: quòd virginitas sit necessariò mandata: quòd consilia nō distinguuntur à præceptis, sed ipsamet sunt præcepta: quòd sunt amentes, deteriores Turcis, & blasphemi, qui distingunt inter Consilia & præcepta. Quæ tam apertè repugnant Scripturæ, vt aliqui Protest. id agnoscant l. 2. c. vltimo.

ART. XII. AN BONA OPERA SINT necessaria ad iustificationem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Dimissio hominibus necessaria ad iustificationem.

MAtth. 6. v. 15. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Idem Marci 11. v. 26.

Ioan. 15. v. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6 canon. 9. *Si quis dixerit impium sola fide iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam cooperetur, & nulla ex parte necesse cum suæ voluntatis motu disponi ac præparari, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Remissio promissa nulla habēti opera.

Præsentia operum nō necessaria ad iustificationem.

Non opus operibus ad iustitiam.

Apologia Confess. Augustanæ Vvittembergæ in 8. fol. 60. *Nonne Euangelium pollicetur etiam ijs remissionem peccatorum & salutem, qui nulla habent prorsus bona opera?* Liber Cōcordiæ Lutheranorum in Declaratione Artic. Augustanorum cap. 3. pag. 793. *Falsum est, si quis dicat fidem non posse iustificare sine operibus, vel fidei vt iustificet, necessariam esse præsentiam bonorum operum: aut ad iustificationem, vel in articulo iustificationis necessariam esse præsentiam bonorum operum.*

Lutherus de libertate Christiana to. 2. fol. 5. *Fides nostra facit, ne cuiquam opus sit lege aut operibus ad iustitiam & salutem.* Et fol. 6. *Christianus nullis operibus ad hoc indiget, vt iustus & saluus sit.* Et Postilla in Dominicam post Natale. *Ad iustificationem nihil aliud, quàm audire & credere Iesum Christum nostrum Saluatorem, requiritur.*

Ministri Saxonici in Colloq. Aldeburgico edit. Iennæ fol.

fol.192: & Lypsiæ p.164. *Quicunque docet in Articulo iustificationis bona nostra opera necessitate præsentiæ esse necessaria, is à verbo Dei confessione & Apologia Augustana & Scriptis Lutheri deuiat.* *Opera non necessaria necessitate præsentiæ.*

Herbrandus in Compendio theol. loco de Iustificat. pag. 297. *Quid excludit particula, Sola? Non tantùm opera à causa iustificationis efficiente, dignitate, ac merito, verùm etiam à causa sine qua non, itque adeo ab omni necessitate præsentiæ in actu iustificationis. Nam sine operibus peccator in Christum credens iustificatur, Alias semper esset incerta & ita dubitandum.* Et pag. seq. *Ad iustificationem non est opus vlla alia re nisi sola fide.* *Non necessaria necessitate præsentiæ.*

Kemnitius apud Schusselburg. tom. 7. Catal. Hæret. pag. 711. *Neminem posse iustificari qui non habeat bona opera, falsum est, & pugnat cum ipsa Apologia.* Et 716. *Si dicam, fidem non iustificare, nisi habeat bona opera actu præsentia, falsum est.* *Fides iustificat sine præsentia operum.*

Morlinus apud eundem ibidem pag. 171. *Falsa est simpliciter propositio: Operum præsentiam quomodocunque necessariā esse in actu iustificationis.* Et 173. *Stat pro inuicta veritate, si reputetur tanquam necessaria bonorum operum præsentia in actu iustificationis stercus esse & detrimentum.* Vide plura huiusmodi Lutheranorum dicta apud eundem tom. citato. *Operum præsentia non necessaria.*

Caluinus in Matth. 6. v. 12. *Venia, quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs, non dependet.* *Venia quā petimus non pendet ab ea quā damus.*

Rainoldus in Apologia Thesium pag. 263. *Bona opera ad iustificationem non requiruntur.*

Brentius in Epistolam Natalis Dom. pag. 383. *Christus nullum opus ad iustificationem præscripsit.* *Opera non requiruntur ad iustificationem.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus non dimittet peccata nostra si nos non dimiserimus hominibus: quòd manebimus in eius dilectione modò seruemus pręcepta sua. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd venia quam petimus non pendet ab ea quam præstamus: quòd promittitur remissio ijs qui nulla habent bona opera: quòd non est opus operibus ad iustitiam: quòd opera non requiruntur ad iustificationem, quòd Christianus nō indiget operibus vt iustus sit: quod ad

iustificationem non est necessaria præsentia operum: quòd præsentia operum non est quomodocunque necessaria in actu iustificationis: quòd si reputetur necessaria, est stercus & detrimentum: quòd sola fides excludit necessitatem præsentię operum quando iustificamur,

ARTIC. XIII. AN BONA OPERA SINT necessaria ad salutem?

Affirmat Scriptvra.

Iustitia necessaria ad regnum cœlorum.

MAtth. 5. v. 21. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Cap. 18. v. 3. *Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Et cap. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Patientia necessaria ad promissiones. Sine sanctimonia non videtur Deus.

Hebr. 10. v. 36. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Et cap. 12 v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

Affirmant Catholici.

Bellarminus lib. 4. de Iustificat. cap. 7. *Nos dicimus opera bona homini iusto esse necessaria ad salutem.*

Negant Protestantes.

Opera non necessaria ad salutẽ. Non docẽdum, opera esse necessaria ad salutem. Pseudo Apostolorum doctrina opera legis esse necessaria ad salutem.

Liber Concordiæ Lutheranorum in declarat. Articulorum cap. 4. pag. 704. *Propositiones illæ de necessitate bonorum operum ad salutem, perturbatis & afflictis conscientiis consolationẽ eripiunt, occasionem præbent dubitationis de gratia Dei, multis modis sunt periculosæ.* Pag. 705. *Propositiones illæ de bonis operibus ad salutem necessariis non sunt docendæ, defendendæ, pingendæ, sed potius ex Ecclesiis nostris vt falsæ & non sinceræ explodendæ atque reiiciendæ.* Et in Epitome Articulorum cap. 4. pag. 590. *Reiicimus & damnamus subsequentes Phrases cùm docetur:* Bona opera *esse necessaria ad salutem.* Idem docet Apologia Confess. Augustanæ verbis citatis Articulo præcedenti.

Lutherus in Galat. 1. to. 5. fol. 286. *Pseudo Apostoli docuerunt præter fidem in Christum opera legis diuinæ necessaria esse ad salutem.* Et vt refert Schusselburg. to. 7. Catalog. Hæret. pa.

312. *Formulam hanc:* Bona *opera sunt necessaria ad salutem, ex quorundam dictatis expungi deleri & abijci curauit, ac publicam de ea disputationem instituit, & in ea ex Ecclesijs per ipsum repurgatis eam reiectam ad forum Antichristi remisit.* Vel vt scribunt Illyricus & Gallus apud eundem ibidem pa. 567. *In publica disputatione Vuitembergæ anno 36. habita plus quinquies ingeminauit hanc vocem: propositionem, Bona opera esse necessaria ad salutem volumus damnatam, abrogatam, ex* Ecclesiis *& Scholis nostris penitus explosam.*

Expũgẽda. *Damnãda.*

Hunnius de Iustificat. pag. 187. *Hanc propositionem, qua prædicantur* (opera) *ad salutem necessaria, vtcunque pingatur ac fingatur, eliminandam censeo ex* Ecclesia.

Eliminãda vtcunque pingatur.

Lobechius Disputat. 9. p. 198. *Vt vt necessaria dicantur opera, nequaquam tamen ad salutem ea necessaria esse dicendum aut existimandum est —Vnde Lutherus graui consilio, & recto iudicio propositiones illas de necessitate bonorum operum ad salutem extra Ecclesiæ limites reiecit, ac tanquam pseudo-Apostolorum doctrinam redolentes lamnat.*

Reijciẽda.

Ministri S..xonici in Colloq. Aldelburg. pag. 6. & 7. Reijciunt hoc dogma: *Bona opera esse necessaria ad salutem.* Herbrandus in Compendio Theol. loco de Bonis operibus pag. 344. *Eliminentur hæ propositiones.* Bona *opera sunt necessaria ad salutem.*

Illyricus in claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 545. ait quòd *Scriptura tollit non tantùm meritum, sed & omnem præsentiã necessitatemque bonorũ operũ ad salutem.* Et præf. in Epist. ad Rom. *opera non sunt vlla ratione peccatori ad salutem necessaria.* Idem docet Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ art. 6. pag. 409. Adamus Francisci in Margarita Theol. loco. 10. pag. 114. & 117. Gesnerus in Compendio loco 23. pag. 491. Vrbanus Regius de noua & veteri doctrina tom. 2. fol. 20. Kemnitius in Exam. parte 1. tit. de fide pag. 292. & in locis parte 3. pag. 248. Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 5. fol. 49. & seq. & to. 7. Catal. Hæret. pag. 154. Vbi etiam refert multos Lutheranos damnantes doctrinam de Necessitate operum ad salutem, quorum aliqui eam vocant *pestiferum venenum*; aliqui *fundamentum omnium operum* Papalium *seu*

Satanæ doctrina.

Antichristi; alij *Satanæ doctrinam*. Vt Morlinus & Poach. to. 4. pag. 225. 229. Confessio Heluetica cap. 16. *Non sentimus bona opera ita ad salutem esse necessaria, vt absque illis nemo vnquam sit seruatus.* Atque huic confessioni subscripserunt Ministri Geneuenses, eamque comprobarunt omnes Ecclesię Angliæ, Scotiæ, Galliæ, Belgij, vt refert Syntagma Confessionum.

Vita sine conditione operum.

Caluinus in Antidoto Concilij sess. 6. can. 20. pag. 291. *In eo differt à lege Euangelium, quia non sub conditione operum sicut illa, sed ex fide vitam promittat.*

Opera non absolute necessaria.

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 12. pag. 815. *Vnde non esse* (opera) *absolutè necessaria ad salutem intelligitur.* lib. 4. cap. 1. pag. 932. *Etiam Latronem, qui toto vitæ cursu nihil boni fecerat, cùm in agone ad Christum confugeret, morte præuentum sine operibus saluatum existimamus.* Et cap. 2. pag. 951. *Sine ea* (noua obedientia) *promissio vitæ, rata esse potest credentibus.*

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. pag. 1143. *Non est necesse laborare, vt per bona opera assequamur vitam æternam, iam enim nunc eam tenemus.* Idque approbat Foxus ibidem. Kemnitius etiam in locis parte 2. tit. de Cœna pag. 203. tradit Bullingerum reijcere propositionem de necessitate bonorum operum ad salutem. Eandem reijcit Author Præfationis in Lutherum in Epist. ad Galatas Anglicè versum, Paræus in Colleg. Theol. 3. disput. 12. Et colleg. 6. disput. 12. ait, quòd ambigue & lubrice dicitur opera esse necessaria ad salutem. Et in Galat. 6. lect. 73. ait: *Retinebant dogmata non pauca cum Euangelio pugnantia, de septem Sacramentis, de operibus ad salutem necessariis, &c.*

Necessitas operum ad salutem pugnat cũ Euangelio.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd patientia est necessaria vt reportemus promissiones: quòd sine Sanctimonia nemo Deum videbit; quòd nisi iustitia nostra sit maior quàm Pharisæorum, non intrabimus in Regnum cœlorum: quòd si volumus ad vitam ingredi, seruanda sunt mandata. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd opera non sunt necessaria ad salutem, non absolutè necessaria: quòd latro sine operibus

sit saluatus: quòd Euangelium promittat salutem sine conditione operum: quòd doctrina de necessitate operum ad salutem sit damnanda, explodenda, periculosa, sit doctrina pseudo Apostolorum, Antichristi, & Satharæ. Quæ tam apertè pugnant cum Scriptura, vt multi Protestantes id palam fateantur, vti patebit lib. 2. cap. vlt.

ART. XIV. AN BONA OPERA SINT vtilia ad iustitiam & salutem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. TImoth. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* Idem docet, cum tradit opera esse necessaria ad iustificationem & salutem, vt iam vidimus imo esse causam salutis, vt articulo sequenti videbimus. *Pietas vtilis ad omnia etiam ad futurā vitam.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos cap. de Oratione: *Sacris precibus placatum reddimus Deum, eleemosyna redimimus hominum offensiones, ieiunio propriæ vitæ sordes eluimus. Et quanquam singula prosint ad omnium scelerum genera, tamen propriè singulis ijs peccatis quæ diximus apposita & accommodata sunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Argentinensis cap. 3. *Liquet opera nostra ad hoc, vt iusti ex iniustis euadamus, nihil posse conferre.* *Opera nihil conferunt vt iustificemur.*

Belgica art. 24. *Opera à sincera fidei radice emanantia ad nos iustificandos nullius sunt prorsus momenti.* *Nullius prorsus momenti.*

Apologia Anglica: *Dicimus nihil nobis esse præsidij in operibus & factis nostris.* *Nihil præsidij in operibus.*

Lutherus de Votis tom. 2. fol. 279. *Docuisse ea* (opera) *salutaria, est Dæmoniacum & Apostaticum à fide, cum sola fides sit necessaria & salutaris.* In 1. Petri 1. tom. 5. fol. 453. *Quæ omnia eò pertinent, vt discamus operibus nos iuuari non posse.* In cap. 40. Isaiæ apud Schusselburg. tom. 7. Catalog. Hæret. fol. 320. *Cùm damnantur bona opera, sic damnantur, tanquam ad iustitiam Christianam (sic & ad salutem) inutilia.* Postilla in Dominicam 3. post Pascha fol. 257. *Nec vlla eò* (ad iustificationē) *in-* *Dæmoniacum, docere opera esse salutaria.* *Non iuuamur operibus.* *Sunt inutilia ad iustitiam & salutem.*

Gerlachius to. 2. Disput. 14. pag. 556. *Lex moralis iam post lapsum, ad iustificandum & saluandum adeo inutilis est*, vt &c. Ita Lutherani.

Caluinus in Respons. ad Sadoletum pag. 126. *Certè in homine iustificando negamus* (opera) *vel pilum vnum valere*. Item. *Opera bona in homine iustificando negamus vllas habere partes*. Et in Romanos 8. v. 3. *Lex nihil prorsus habet momenti ad conferendam iustitiam.*

Opera ne pilum valent ad iustificationẽ. Nullas habẽt partes.

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 41. *In nobis iustificandis nullam omnino Dominus operum nostrorum rationem habet.*

Nulla habetur ratio operum.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. anno 1610. pag. 1143. *Omnes qui putant bona opera iuuare aut prodesse quicquam ad assequendum donum salutis æternæ, blasphemant contra Deum, & spoliant eum suo honore.* Idque approbat Foxus.

Nõ prosunt quicquam.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd pietas est vtilis ad omnia, Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd opera non iuuant ad iustificationem, ne pilum valent, nullas ibi habent partes, nulla est eorum ratio, nihil ad iustificationem conferunt. quòd nõ sunt salutaria, nihil efficiunt ad salutem, non prosunt quicquam ad salutem: quòd non possunt iuuare, nihil prosunt, nihil cõmodant, nihil efficiunt; quòd sunt inutilia, imo perniciosa ad iustitiam & salutem.

ART. XV. AN BONA OPERA SINT causa salutis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 25. v. 23. *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Et v. 34. *Possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi; Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.*

Gaudium propter fidelitatem. Regnum quia bene egerunt.

Rom. 8. vers. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuit propter iustificationem.*

2. Cor. 4. v. 17. *Quod in præsenti est momentaneũ & leue tribula-*

Tribulatio operatur pondus gloriæ.

tionis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et cap. 6. vers. 10. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.*

Vita æterna metitur de spiritu. Galat. 6. v. 8. *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui seminat in Spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

Philippens. 1. v. 28. *Et in nullo terreamini ab aduersariis, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.* Et cap. 2. v. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* *Operamur salutem.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 8. de Iustificat. cap. 34. *Bona opera sunt verè & propriè causæ vel reconciliationis vel salutis æternæ.*

NEGANT PROTESTANTES.

Vita æterna non donatur propter opera. Lutherus in Galat. 2. to. 5. fol. 308. *Hoc modo liberamur à peccato, iustificamur, & donatur nobis vita æterna, non propter nostra merita & opera, sed propter fidem.* In Catechismo ibidem fol. 687. *Sanè nostra opera ad salutem nihil faciunt.* *Opera nihil faciunt ad salutem.*

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 547. *Nemo propter sua opera saluabitur.*

Nemo saluatur propter opera. Schusselburg. to. 8. Catal. Hæret. pag. 488. *Phrasis: Operari salutem, hic* (Philippens. 2. citat) *nequaquam significat iustitiam apud Deum & vitam æternam promereri, sed significat prosperitatem in hac vita consequi.*

Salus non contingit propter opera. Herbrandus in compendio Theol. loco de Bonis operibus pag. 343. *Ipsa vita æterna gratis nobis contingit per Christum, & non propter bona nostra opera.* Similiter Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 15. & 22.

Non depẽdet à confessione. Hunnius de Iustificat. pa. 286. *Salus non dependet à Confessione oris.* Ita Lutherani.

Opera non saluant. Zuinglius in Ioan. 5. to. 4. pag. 302. *Opera non saluant, non iustificant.*

Salus non euenit per opera. Caluinus in Roman. 4. v. 16. *Si per opera nobis eueniat hæreditas salutis, collabetur eius fides, abrogabitur eius promissio.* In Philippens. 1. v. 28. *Nusquam certè Scriptura docet afflictiones quas Sancti ferunt ab impijs, causam esse salutis ipsorum.* Sic etiam in 2. Corinth. 4. v. 17. cit. & in cap. 7. v. 10. citat. *Afflictio nõ est causa salutis.*

Beza in sua Confessione cap. 4. sect. 19. *Neque enim hæc ita*

ita accipienda sunt, quasi opera nostra sint causa nostræ salutis vel in solidum vel aliqua ex parte.

Opera nulla ex parte causa salutis.

Petrus Martyr in Rom. 9. pag, 349. in folio : *Opera bona non sunt veræ causæ felicitatis æternæ.*

Zanchius lib. 5. de Natura Dei cap. 2. qu. 7. to. 2. col. 547. *Piorum opera bona non sunt veræ causæ salutis felicitatisque æternæ, sed tantùm media per quæ tanquam per gradus electi in æternam cœlestemque ciuitatem misericorditer deducantur.*

Tantùm media.

Vvitakerus lib. 2. de Scriptura cap. 4. sect. 5. pag. 231. *Iusti non propter opera iustitiæ quæ fecerunt remunerantur.*

Nō remunerantur propter opera.

Perkinsus in serie Causarum cap. 57. tom. 1. col. 111. *Pendet salus, non ex operibus, vel fide nostra.*

Scharpius de Iustificat. Contr. 11. p. 169. *Nos asserimus opera nullo modo salutem efficere.*

Riuettus in Contr. tract. 3. sect. 39. p. 981. *Merces datur post obedientiam nostram, non propter eam.*

Paræus lib. 4. de Iust. c. 7. pag. 1039. *Falsum concludit aduersarius, propter opera bona dari regnum Cœlorum.*

Tilenus in Syntagmate c. 48. p. 541. *Bona opera respectu salutis causam nullam prorsus habere possunt.*

COLLATIO.

Scriptura non solum docet, quòd possidebimus Regnū Cœlorum quia bona fecimus, quòd de spiritu metemus vitam æternam, quòd Spiritus viuit propter iustificationem, quòd tristitia secundùm Deum operatur salutem, quòd tribulatio operatur gloriam, & sit causa salutis: sed etiam eodem omnino loquendi modo dicit Beatos possessuros Regnum Cœlorum, quia bona egerunt, quo dicit reprobos ituros in ignem æternum quia mala fecerunt : eodem modo dicit Spiritum viuere propter iustificationem, quo dicit corpus mori propter peccatum. Ita dicit tristitiam secundùm Deum operari salutem, sicut dicit tristitiam sæculi operari mortem : Ita dicit de seminatione in Spiritu meti vitam æternam, sicut dicit de seminatione in carne meti corruptionem: ita ait persecutionem esse causam salutis ijs qui patiuntur, sicut dicit eam esse causam perditionis ijs qui eam inferunt. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd afflictio non est causa salutis: quòd per bona opera non euenit nobis salus; quòd non propter opera donatur vita, non propter opera remuneramur, non propter opera saluamur: quòd salus non pendet ex operibus: quòd opera nullo modo efficiunt salutem, nulla prorsus sunt causa illius, vel in solidum vel aliqua ex parte. Quæ ita apertè contradicunt Scripturæ, vt Illyricus eam falsitatis hac in re arguat. Sic enim scribit tract. 6. cit. tit. de varia bonorum operum prædicatione col. 551. B*onis operibus nimios quosdam effectus aut laudes, atq; adeo ipsam salutẽ* (in Scripturis) *tribui audimus—liquidò patet, sæpissimè aliquid nimiæ laudis bonis operibus ascribi, quod illis nequaquam conuenit, nec adscribendũ est, si exactè, verè, ac propriè loquendum est.* En vt dicat, quòd Scriptura tribuat nimios effectus bonis operibus, tribuat eis ipsam salutem, tribuat eis nimias laudes, & effectus qui operibus nõ conueniunt, nec tribui possunt, si verè loquendum sit: Si autem Scriptura & tribuit nimium operibus, & quæ ijs non conueniunt, & quę tribuenda non sunt si verè loquendum est, an non Scriptura falsò attribuit?

Protestãtes accusant Scripturã falsitatis.

ART. XVI. AN BONA OPERA SINT testimonium iustitiæ & Electionis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. IOan. 2. v. 5. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est; & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.* Cap. 3. v. 14. *Non scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et v. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

2. Petri 1. v. 10. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Ex operibus scimus nos esse in Deo. Scimus nos esse in vita. Fiducia ex innocentia seu bona consciẽtia. Electio fit certa per opera.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Rom. 9. v. 11. *Si Petro credimus, salutis nostræ atque adeo electionis ipsius certitudo in bonorum operum studio, non in solo Dei proposito est conclusa.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Vuirtembergensis cap. de Confessione: *Non*

ignoramus quidem, quòd si opera nostra respicimus, non tantùm nobis dubitandum, verum etiam de salute nostra desperandum sit.

Desperandum si respiciamus opera.

Ministri Electorales in Colloq. Aldeburg. pag. 427. *Certò statuendum est ex verbo Dei nobis tradito & proposito, non ex sensu infusæ nouitatis tanquam à posteriori, nos fide gratis per & propter Christum habere remissionem peccatorum.* Ita Lutherani.

Caluinus 3. Instit. cap. 2. §. 38. *Si ab operibus æstimandum sit qualiter affectus sit erga nos Dominus, id ne tenui quidem coniectura assequi nos posse fateor.* De Necessitate Reformat. Ecclesiæ pag. 47. *Quid in operibus suis reperiet homo, nisi dubitandi & tandem desperandi materiam?* In Antidoto Concilij sess. 6. cap. 8. pag. 279. *Quandiu respicimus quales sumus, necesse est nos coram Deo trepidare: tantum abest vt certa & inconcussa vitæ æternæ fiducia nobis constet.* In Rom. 4. v. 14. *Deplorati ac perditi sumus, si relegamur ad opera dum quærenda est salutis causa vel certitudo.* Et in 1. Ioan. 3. v. 22. *Væ nobis, si ad opera respicimus, quæ nihil quàm trepidationis materiam in se habent.*

Nec tenuis coniectura haberi potest ex operibus.

Nihil in operibus nisi materia desperandi.

Perditi sumus si certitudo salutis quæritur ex operibus.

Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 10. pag. 161. *Fiducia remissionis peccatorum neque pendet, neque nascitur ex bona conscientia.* Lib. 3. cap. 2. p. 612. *Ex nostra dispositione fides & fiducia nostra nihil gignit, nisi formidinem deceptionis, dubitationem, anxietatem.* Et cap. 4. pag. 625. *Concedimus vltro, siquidem inhærente iustitia fides niti debeat, de gratia & iustitia non modò dubitandum sed perpetuò trepidandum.*

Fiducia nō pendet ex bona conscientia.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd scimus nos esse in Deo ex obseruatione verbi eius; quòd scimus nos esse translatos ad vitam quia diligimus fratres: quòd fiduciam habemus ad Deum si cor nostrum non reprehendat nos: quòd certam facimus vocationem & electionem nostram per bona opera. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd ex operibus non constat nobis certa fiducia: quòd fiducia nec nascitur nec pendet à bona conscientia: quòd ex operibus ne tenui coniectura possumus assequi qualiter Deus afficiatur erga nos: quòd sumus perditi, si ex operibus quæramus certitudinem salutis: quòd in operibus nihil reperitur nisi dubitandi & desperandi mate-

ria, & si ea respicimus, non tantùm nobis dubitandum, verùm etiam de salute desperandum sit.

ART. XVII. AN BONA OPERA SINT causa cur Deus nos amat?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Pater amat nos quia amamus Christum.

IOan.16.vers.27. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis quia ego à Deo exiui.* Et cap.15.v.10. *Si præcepta mea, seruaueritis, manebitis in dilectione mea.*

Operans iustitiã est acceptus Deo.

Actor.10.v.35: *In omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Ioan.16.v.27. *Christus manifestè ponit discipulorum amorem causam esse, cur hoc amoris* (consequentis) *genere Deus illos amet.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non amamur à Deo quia amamus Christum.

Caluinus in Ioan.15.vers.10. citat. *Obedientia, quam illi præstant fideles, non tam causa est cur suum erga eos amorem continuet, quàm amoris effectus.* Et in Ioan. 16. v. 27. cit. *Dicimur hic amari à Deo dum Christum diligimus, quia pignus habemus paternæ eius dilectionis.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus nos amat quia amamus & credimus in Christum; quòd continuat amorem erga nos, si seruamus mandata. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd obedientia nostra non est causa cur Deus continuat amorem erga nos; quòd non amamur à Deo quia diligimus Christum.

ART. XVIII. AN DEBEAMVS FACERE bona opera?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Debemus facere præcepta.

LVcæ 17.vers.10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

1. Ioan. 2. verſ. 6. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.* Cap. 3. verſ. 16. *Nos debemus pro fratribus animas ponere*; Et cap. 4. v. 11. *Nos debemus alterutrum diligere.*

Debemus ambulare ſicut Chriſtus.

Debemus alterutrum diligere.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident ſeſſ. 6. canon. 20. *Si quis hominem iuſtificatum & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſeruationem mandatorum Dei & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum, anathema ſit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus Poſtilla in Dominicam 3. Aduentus fol. 39. *Omnia præter fidem opera proximo exhibenda ſunt, quòd Deus nullum præter fidem (quo ipſi ſuum honorem tribuimus) à nobis requirat.* In Galat. 2. to. 5. fol. 223. *Chriſtus legis opera ſic abrogauit, vt indifferenter ea haberi poßint: non autem amplius cogant.* Item: *Nulli prorſus vni externo operi ſumus alligati, ſed liberi in quodlibet ad quemlibet quocunque tempore & modo —— Chriſtianus ad omnia prorſus indifferens eſt, faciens aut omittens ſicut ad manum ſe res obtulerit aut abſtulerit.* In pſalm. 5. to. 3. fol. 171. *Hic tibi ſit canon: vbi Scriptura præcipit bonum opus fieri, ſic intelligas, quod prohibet te facere bonum opus cū id non poßis: ſed vt ſabbathum Deo ſanctifices, mortuus ſis ac ſepultus, ſinaſque Deum in te operari.* Idem apud Kemnitium in locis parte 2. tit. de Operibus renatorum pag. 73. *Iſta legalis phraſis non pertinet ad Chriſtianos: Fidelis debet bona opera facere.*

Deus nihil à nobis requirit præter fidem.

Opera haberi poſſunt indifferenter.

Liberi ſumus ad quodlibet opus.

Fidelis nō debet bona opera facere.

Miniſtri Electorales in Colloq. Aldeburg. pag. 286. ſic ſcribunt: *Gallus affirmauit* Lutherum *ægrè ferre potuiſſe has propoſitiones: Bona opera ſunt neceſſaria: Chriſtianus debet bona opera facere.* Et pag. 118. *Gallus, Otto, & multi alij homines propoſitionem: Bona opera ſunt neceſſaria, palam & acerbè tanquam falſam & impropriam reijciunt: ac negant rectè dici: Chriſtiani debent bona opera facere.*

Chriſtianus nō debet bona opera facere.

Bona opera non neceſſaria.

Liber Concordiæ cap. 4. de bonis operibus pag. 699. ita habet: *A quibuſdam diſputatum fuit: quòd bona opera non neceſſaria, ſed libera & ſpontanea ſint. Et à quibuſdam acriter pugnatum eſt, nouam obedientiam in renatis non eſſe neceſſariam.* Melancthon etiam in Reſponſ. ad Articulum Bauar. 24. tom. 4.

Noua obedientia in renatis non neceſſaria.

Nō debita. fol. 375. *Quidam hanc propositionem negant:* **Noua obedientia est debitum, quia sit spontanea.**

Illyricus apud Schusselburg. to. 7. Catal. pag. 271. damnat Maiorem, quòd dicat *Bona opera esse necessaria ad salutem ratione debiti.* Et in Apologia contra Tiletanum cap. 6. pag. 139. inquit: T*ota obedientia quam Christus à saluandis propriè requirit, est tantùm credere in illum, & ad gratuitas epulas, quò ab illo inuitamur, currere.* Ita Lutherani.

Non necessaria ratione debiti.

Christus requirit tantū credere.

Zuinglius de vera & falsa Religione cap. de merito pag. 333. in octauo: P*rophetæ ad bona opera vehementer vrgent; sed quos, malè fideles.*

Mali fideles vrgētur ad bona opera.

Caluinus in Ioan. 6. v. 29. *Hoc vnum à nobis Deus postulat, vt credamus.*

Deus tantū postulat vt credamus.

Tindallus apud Reginaldum lib. 4. Caluino Turcismi cap. 22. N*ihil debes Deo nisi fidem, vt confitearis Christum Iesum, & credas eum surrexisse à mortuis. Sic enim saluus eris, in alijs omnibus Deus liberum tibi fecit, vt sequaris voluntatem tuam.*

Nihil Deo debemus nisi fidem.

In alijs liberum nobis sequi voluntatē.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd debemus facere quæ præcepta sunt nobis, debemus ambulare sicut Christus ambulauit, debemus pro fratribus animas ponere, debemus alterutrum diligere. Eadem Catholici

Protestantes dicunt, quòd bona opera legis haberi possunt indifferenter: quòd sunt libera, spontanea, non necessaria, non amplius cogunt: quòd Christianus est indifferens ad omnia bona opera, non alligatur vlli externo operi: quòd fidelis non debet facere bona opera, Christianus non debet facere bona opera: quòd bona opera non sunt necessaria ratione debiti, noua obedientia non debita, quòd tota obedientia quā Deus requirit à nobis sit tantùm credere, nihil requirit præter fidem, hoc vnum postulat vt credamus: quòd soli mali fideles vrgentur ad bona opera: quòd nihil debemus Deo nisi fidem, in alijs omnibus nobis liberum est sequi voluntatem nostram: quòd cum Scriptura iubet bonum opus fieri, intelligendum sit quòd prohibet nos id facere.

ARTI. XIX. AN BONA OPERA FIERI possunt propter retributionem?

Affirmat Scriptura.

PSalmo. 118. v. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem:* Hebr. 11. vers. 26 *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ* Pharaonis, *magis eligens affligi cum populo Dei quàm &c. Aspiciebat enim in remunerationem.* Et cap. 12. v. 2. *Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* *Propter retributionem. Propter remunerationem. Propter gaudium.*

1. Corinth. 9. v. 25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* *Propter coronam.*

Affirmant Catholici.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 11. *Constat eos Orthodoxæ Religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc vt inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Negant Protestantes.

Apologia Confess. Augustanæ cap. 20. *Paulus tota voce damnat omnia opera, si ita obseruentur vt propter ea consequamur vitam æternam.*

Lutherus de libertate Christiana tom. 2. fol. 10. *Si quippiã voles orare, ieiunare &c. caue facias eo fine quo tibi aliquid commodi siue temporalis siue æterni pares.* *Non facienda bona propter commodũ æternum.*

Ibidem de Seruo Arbitrio fol. 453. *Quin si bonum operarentur propter regnum obtinendum, nunquam obtinerent, & ad impios potius pertinerent, qui oculo nequam & mercenario ea quæ sua sunt quærunt etiam in Deo.* Et Postilla in Dominic. 9. post Trinitatem fol. 304. ait, non *esse facienda bona opera æternæ vitæ causa.* Et 306. *Quòd omnia opera gratis prorsùs fieri debeant, nihilque inde cõmodi aut fructus quæri oporteat. Quomodo* (inquit) *quicquam pro hæreditate consequenda facere poterimus, quam anteà per fidẽ possidemus?* Et in Festo omnium Sanctorũ f. 441. *Non hæc* *Non propter regnũ. Non causâ vitæ æternæ.*

Non vt consequamur brauium. *de causa pietati studere debemus, vt brabium consequamur.* Idem docet Serm. in Hebr. 11. tomo 7. fol. 280. 281.

Sine respectu præmij. Vrbanus Regius in locis tom. 1. fol. 359. ait bona facienda, *nullo meriti aut præmii respectu.*

Non propter gaudia cœli. Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. pag. 1144. *Illi qui ob metum gehennæ vel propter gaudia cœli Deo seruiunt, præstāt cultum coactum, quem Deus non vult.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd possumus facere bona propter retributionem, propter remunerationem, propter gaudium, coronam incorruptam. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non licet facere bonum ob vllum commodum temporale vel æternum, non propter Regnum cœlorum, non propter gaudia Cœli, non causa vitæ æternæ, non pro hæreditate consequenda, non vt brauium consequamur, non præmij respectu.

ARTIC. XX. AN BONA OPERA SINT facienda propter gloriam Dei?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Omnia facienda in gloriā Dei. 1. CORinth. 10. v. 31. *Siue manducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Bona faciēda vt glorificetur Deus. Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in Cœlis est.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. citat. artic. præcedente docet bona opera facienda *in primis vt glorificetur Deus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nihil bonū quod non vtile proximo. Confessio Argentinensis cap. 6. *Inter Christiani hominis munera nihil omnino numerandum est, quod non momentum aliquod rationibus proximi afferat.* Idem habet Bucerus in Matth. 5. pag. 115.

Nihil ante oculos habendū nisi commodū proximi. Lutherus de libertate Christiana tom. 2. fol. 9. *In omnibus operibus suis* (Christianus) *ea debet opinione esse formatus & huc solum spectare, vt aliis seruiat & prosit in omnibus quæcunque fecerit*

rit, nihil ante oculos habens nisi necessitatem & commoditatem proximi. Et fol. 10. *Quodcunque opus non huc solùm dirigitur, vt fiat vel ad castigandum corpus, vel ad obsequium proximi modò contra Deum nihil postulet, non est bonum nec Christianum*: Ibidem lib. de Votis fol. 280. *Fidelis conscientia opera sua bona apprehendit & dictat esse facienda gratis, ad commodum solùm proximi, & ad exercendum corpus.* In 1. Petri 1. tom. 5. fol. 449. *Coram Deo vacandum ab operibus, erga proximum iis sedulo incumbendum.* Et Postilla in Dominic. 4. post Trinitatem fol. 289. *Ad vnum hominem veniunt dirigenda* (opera) *non ad Deum*: Et in Natale Domini fol. 56. cum dixisset, quòd ratio non posset inuenire suam doctrinam, subdens exemplum ait: *Quis apud se cogitare possit, nulla esse bona opera, nisi quæ proximo in commodum cedunt aut certè huc ordinantur?* Et in Dom. 14. Trinit. fol. 319. *Ea duntaxat bona sunt opera, quæ proximo inseruiunt & conducunt.* Neque mirum, quod nolint bona opera facienda esse vt glorificetur Deus, cum (vt supra vidimus) dicunt ijs Deum neque coli neque delectari: sed esse coram ipso fœtores, stercora, meras iniquitates, & peccata.

Opus faciendum solum ob proximum aut ob castigationẽ corporis.

Coram Deo vacandum ab operibus.

Opera non dirigenda ad Deum.

COLLATIO.

Scriptura disertè iubet, vt omnia faciamus in gloriã Dei, vt ita opera nostra faciamus vt Deus glorificetur. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd huc solum debemus spectare in operibus, nihil aliud ante oculos habere, quàm vt iuuemus proximum: quòd omne opus huc solùm dirigendum est vt per illud castigetur corpus aut iuuetur proximus: quòd non est numerandum inter officia Christiani nisi quod iuuat proximum; quòd coram Deo vacandum est ab operibus; quòd ad vnum hominem dirigenda sunt opera, non ad Deũ. Quæ pugnare cum Scriptura fatentur aliquando ipsi Protestantes, vt ostendimus l. 2. c. postremo.

SVMMA HVIVS CAPITIS
De bonis operibus in genere.

QVæ in hoc capite retulimus satis ostendunt, quòd Protestantes longè secus doceāt de bonis operibus quam Scriptura ac Catholici: Nam Scriptura vna cum Catholicis docet, quòd possunt bona opera fieri à peccatoribus: quòd bona opera iustorum sunt coram Deo suauis odor, bona, perfectè seu integrè bona, iusta siue iustitia, digna, meritoria, inæqualia, non omnia à Deo præcepta, vtilia & necessaria ad iustificationem & salutem, causa salutis, testimonium iustitiæ & electionis, & causa cur Deus nos amet: quòd debeamus facere bona opera, debeamus ea facere propter gloriam Dei & possemus etiam facere propter remunerationem. Quæ omnia negantur à Protestantibus.

Quot & quanta Protest. furantur ab operibus. Ostendunt etiam, quòd Protestantes in hac materia (si vsquam aliàs) fures agant & furentur: Nam ab operibus peccatorum fidelium furantur omnem bonitatem, & ab operibus fidelium iustorum furantur integram bonitatem, veram bonitatem, veram iustitiam, suauitatem, dignitatem, meritum coram Deo qui iudicat res secundum quod sunt; Furantur etiam eorum necessitatem & vtilitatem ad iustificationē vel salutem, causalitatem salutis vel amoris Dei erga nos, vim testandi iustificationem vel electionem nostram, obligationē nostram ea faciendi, & finem cuius gratia fieri debent, nempe remunerationem & gloriam Dei; adeoque tollunt è mundo omnem veram virtutem seu iustitiam, eiusque suauitatem, dignitatem, vtilitatem, efficacitatem, testificationem, & finē: & harum loco sufficiunt mera peccata, meras iniquitates, fœtores, stercora, insuauia Deo, indigna Deo, & nobis inutilia, imo noxia & perniciosa. Et nihilominus grauatè ferunt dici à nobis, quòd sint hostes bonorum operum vel contemptim loquantur de bonis operibus. At quî quæso possent contemptiùs loqui de bonis operibus, quàm ea appellando mala, peccata, mera peccata, meras iniquitates, meras pollutiones, fœtores, stercora in iudicio Dei, qui ea non iudicat

Confeßio Heluet. c.16. Caluin. 3. Instit. c. 16. §.1. Beza in Confess. c. 4. sect. 14. Martyr in Rom. 4. Paræus l. 5. de Iustif. cap. 1. Luther. in Galat. 2. fol. 295.

aliter quàm reuera sunt in seipsis? Qui possent esse maiores hostes bonorum operum, quàm ea tollendo è mundo, eorumque loco substituendo ipsorum contraria, scilicet mala opera, peccata? Atque hæc de bonis operibus in genere, sequitur de iisdem in particulari.



CAPVT XIV.

DE BONIS OPERIBVS IN PARTICVLARI.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN BONVM SIT NON nubere?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. CORINTH. 7. vers. 8. *Dico non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant sicut & ego.* Et vers. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere*: & vers. 26. *Bonum est homini sic esse.* *Bonum, nō nubere*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 9. *Paulus absolutè pronunciat bonum esse mulierem non tangere.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in 1. Corinth. 7. v. 1. citat. *Dominus malum vocat carere vxore.* Et in Genes. 2. vers. 18. *Putant multi suis rationibus conducere cælibatum, ideoque ne miseri sint à coniugio abstinent: His prauis suggestionibus Satanæ opponere discant fideles hanc Dei sententiam &c.* *Malum, carere vxore. Cælibatus, praua suggestio Satanæ.*

Non bonũ, nõ nubere.

Petrus Martyr in thesibus pag. 1002. *Non est bonum hominem esse solum, quia non iucundum, non honestum, neque vtile.*

Huic affine est, quòd dicunt malum esse vouere castitatem.

Votum castitatis, impium.

Zuinglius de vera & falsa religione cap. de votis: *Impia sunt omnia castitatis vota.*

Diabolica doctrina. Satanica.

Beza in Confessione cap. 5. sectione 39. *Votum perpetuæ continentiæ censemus cum Apostolo diabolicam esse doctrinam.* Et lib. de Diuortijs vol. 2. Theol. pa. 90. *Votum satanicum, perpetuæ continentiæ.*

Status abominationis.

Perkinsus in Galat. 2. to. 2. col. 82. *Vota perpetuæ continentiæ, paupertatis, & regularis obedientiæ, sunt re ipsa status abominationis.*

Rebellio in Deum.

Caluinus in Refutat. Catalani pag. 384. *Votum cœlibatus, rebellio est in Deum.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd sit bonum permanere cœlibem, & non tangere mulierem. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sit malum carere vxore: quod abstinere à coniugio sit praua suggestio Satanæ: quòd non sit bonum hominem esse solum: quòd votum castitatis, sit Impium, Satanicum, diabolicum, status abominationis, rebellio in Deum.

ARTI. II. AN VIRGINITAS SIT VIRtus, seu bonum honestum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Virginitas quid honestum.

1. COrinth. 7. v. 35. cùm Apostolus prius hortatus esset ad cœlibatum & virginitatem, ait: *Hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam: sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.* vers. 34. *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* v. 38. *Qui non iungit matrimonio virginem suam, melius facit.* Et v. 40. *Beatior erit, si sic permanserit.*

Sanctitas corpore & Spiritu. Quid melius. Beatius.

Matth. 19. v. 12. *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Cœlorum.* Et in locis articulo præcedente citatis: Virginitas seu cœlibatus absolutè dicitur *bonum.* *Expetenda propter regnum cœlorum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 2. 2. quæst. 152. artic. 3. *Virginitas est quædam specialis virtus, habens se ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem,*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ cap. 20. *Obedientia, paupertas, cœlibatus, exercitia sunt adiaphora.* *Cœlibatus quid adiaphorum.*

Bidenbachius in Consensu Iesuitarum & Christianorum pag. 769. *Nos sentimus virginitatem, viduitatem, coniugium nihil esse.* Sic Lutherani. *Virginitas nihil est.*

Caluinus in 1. Timoth. 5. v. 12. *Sub Papatu vouetur continentia, quasi virtus per se accepta esset Deo.* In Matth. 19. v. 12. *Stulta est imaginatio, cœlibatum esse virtutem, quia non magis quàm ieiunium per se Deo placet, nec inter obsequia, quæ à nobis requirit, censeri meretur.* Et de vera Eccles. Reform. pag. 321. *Neque enim virginitas, quasi per se virtus sit, laudatur.* *Non per se accepta Deo.* *Nõ virtus.* *Non requisita à Deo.*

Beza in Confess. cap. 4. sect. 16. *Tertium est quoddam operum genus, quæ suapte natura nec bona sunt propriè nec mala. Huius generis est ieiunium, sobrietas, itemque retinendæ virginitatis studium in his quæ habent continentiæ donum.* Et cap. 5. sect. 39. *Nec virginitatem nec matrimonium habemus in earum rerum numero, quæ simpliciter & per se nos reddant meliores & Deo gratiores.* *Nõ suapte natura bona.*

Danæus Controu. 5. pag. 1045. *Virginitas non est virtus, sed res indifferens.* *Nõ virtus.*

VVitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 41. *Virginitas non ἁπλῶς bona est.* Item: *Qui possunt castitatem virginalem perpetuò conseruare, ijs virginitas expetenda est, non omnino, sed propter molestias illas quæ matrimonium plerunque consequuntur.* *Non ἁπλῶς bona.* *Non expetenda omnino.*

Tindallus apud Foxum in Actis pag. 1141. *Obseruatio Virginitatis & castitatis Religiosorum, est res diabolica.* Atque hinc est, quòd quando Apostolus vocat cœlibatum *bonum* græcè καλόν, nolunt illud intelligi de bono honesto, sed tantum de commodo seu vtili. Ita Lutherus, Zuinglius, Bullingerus, & alij in 1. Corinth. 7. *Virginitas religiosorũ, diabolica.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd virginitas sit quid honestum: quòd sit sanctitas corpore & spiritu: quod sit melior & beatior matrimonio, & simpliciter ait quòd sit bonum, & appetenda propter Regnum Cœlorum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd virginitas sit res indifferens & adiaphora, nihil, non simpliciter bona, non sua natura bona, non per se virtus, non virtus, non omnino expetenda, non requisita à Deo, & in religiosis res diabolica.

ART. III. AN STATVS VIRGINITATIS sit melior statu coniugali?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Virginitas melior matrimonio. Beatior.

1. COrinth. 7. v. 38. *Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, melius facit.* Et v. 40. *Beatior erit, si sic permanserit.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 24. Can. 10. *Si quis dixerit, non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Cœlibatus nō sanctior coniugio. Multo vilior coniugio. Coniugium summa religio.

Confessio Vuirtembergica cap. de Votis monasticis. *Non est sentiendum, quòd hoc genus vitæ (cœlibatus) per se sit coram tribunali Dei excellentius & sanctius, quàm coniugium.*

Lutherus in Sermone de Matrimonio to. 5. fol. 126. *Cælibatus, in se se ipso multò est matrimonio vilior.* Et fol. 124. Vocat matrimonium *diuinam vitam*, Et in 1. Corinth. 7. fol. 106. ait matrimonium *Summam esse religionem, adeoque spiritualissimum statum.* 107. *Coniugium esse verè cœlestem, spiritualem, diuinum statum, si cum spirituali isto conferatur.* Item: *Concludimus matrimonium esse velut aurum, spiritualem verò statum vti stercus.* Et in Genes. 2. to. 6. fol. 26. *Generatio, est post prædicationem nominis Dei, summum opus.* Et in cap. 21. fol. 257. *Coniugum vita consistit in summis gradibus spiritualibus vitæ.*

Generatio summum opus post prædicationem.

Vrbanus Regius in locis to. 1. fol. 345. *Prædicare verbum*

Dei, facit statum virginitatis meliorem matrimonio propter maiora impedimenta, qui tamen in se vilior est. *Virginitas in se vilior matrimonio.*

Bidembachius in Consensu Iesuitarum & Christianorum pag. 769. *Si hæc genera vitæ* (virginitatis & coniugij) *per se consideres, indifferentia sunt, & coram Deo aliud alio non est sanctius.* Ita Lutherani. *Virginitas res indifferens.*

Caluinus in 1. Corinth. 7. v. 35. *Hic duo habes obseruatu digna: Primum est, in quem finem appetendus est cælibatus, non propter se scilicet, nec quia sit status perfectior.* Sic etiam Beza ibidem in v. 38. *Cælibatus non est status perfectior.*

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 41. *Coniugio virginitas nunquam nisi κατά τι, virginitati coniugium ἁπλῶς sæpe numero præstat.*

Aretius in locis parte 3. fol. 11. *Par est matrimonium cælibatui.*

Serranus contra Hayum parte 3. pag. 159. *Si matrimonium est generis humani seminarium, si ornamentum, si firmamentum, vt omnis politicorum chorus semper docuit, ecquid in vita melius & præclarius esse potest, quàm matrimonium?* *Nihil melius matrimonio.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quod virginitas sit melior ac beatior coniugio. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non est status perfectior, non coram Deo sanctior & excellentior; quod est matrimonio in se vilior, multò vilior; quòd matrimonium est summa religio, spiritualissimus status, & nihil in vita illo melius & præclarius. Quæ quæso hominibus istis est religio, quibus coniugium est summa religio & spiritualissimus status, nihilque illo in hac vita melius aut excellentius?

ARTIC. IIII. AN DEVS VELIT HOMINES ESSE COELIBES?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. CORinth. 7. v. 7. *Volo omnes homines esse sicut meipsum:* Et v. 27. *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* Math. 19. v. 12. *Qui potest capere, capiat.* *Paulus vult omnes esse cælibes.*

Christus hortatur ad cœlibatum.
Omnes iubentur multiplicare.
Christus deterruit à virginitate.
Paulus vult omnes esse coniugatos.
Plusquam præceptum multiplicandi.
Deus non vult quenquam cœlibem.
Presbyter debet esse maritus.
Sacerdotes iubentur habere vxores.
Præcipitur ministris vsus matrimonij.
Item Episcopis.
Et Diaconis.
Oportet Episcopum esse maritum.

Apocalypſ. 14. v. 4. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum quocunque ierit.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto 1. Corint. 7. v. 8. *Ad virginitatem & cœlibatum permanentem hortatur per os Apoſtoli Spiritus Dei.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus to. 1. in diſput. de Digamia Epiſcoporum fol. 383. Verbum: *Creſcite & multiplicamini, generaliter omnibus qui homines ſunt, concreatum & neceſſariò impoſitum eſt.* Tom. 2. lib. de Votis fol. 272. *Chriſtus ipſe planè non conſuluit* (virginitatem & cœlibatum) *ſed potius deterruit.* Tom. 5. in 1. Corinth. 7. fol. 105. *Paulus in vniuerſum omnes matrimonio obſtrictos vult.* Et ſermone de Matrimon. fol. 119. *Creſcite & multiplicamini, non eſt præceptum, ſed pluſquam præceptum.* Ibidem 126. *Leno eſt, qui matrimonium fugit*: Tom. 7 in Epiſt. ad Vvolfgangum Reiſenburg. fol. 505. *Deus pronunciat ſententiam, ſe nolle quenquam viuere ἄγαμον, ſed multiplicari.* Item: *ἄγαμος viuere volens, planè θεομαχεῖ*: Rurſus: *Vxorem ducere, & ſumere cibum & potum, vtrumque iuxta facere cogit neceſſitas, & Deus vtrumque ex æquo fieri imperat.*

Melancthon in Reſponſ. ad Acta Ratisbonenſia to. 4. pag. 749. *Paulus vult præſbyterum eſſe maritum.*

Apologia Confeſſionis Auguſtanæ cap. 15. *Iubent ſibi oſtendi præceptum quod præcipit Sacerdotibus ducere vxores: quaſi Sacerdotes non ſint homines.* Sic Lutherani.

Zuinglius in Paræneſi ad Heluetos tom. 1. fol. 114. *Sacra Scriptura Sacroſancti matrimonij vſum adeo non prohibet Eccleſiarum miniſtris, vt non ſemel eundem præcipiat.* Et fol. ſequ. *Cùm Paulum audiant adeò diſertis verbis præcipientem, vt Epiſcopus vnius vxoris connubio coniunctus ſit, &c.* Item: *Hos ipſos* (Diaconos) *Paulus matrimonij legibus teneri vult.*

Bullingerus in 1. ad Timoth. 3. pag. 438. *Epiſcopus verbi Dei miniſter eſt: At hunc oportet vnius vxoris maritum eſſe, eò ſcilicet quia Epiſcopus eſt, ſanctumque connubium alijs commendare & à fornicatione abſterrere debet.*

Caluinus in 1. Corinth. 7. verſ. 25. *Cùm Scriptura dicat Geneſ. 2. v. 21. Creatos eſſe maſculum & fœminam ſimul, videtur omnes peræquè & ſine exceptione vocare ad coniugium, ſaltem nemini indicitur aut commendatur cœlibatus.* Et de Neceſſitate Reformandæ Eccleſiæ pag. 59. *Epiſcopis nominatim vxores attribuit Paulus.* *Nemini commendatur cœlibatus.*

Sadeel ad artic. 53. abiurat. pag. 509. *Hæc tanta affectatio virginitatis & cælibatus, cui Deus tandem maledixit, ita in vſu fuit apud veteres, vt &c.* *Deus maledixit affectationi virginitatis.*

Zanchius in theſibus to. 8. col. 702. *Eſt contra Dei mandatum, hominem iuuenē & coniugio opus habentem manere inconiugatum, fœminam ſimpliciter manere innuptam.* *Contra Dei mandatum fœminam eſſe innuptam.*

Vvitakerus Controu. 2. qu. 5. cap. 7. pag. 516: cùm Bellarminus diceret, *Vigilantius docuit Eccleſiaſticos debere eſſe vxoratos*, reſpondit. *Si Vigilantius legitimum coniugium Paſtorum intellexit, in eo rectè ſenſit.* *Paſtor coniugatus.*

Tindallus apud Foxum in Actis pag. 1139. *Duabus de cauſis oportet preſbyterum habere vxorem.* Huic affine eſt, quod dicant Deum improbare votum continentiæ. *Presbyter debet eſſe vxoratus.*

Lutherus de votis to. 2. fol. 273. *Impoſſibile eſt, vt Deus votum continentiæ probet, ac non potius deteſtetur.*

Polanus in diſput. Priuatis Diſput. 20. *Non probatur Deo votum perpetuæ continentiæ.*

COLLATIO.

Scriptura diſertè docet, quòd Apoſtolus volebat omnes homines eſſe ſicut ſe ipſum; quòd ſolutos ab vxore, hortabatur ne quærerent vxorem; quòd Chriſtus hortabatur omnes ad cælibatum qui eum poſſent capere: quòd in cœlis ſit ſpeciale præmium Virginum. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd Paulus vult omnes in vniuerſum eſſe coniugatos, vult Presbyterum eſſe maritum: quòd Chriſtus deterret à virginitate: quòd Deus non vult quenquam viuere ἄγαμον: quòd æquè imperat ducere vxorem ac ſumere cibum & potum; quod Creſcite & multiplicamini, ſit præceptum generaliter omnibus impoſitum, imò pluſquampræceptum: quòd Deus maledixit affectationi virginitatis: quòd Scriptura non ſemel præcipit vſum matrimonij

ministris Ecclesiæ: quòd Episcopis, & Diaconis præcipitur habere vxores: quòd nemini commendatur cœlibatus: quòd Deus detestatur votum continentiæ. Hæc de virginitate.

ARTIC. V. AN IEIVNIVM SIT VIRTVS & cultus Dei?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Deus cultus ieiunio.

LVcæ 2. v. 37. Dicitur de Anna: *Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens* (λατρεύουσα) *nocte ac die.*

Reddit mercedem ieiunio.

Matth. 6. v. 17. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito; & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Vult suos ieiunare.

Matth. 9. v. 15. *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Lucæ 2. v. 37. *Docet hic locus, ad Dei cultum ieiunia pertinere, non secus ac obsecrationes.*

Tanti apud Deũ ieiunia hominũ ac iumentorum.

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus in Ionæ 3. to. 4. fol. 422. *Tanti sunt apud Deum ieiunia iumentorum & cilicia, quanti hominum, & è contra.* Item: *Quid moratur Deus saccum, cilicium & ieiunium?*

Deus non requirit nec probat ieiunium. Non est pars diuini cultus. Per se nihil est. Non est species diuini cultus.

Caluinus in Matth. 6. v. 18. cit: *Ieiunium per se opus medium est, non autem ex eorum genere quæ Deus requirit & probat.* In cap. 4. v. 1. *Quod,* ieiunium, *opus meritorium & partem esse pietatis & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstitio.* In Act. 14. v. 23. *Non in ieiunio statuamus cultum Dei, cum per se nihil sit, nec quicquam momenti apud Deum habeat, nisi quatenus aliò refertur.* Et 4. Instit cap. 12. §. 19. *Summoperè cauendum, ne pro specie diuini cultus censeatur.*

Beza in Confess. cap. 5. sect. 40. *Vera ieiunia non commendamus quasi diuini cultus speciem.*

Est tantũmodo exercitium.

Petrus Martyr loco 10. §. 23. *Est alius abusus, quòd alij sint qui Sanctitatem in ieiunio constituant, quasi Dei cultus in eo sit; cum reuera ieiunium tantum modò exercitium sit, quod ex se ipso nihil habeat sanctitatis.*

Humfredus ad Rationem. 3. Campiani pag. 263. *Damus verum esse, quod de Iouinianistis & nostris habet Sanderus: Ieiunia vel à cibis aliquibus abstinentiam non prodesse.* *Non prodest.*

Perkinsus in Cathol. Reformat. Controuers. 6. cap. 4. tom. 1. col. 403. *Ieiunare est res indifferens, cuiusmodi sunt comedere, bibere.* Item: *Ieiunium per se nihil prodest ad consequendum regnum Cœlorum, non magis inquam quàm cibus potusue.* *Est res indifferens sicut cibus. Nō prodest ad regnum cælorum.*

Polanus in Disput. Priuat. periodo 2. Disput. 29. *Ieiunium non est cultus Dei, Est res indifferens.* Sic etiam Illyricus in Claue parte 2. tract. 6. col. 534. Bucanus in Institut. loco 44. pagina 543.

Pareus in Collegio Theol. 1. Disput. 18. *Ieiunium suo genere non est virtus moralis. Temperantia enim virtus moralis est, non quia à cibo & potu abstinet, sed quia cibo & potu moderatè vtitur.*

Collatio.

Scriptura disertè docet, quòd Anna seruiebat seu colebat Deum ieiunijs: quòd Deus reddit mercedem ieiunantibus; quòd Christus vult suos ieiunare. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd ieiunium non est pars aut species diuini cultus; quòd est indifferens sicut esus; quòd non prodest, per se nihil est, tantummodo exercitium: quòd apud Deum tanti sunt ieiunia iumentorum quanti hominum: quòd Deus non requirit, imo non probat ieiunium.

ARTIC. VI. AN IEIVNIVM sit antidotum contra Diabolum?

Affirmat Scriptura.

Matth. 17. v. 21. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* *Dæmones quidā non eiecti nisi per ieiuniū.*

Affirmant Catholici.

Stapletonus in Antidoto in Matth. 17. v. 28. *Accedere debet oratio & ieiunium, quasi ad fugandos huiusmodi Dæmones potentissima antidotus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ieiunium non fugat dæmones.

Caluinus in Matth. 17. v. 21. citat. *Ridiculi Papistæ antidotum in ieiunio constituunt fugandis Diabolis.*

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 6. col. 535. ita exponit citata verba Scripturæ, *Hoc genus &c. id est, non potest eijci nisi per ardentem precationem ex resipiscente & seriò pœnitente corde progredientem*; ita vt ipsi ieiunio non tribuat vllam vim eijciendi Dæmones.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd quidam Dæmones non eiiciuntur nisi per ieiunium & orationem. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sit ridiculum constituere antidotum fugandis diabolis in ieiunio.

ARTIC. VII. AN DELECTVS CIBOrum sit licitus seu virtus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Daniel abstinet à carne, vino, & pane desiderabili.

DAnielis 10. v. 3. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.*

Ioannes nō bibit vinū & siceram.

Non manducat panem.

Matth. 3. v. 4. dicitur de Ioanne Baptista: *Esca eius erat locustæ & mel siluestre.* Et Lucæ 1. v. 15. *Vinum & siceram non bibet.* Et cap. 7. v. 33. *Venit Ioannes Baptista neque manducans panem neque bibens vinum.* Similia habentur de Matre Sampsonis Iudicum 13. v. 14. & Rechabitis Hieremiæ 35.

Bonum, nō edere carnē aut bibere vinum.

Rom. 14. v. 21. *Bonum est non manducare panem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Bonis operibus in particulari cap. 7. *Si potuit Ionadab prohibere filijs & nepotibus vinum vsque in sempiternum, & tum illius præceptum, tum filiorum obedientia placuit Deo: cur non poterit mater Ecclesia certos aliquos cibos pro tempore filiis interdicere, ita vt & nostra obedientia & Ecclesiæ præceptum Domino placeat?*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Argentinensis cap. 9. *Remissus est & delectus ille ciborum in certos dies indictus, quem D. Paulus doctrinæ dæmoniorum attribuit*: Saxonica etiam Confessio cap. 12. damnat discrimina ciborum. *Delectus ciborum, doctrina dæmoniorum.*

Caluinus in Lucæ 1. v. 15. cit. *Non est fingendus Dei cultus in vini abstinentia.* *Non est cultus Dei in vini abstinentia.*

Beza in Confess. cap. 5. sect. 41. *Delectum istum ciborum, in quo nonnulli cultum Dei ponunt, non dubitamus cum Apostolo diabolicam & inanissimam superstitionem vocare.* *Delectus ciborum diabolica superstitio.*

Perkinsus in Cathol. Reform. controuer. 12. cap. 2. col. 454. *Papistæ præscribunt certum quendam delectum ciborum in ieiunijs: At nos distinctionem istam ciborum stultam ac perniciosam iudicamus.* *Stulta & perniciosa.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Daniel multis diebus abstinuit à carne, vino, & pane desiderabili: quòd Ioannes Baptista non manducauit panem nec bibit vinum: quòd bonum est non manducare carnem & non bibere vinum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd delectus ciborum est superstitio, stulta, perniciosa, & doctrina diabolica: quòd non est cultus Dei in abstinentia vini. Hactenus de ieiunio.

ARTI. VIII. AN SIT LICITVM ORAre pro omnibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. Timoth. 2. v. 1. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* *Orandum pro omnibus.*

Exodi 32. v. 32. Moyses ita orat pro populo idololatrà in quo erant multi reprobi: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de septem verbis Domini cap. 1. ait

quòd Christus in cruce orauit pro Pilato, Principibus Sacerdotum, Scribis & populo Iudæorum.

NEGANT PROTESTANTES.

Non orandum pro reprobis.

Beza in 1. Ioan. 5. v. 16. Ex *hoc consequitur, nulla reprobis venialia esse peccata, ac proinde pro reproborum peccatis minimè concipiendas esse preces.*

Danæus in Orationem Dominicam pag. 593. ait: quòd illud, Fiat voluntas tua &c. *non pertinet propriè ad reprobos, quasi precemur Deum vt placidè & spontè illi se subijciant Deo, illiusque voluntatem ex animo, fide & obsequio faciant & exequantur.*

Non pro singulis.

Rainoldus in Apolog. Thesium pag. 245. *Nec verò petendum est pro singulis. Quapropter vbi iubemur precari pro omnibus, vox (omnium) non singula generum designat, sed genera singulorum.*

Non pro peccātibus ad mortē.

Piscator in thesibus lib. 2. loco. 11. pag. 136. *Precandum pro quibuslibet hominibus in hac vita constitutis, ijs tantùm exceptis, quos videmus peccare ad mortem.*

Non pro peccātibus in Spiritū Sanctum.

Bucanus etiam in Institut. loco 17. pag. 175. Negat precandum esse pro ijs qui peccant ad mortem. Et loco 37. pag. 376. Non pro hostibus Dei induratis, aut peccantibus in Spiritum Sanctum.

COLLATIO.

Scriptura disertè iubet orare pro omnibus. Consentiunt Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non sit orandum pro singulis, non pro reprobis, non pro peccantibus ad mortem, vel in Spiritum Sanctum.

ART. IX. AN SIT LICITVM ORARE PRO MORTUIS?

Sacrificiū oblatum pro mortuis. Orandum pro mortuis.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

2 MAchabæorum 12. v. 43. *Iudas facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerre pro peccatis mortuorum sacrificium.* Et v. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 25. cap. 1. *Catholica Ecclesia docet animas in Purgatorio detentas fidelium suffragiis iuuari.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Scotica Generalis pa. 159. *Detestamur ipsius* (Papæ) *preces pro mortuis.* *Preces pro mortuis detestādæ.*

Caluinus Epist. 366. *Precationis formula, vt Deus bonam & felicem resurrectionem det mortuis, quia ad regulam benè precandi non quadrat, repudietur. Tale quidem votum, quin concipere liceat non contendo.* *Vouendū, non orandum pro mortuis.*

Brentius in Dominic. 12. post Trinitatem: *Etsi mortuis optare licet omnia fælicia, tamen vana est oratio pro mortuis.* *Bene optādum mortuis, non orandum.*

Iuellus in Artic. 18. sect. 3. pag. 158. *Hoc precandi genus pro mortuis planè superstitiosum est, omnique prorsus diuini verbi authoritate caret.* In hac re Protestantium doctrina satis nota est. *Precari pro mortuis, superstitiosum.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd sit sanctum & salubre orare pro mortuis vt à peccatis soluantur: quòd Iudæi sub lege obtulerunt sacrificia pro mortuis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd licet vouere & optare bona mortuis, orare autem pro illis sit vanum, superstitiosum, detestandum. Et tamen ita scribit Lutherus Serm. de Diuite & Lazaro tomo 7. f. 268. *Nolumus, neque etiam possumus pronuntiare illos impie agere qui pro mortuis orant. Non peccatum committes, si pro eis numen interpellaueris*: Sic etiam Zuinglius in Art. 60. Vrbanus Regius & alij vt referemus lib. 2. cap. 21.

ART. X. AN SIT LICITVM ORARE pro eo quod Deus non promisit?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 26. v. 39. Christus ita orat. *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste.* *Christus orat pro re non promissa.*

2. Regum 12. vers. 22. Dauid orans pro vita filij, ita existimabat: *Quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus & viuat infans?* *Item Dauid.*

2. Corinth. 12. v. 8. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ vt me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea.*

Et Paulus.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Bonis Operibus cap. 9. *Interdum oratio est meritoria & non impetratoria, vt cum homo iustus ex charitate petit id quod sibi forte non expedit, vt cum Paulus ter rogauit vt auferretur à se stimulus carnis — Non requiritur in oratione fides, qua, certò credamus Deum absolutè facturum quod petimus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Illyricus in Marc. 5. v. 28. *Omnis pius inter precandum persuadet sibi verbo ac promissione Dei, quòd in sua petitione exaudiatur, non aliter ac si audiret Deum claraque voce respondentem, se exaudisse eum.*

Confessio Saxonica cap. 22. *Precatio quæ est sine fide, hoc est, vbi non potest statuere an talem inuocationem approbet ac recipiat Deus, inanis est.*

Precatio perdita sine Dei promissione.

Lutherus Postilla in Dominic. 5. post Pascha fol. 161. *Qui absque Dei promissione orant, illi apud se iratum Deum fingunt, quem precationibus suis placare conantur — Illic & nulla exauditio est, & precatio & labor perdita sunt.*

Idololatria petere à Deo plusquam promisit.

Tindallus apud Foxum in Actis Edit. 1610. pag. 1139. *Petere à Deo plusquam promisit, oritur à falsa fide & est aperta idololatria.*

Caluinus in Iacobi 1. v. 6. *Sicuti orare, nisi præeunte verbo, non possumus: ita antequam oremus credere nos oportet. Precando enim testamur gratiã quam Deus promisit nos ab eo sperare — Ergo fides est, quæ Dei promissionibus freta, nos impetrandi quod petimus, certos reddit — Insignis est hic locus ad refellendum illud dogma in Papatu, nempe dubitanter & incerta successus opinione esse orandum.*

COLLATIO.

Scriptura docet Christum orasse pro transferendo calice, Dauidem pro vita Filij, & Apostolum pro auferendo stimulo carnis, quæ tamen Deus non promiserat: Assentiuntur Catholici.

Prote-

Protestantes dicunt, quòd sit labor perditus & aperta idololatria orare pro eo quod Deus non promisit.

ARTIC. XI. AN QVISQVAM ACCIpiat aliquid à Deo propter suam vel orationis suæ dignitatem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. IOan. 3. vers. 21. & seq. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Innocentia causa fiduciæ.

Accipiunt quod petũt qui seruant mandata.

1. Petri 3. vers. 12. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.*

Aures Dei in preces iustorum.

Iacobi 5. vers. 16. *Multum valet deprecatio iusti assidua.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Bonis Operibus cap. 9. *Requiri iustitiam in orante vt certò impetret, Scriptura non vno in loco testatur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nihil consequimur ob dignitatem nostrã vel orationis.

Lutherus Postilla in Dominicam 5. post Pascha folio 263. *Ex quo sequitur neminem ob suam vel ob orationis suæ dignitatem à Deo quicquam consequi, sed à sola Dei benignitate—dignitas tua te non iuuat, indignitas tua te non præpedit.*

Dignitas nostra non iuuat.

Idem sentiunt alij Protestantes, qui negant esse vllam dignitatem vel in nobis vel in operibus nostris.

COLLATIO.

Scriptura docet; quòd innocentia vitæ parit fiduciam: quòd qui custodiunt mandata Dei accipiunt quod petunt: quòd aures Dei sunt in preces iustorum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd dignitas orantis nihil eum iuuat, quòd nemo consequitur quicquam propter suam aut orationis suæ dignitatem.

ARTIC. XII. AN LICITVM SIT PVblicè orare in Ecclesia in lingua peregrina?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Orans lingua peregrina bene orat.

I. Corinth. 14. v. 17. Apostolus disertè dicit de eo qui publicè in Ecclesia orat in lingua peregrina: *Tu quidem benè gratias agis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in I. Corinth. 14. v. 17. *Orare lingua non intellecta Apostolus non damnat, sed probat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Oratio in lingua peregrina, detestãda. Effrænis licentia orare in lingua peregrina. Cum Paulus ait: Bene agis, nõ approbat factum. Expresse prohibet precari in lingua peregrina.

Confessio Scotica Generalis pag. 159. *Detestamur ipsius* (Papæ) *orationes lingua peregrina.* Et Anglica articulo. 24. *lingua populo non intellecta publicas in* Ecclesia *preces peragere, verbo Dei planè repugnat.*

Caluinus 3. Instit. cap. 20. §. 33. *Quis effrænem Papistarum licentiam satis miretur, qui exotica lingua preces reboare non formident?*

Petrus Martyr in I. Corinth. 14. v. 17. cit. *Hoc suo dicto nequaquam Apostolus illam actionem probat; Sed rectè* (inquit) *gratias agis, quia verba abs te prolata cum à* Spiritu *Sancto sint non possunt bonum sensum non habere.* Et in v. 14. *Taxantur idiotæ qui Latine orant, Pater noster.*

Aretius in locis parte 3. fol. 21. *Linguam peregrinam in Ecclesia Christi non esse ferendam, manifestum est.*

Beza in Respons. ad Acta Colloq. Montisbel. parte 2. p. 26. *An non expressis verbis, precari lingua à circunstantibus non intellecta, prohibet Apostolus?*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd orans in Ecclesia lingua peregrina benè gratias agit. Idem Catholici.

Protestantes id negant, & eiusmodi orationem damnant; ac dicunt quòd Apostolus expressis verbis prohibet ita precari.

ART. XIII. AN IVBEAMVR RECITARE orationem Dominicam?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

LVcæ 11. v. 1. & 2. *Dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare sicut docuit & Ioannes discipulos suos. Et ait illis cùm oratis dicite: Pater &c.* Et Matth. 6. v. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster &c.* *Christus iubet nos recitare orationem Dominicā.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Bonis Operibus cap. 4. *Præstat oratio Dominica omnibus alijs formis orandi, authoritate, breuitate, perfectione, ordine, efficacitate, necessitate.—Necessitate, quoniā nulla est alia forma precandi quam omnes Christiani conceptis verbis tenere & frequentare iubeantur nisi ista.*

NEGANT PROTESTANTES.

Bucerus in Matth. 6. pag. 162. N*ota, ad hunc modum orate, non hæc verba, vt vulgus stultè hactenus persuasum fuit, existimans se cum hæc verba demurmurasset egregiè orasse — Neque quibus oremus verbis, sed quæ animi petamus affectibus, hic docemur.* Atque eò progressa est pertinax amentia quorundam in Anglia, vt suspendi maluerint, quàm recitare orationem dominicam. *Non iubet nos recitare verba.*

Caluinus in Matth. 6. v. 9. citat. No*n iubet Christus suos conceptis verbis orare, sed tantùm ostendit quorsum vota omnia precesque referri deceat.*

COLLATIO.

Scriptura disertè iubet, vt cùm oramus dicamus, Pater noster &c. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus non docuit nos orare hæc verba, non quibus verbis oremus: quòd stulta esset persuasio, quòd recitatio verborum orationis dominicæ sit egregia oratio.

ARTI. XIV. AN SIT LICITVM ALIquid Deo vouere?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Vouēdum Deo.

PSalmo 105. v. 12. *Vouete & reddite Domino Deo vestro.*
Isaiæ 19. v. 21. dicitur de tempore Euangelij: *Vota vouebunt Domino & soluent.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 17. *In Ecclesia Christi post Euangelij promulgationem vota nunquam cessarunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Optandum vt nulla essent vota.

Lutherus de ratione confitendi tom. 2. fol. 28. *Ego pro meo iudicio optarem, vt apud Christianos nihil esset prorsus votorū, præter ea quæ in baptismo emisimus.* Ibidem de Captiuitate Babylon. fol. 77. *Vnum hic addo, quod vtinam queam cunctis persuadere, id est, vt vota prorsus omnia tollerentur aut vitarentur.* Et fol. sequ. *Non parum Christianæ vitæ repugnat, quòd votum est lex quædam cæremonialis & humana traditio seu præsumptio, à qua Ecclesia per baptismum liberata est.*

Vt tollerentur.

Votum est humana præsumptio.

Vrbanus Regius de Noua & Veteri doctrina tom. 2. fol. 26. *Ritus ille vouendi iudaïcus erat, & iam abolitus est sicut sacrificia.* Hæc Lutherani.

Vota abolita.

Zuinglius in Explanat. art. 30. fol. 232. in 8. *De votis in vniuersum hoc dico, quòd per Christum sunt abolita:* 234. *Vouere, curiositas quædam est, contemptus & eleuatio Dei, & hominis exaltatio.* Et 235. *Vota ergo quandoquidem ex perfidia fiunt & contra Deum pugnant, peccata sunt.*

Vouere est contemptus Dei.

Vota sunt peccata.

Petrus Martyr lib. de Votis col. 1337. *Vota non amplius durant iam inducto & reuelato Euangelio.* Et 1383. *Asserui equidem nec muto; sed ratum habeo, vota Christianos minimè decere.*

Non amplius durant.

Non decēt Christianos.

Danæūs Controu. 5. pa. 1020. *Deus nusquam sibi quicquam vouere iubet aut præscripsit.*

Nusquam Deus ea præscripsit.

Tindallus apud Foxum in Actis pag. 1138. *Vota sunt contra institutum Dei.* Idque defendit Foxus ibidem.

Sunt contra institutum Dei.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd fideles vouebunt Deo,

eosque hortatur ad vouendum: Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vota sunt contra institutum Dei, pugnant contra Deum, fiunt ex perfidia, sunt peccata, humana præsumptio, curiositas, & eleuatio Dei, quòd Deus nunquam prescripsit vota, quod vota iam sunt abolita nec amplius durant: quòd non decent Christianos, & optandum esset vt tollerentur aut vitarentur.

ART. XV. AN ELEEMOSINA LIBERET à morte?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

TObiæ cap. 4. & 12. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat.* *Liberat à morte.*

Lucæ 11. v. 41. *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Promptuario Morali in Domini. 1. post Pentecostem, *Iustas peccatorum pœnas & Diaboli insultus varios, largitate eleemosynarum interiecta, sæpe euadimus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Aretius in locis parte 1. f. 90: *Eleemosyna non à morte temporali liberat, non etiam ab æterna morte liberat.* *Nō liberat à morte.*

Apologia Confess. Augustanę cap. de Respons. ad argumenta: *Non dicemus hyperbolem esse* (dictum Tobiæ) *etsi sic accipi debet, ne detrahat de laudibus Christi.*

Vallada in sua Apologia cap. 22. *Hic modus loquendi Tobiæ, est hyperbolicus.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Eleemosyna liberat à peccato & morte. Consentiunt Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non liberat à morte æterna vel temporali.

ART. XVI. AN LICEAT VENDERE omnia & dare pauperibus?

Affirmat Scriptura.

Si vis esse perfectus vende omnia.

MAtth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cælo.* Et v. 27. Apostoli aiunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

Apostoli relinquebāt omnia.

Actor. 4. v. 32. *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia,*

Affirmant Catholici.

Stapletonus in Antidoto Matth. 19. v. 21. *Negare voluntariam paupertatem medium & instrumentum esse maioris perfectionis fuit Vigilantij error, & hodie Caluini, omniumque hæreticorum est.*

Negant Protestantes.

Desertio facultatum non consulitur in Scriptura. Est inutilis cultus.

Apologia Confess. Augustanæ cap. penultimo. *Desertio facultatum non habet mandatum aut consilium in Scripturis.* Item: *Cum desertio facultatum sit merè traditio humana, est inutilis cultus.*

Melancthon in locis titulo de paupertate: *Euangelium nec consulit nec præcipit discedere à facultatibus si non eripiantur, nec consulit nec præcipit res in commune conferre.*

Perkinsus de Casibus Conscientię to. 1. Col. 1125. *Nos affirmamus hoc* (addicere se voluntariæ paupertati) *licitum non esse, nisi quis speciali vocatione & testimonio diuinitus ad illud instruatur.*

Collatio.

Scriptura docet, quòd vendere omnia & dare pauperibus sit medium acquirendæ perfectionis à Christo ipso consultum; quòd Apostoli reliquerunt omnia: quòd primi fideles habuerunt omnia communia. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Scriptura non consulit relinquere facultates: quòd desertio facultatum sit merè traditio humana & inutilis cultus, nec licita sine speciali testimonio diuino.

ARTI. XVII. AN POENITENTIA OMnibus præcipiatur?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ACtor. 19. v.31. *Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiã agant.* Et c. 8. verſ. 22. dicitur Simoni Mago. *Pænitentiã age.* c.20.v. 21. *Teſtificãs Iudæis & Gentilibus pænitentiam.* Lucæ 24.verſ.47. *Oportebat Chriſtum pati &c. & prædicari in nomine eius pænitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes.* *Pœnitentia omnibus præcepta. Simoni mago. Omnibus gentibus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib.3.de Pœnitentia cap. 2. *Qui mortali peccato se obſtrinxerunt, tenentur iure diuino pænitentiam agere.*

NEGANT PROTESTANTES.

Perkinſus in Apocalypſ. 2. to. 2. col. 115. *Mandatum hoc reſipiſcentiæ non vnicuique ſeorſum datur, ſed Eccleſiæ Dei tantùm, vel populo qui tandem erit Eccleſia.* Idque repetit col. 125. Idem ſentiunt illi, qui dicunt Deum nolle ſalutem omnium, nempe reproborum. Nam, ſi Deus non vult ſalutem reproborum reipſa ſed verbo tenus, nec reipſa præcipit aut vult eos pœnitentiam agere, ſed tantùm verbo tenus. *Non omnibus.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Deus annunciat hominibus vt omnes pœnitentiam agant. Idem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd mandatum reſipiſcentiæ non datur vnicuique, ſed tantùm Eccleſiæ vel populo qui tandem erit Eccleſia.

ART. XVIII. AN CASTIGATIO corporis ſit pars pœnitentiæ?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 11. v. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent.* *Pœnitentia in cilicio & cinere.*

In fauilla & cinere. Iob. 42. v. 6. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*

In sacco & cinere. Ionæ. 3. v. 6. *Et indutus est* (Rex Niniue) *sacco, & sedit in cinere, & clamauit & dixit — operiantur saccis homines & iumenta.*

In ieiunio, fletu & planctu. Ioelis 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.*

Affirmant Catholici.

Stapletonus in Antidoto in Matth. 11. v. 21. *Ex hoc loco conuincitur, non in sola vitæ mutatione & resipiscentia, sed in operibus quoque pœnalibus pœnitentiam propriè versari.*

Negant Protestantes.

Christus nō insistit in cilicium. Saccus & cinis tantū signum pœnitentiæ. Caluinus in Matth. 11. v. 21. citat. *Pœnitentia hic ab externis signis describitur, quorum tunc solennis erat vsus in Ecclesia Dei, non quòd in hanc partem insistat Christus, sed quia se ad vulgi captum inflectit.* Et Concione 158. in Iob: ait quòd *Saccus & cinis pœnitentiæ signum externum est duntaxat.*

Infœliciter translatus ad pœnitētes. Beza in Matth. 11. v. 21. citat: *Quæ consuetudo* (aspergendi se cinere) *postea fuit ad pænitentes quos vocarunt, vtinam maiore cum iudicio & feliciore exitu, traducta.*

Pœnitentia non in pœnis externis. Vvitakerus in præfat. ad Demonstrationes Sanderi pag. 740. *Pœnitentiam quidem dixi non in pœnis quibusdam externis — Sed in interno dolore ex peccatorum recordatione suscepto & vitæ emendatione consistere.*

Opera laboriosa non partes pœnitentiæ. Vorstius in Antibellarm. pag. 439. *Opera laboriosa, tantùm externa, & sæpe fallacia seu ficta pænitentiæ signa atque indicia sunt, Non igitur partes veræ pænitentiæ sunt.*

Collatio.

Scriptura disertè docet, quòd pœnitentia in sacco & cinere sit bona, quòd Deus iubet conuerti ad ipsum in ieiunio, fletu & planctu, quòd Niniuitæ egerunt pœnitentiam in sacco & cinere, & Iob in fauilla & cinere. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus non multùm insistit in sacco & cinere, sed se inflectit ad captum vulgi; quòd saccus & cinis sunt duntaxat externum signum pœnitentiæ, opera laboriosa, tantùm externa signa pœnitentiæ non partes illius; quòd pœnitentia non consistit in pœnis externis; quòd

nis quòd consuetudo aspergendi se cinere fuit traducta ad pœnitentes sine iudicio.

ARTIC. XIX. AN NINIVITARVM pœnitentia fuerit vera?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IOnæ 3. vers. 10. *Et vidit Deus opera eorum* (Niniuitarum) *quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiā quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Et. v. 5. *Crediderunt Niniuitæ in Deum & prædicauerunt ieiunium &c.*

Niniuitæ conuersi à via sua mala.

Matth. 12. v. 41. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pænitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* Idem Lucæ 11. vers. 32.

Crediderūt in Deum. Egerunt pœnitētiā.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos cap. de Pœnitentia: *Clarissima Niniuitarum, Dauidis, Peccatricis, Apostolorum exempla: qui omnes plurimis lachrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Beza lib. quæst. & Respons. vol. 1. Theol. pag. 674. *Niniuitarum pœnitentiam probauit* (Deus) *quamuis non vera esset pœnitentia, sed qualiscunquè humiliatio sub potenti manu Dei.*

Niniuitarum pœnitentia non vera.

Sadeel de vera peccatorum remissione pag. 109 *Perabsurdum est Ethnicos illos* (Niniuitas) *alienos à Dei fœdere & expertes veræ doctrinæ, qui nihil de vero Deo, nihil de Messia vnquam audiuerant, cum pijs hominibus beneficium Christi vera fide recipientibus comparare.*

Niniuitæ expertes veræ doctrinæ.

COLLATIO

Scriptura disertè docet, quòd Niniuitæ crediderunt in Deum, pœnitentiam egerunt, & conuersi sunt de via sua mala. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt quòd erant expertes veræ doctrinæ, & quòd eorum pœnitentia non erat vera.

ART. XX. AN VITA EREMITICA sit licita?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Ioannes in deserto.

LVcæ 1. v. vltimo: dicitur de Ioanne Baptista: *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque ad diem ostensionis suæ ad Israel.*

Christus in deserto cũ bestijs.

Matth. 4. vers. 1. *Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu:* Et Marci 1. v. 13. *Et statim spiritus expulit eum in desertum, & erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, eratque cum bestijs.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Promptuario Cathol. in Dominic. 2. Aduentus: *Nolunt hæretici nostri, vt Ioannes in deserto propriè dicto, in eremo, in solitudine vixerit: ne eius tam nobile exemplum Eremitis & Anachoretis nostris patrocinari videatur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ioannes non omnino remotus à conuersatione.

Magdeburgenses Centuria 1. lib. 1. cap. 10. col. 357. *Commemorat Lucas puerum* (Ioannem) *in desertis vsque ad tempus suæ ostensionis permansisse, id quod nequaquam de aliquo antro omnino ab hominum conuersatione remoto accipiendum est, quasi ibi velut vrsus & misanthropos delituisset, sicut posterioribus temporibus Eremitæ & id genus homines superstitiosos sibi finxerunt cultus.* Idem habet Bucerus in Matth. 3. & alij.

Vita eremitica inhumana.

Polanus in Disput. priuat. disput. 22. pag. 15. *Vita eremitica est agrestis, fera, atque ab humanitate aliena.* Similia habet Vorstius in Antibellarm. pag. 234. Hommius disput. 28. pag. 150.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Ioannes Baptista erat à puero in desertis vsque ad diem ostensionis suæ, quòd Christus ductus est in desertum à Spiritu, quòd ibi erat quadraginta diebus ac noctibus & versabatur cum bestiis. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vita eremitica est agrestis, fera, atque inhumana.

SVMMA HVIVS CAPITIS
De bonis operibus in particulari.

QVæ in hoc capite recitauimus, clarè demonstrant, quàm diuersa sit doctrina Protestantium de particularibus virtutibus à doctrina Scripturæ ac Catholicorum. Etenim Scriptura cum Catholicis docet, quòd non nubere sit bonum & consultum à Deo: quòd virginitas sit virtus & melior coniugio: quòd ieiunium sit virtus & cultus Dei, atque antidotus contra Diabolum, & delectus ciborum licitus: quòd liceat orare pro mortuis, pro omnibus, pro eo quòd Deus non promisit, & in lingua peregrina, & quòd aliquis orans exaudiatur pro sua aut orationis suę dignitate; quòd liceat Deo aliquid vouere ac vendere omnia & dare pauperibus: quòd Eleemosyna liberet à morte: quòd pœnitentia omnibus præcipiatur, & quòd castigatio corporis sit pars eiusdem: Quorum omnium contraria Protestantes docent.

Demonstrant etiam quòd Protestantes furentur multas virtutes particulares, & multa ab alijs etiam virtutibus quas videri volunt relinquere. Tollunt enim virtutes virginitatis, ieiunij, & voti; Tollunt etiam ab oratione quòd fiat pro mortuis, pro omnibus, & pro ijs quæ Deus non promisit: Tollũt etiam à religione abnegationem facultatum, ab eleemosyna virtutem liberandi à morte, à pœnitentia castigationem corporis. Atque hactenus de bonis operibus. Sequitur de eorum contrarijs scilicet de peccatis.

Quot & quanta Protest. furantur à particularibus virtutibus

CAPUT XV.

DE PECCATIS.

ARTICULUS PRIMUS.

AN PECCATA IMPUTENTUR Electis & Fidelibus?

AFFIRMAT SCRIPTURA.

Peccatum imputatū Dauidi.

2. REGUM 12. v. 5. & sequ. *Dixit* (Dauid) *ad Nathan: Viuit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc: dixit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israel: quare contempsisti verbum Domini vt faceres malum in conspectu meo? non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me.* Idem ostendunt alia Scripturæ loca, quæ docent Deum irasci fidelibus, eos odisse, & punire ob peccata, & alia quæ docent peccata inferre mortem electis & fidelibus, quæ mox referemus.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Amissione Gratiæ &c. cap. 7. *Si peccata in hominibus semel iustificatis cum ipsa fide* (viua) *iustificāte manent, hoc ipso à Deo non imputantur, nec tam sunt venialia & remittenda, quàm reipsa condonata atque remissa, neque reum faciunt vllius pœnæ ac supplicij: hoc verò dogma nemo non videt, quàm sit absurdum & pernitiosum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Peccatum non imputatur fidelibus.

Lutherus in Galat. 2. tom. 5. fol. 229. *Quia per fidem incepta est iustitia & impletio legis, ideo propter Christum in quo credunt non imputatur quod reliquum est peccati & implendæ legis.* In cap.

5. fol. 420. *Credens, peccatum habens & peccans, manet tamen pius* — *Etiamsi peccata habeant & committant, tamen sciant ea propter fidem in Christum non imputari sibi.* Et in cap. 8. Isaiæ. to. 4. fol. 83. *Hæc est libertas Christiana, ut satisfaciamus legi ex aliqua parte, ubi autem non satisfacimus, ne ideo nos reos faciat, quia habemus remissionem peccatorum.*

Non observatio legis non facit eos reos.

Caluinus in Ioan 5. v. 29. *Ne peccata quidem, quorum reatu se quotidie obstringunt fideles, illis imputantur.* Et 3. Instit. cap. 4. §. 28. ait fidelium peccata *venialia esse, quia non imputantur.*

Peccata nō imputātur fidelibus.

Beza in Epistol. dedicat. Respons. ad Castel. vol. I. Theol. pag. 427. *Credentibus peccata non imputantur*, idque repetit pag. 457.

Non imputantur.

Zanchius de Perseuerantia Sanctorum quæst. I. cap. 2. tom. 7. col. 360. *Hoc certissimum est: Deum peccata nunquam electis imputare:*

Nunquam imputātur.

Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. I. pag. 935. vbi retulisset hæc verba Lutheri: *Vbi fides est, nullum peccatum nocere potest*, subdit: *Quid verius?*

Vbi fides, nullum peccatū nocet.

Vvotonus in Respons. ad Articulos Papisticos pa. 92. *Remittitur statim ac committitur peccatum, seu potius antequam committatur, adepta ab homine semel iustificato plena omnium peccatorum præsentium ac futurorum remissione.*

Peccatum remittitur antequam committitur.

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 20. pag. 189. *Quòd electis non imputantur* (peccata) *ad misericordiam pertinet.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd peccatum imputabatur Dauidi etsi fidelis esset & electus. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd peccatum non imputatur fidelibus, nunquam imputatur electis, non facit fideles reos, non eis nocet, quòd credens etiam peccans manet pius, quòd peccatum ei remittitur antequam committatur.

ARTIC. II. AN VLLA PECCATA sint mortalia fidelibus & electis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Peccatum fuit mortale Adæ.

GEnes. 2. vers. 17. dicitur Adamo fideli & electo: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Mortiferum filijs Israel.

Numerorum 18. vers. 22. *Vt non accedant vltra filij Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum.*

Causat mortem in omnibus. Et cōdemnationem. Omnes mortui.

Rom. 5. v. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Et vers. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* 1. Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur.* Et 2. Corinth. 5. v. 14. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.*

Ephes. 2. vers. 5. *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Amiss. Gratiæ cap. 7. *Peccata venialia dici omnia peccata prædestinatorum, mortalia verò omnia peccata reproborum, non solùm Catholici Doctores sed etiam Lutherani ex Scripturarum exemplis firmissima ratione confutant.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non est peccatū ad mortem in fidelibus. Omnia eorum peccata venialia.

Caluinus in 1. Ioannis 5. v. 16. *Peccata ad mortem esse negat, non modò in quibus quotidie Sancti delinquunt, sed etiam si quando grauiter iram Dei ab ipsis prouocari contingat.* 2. Instit. cap. 8. §. 59. *Sanctorum delicta, venialia sunt.* Et lib. 3. ca. 4. §. 28. *Fidelium peccata, venialia sunt.*

Nulla mortalia electis.

Beza in 1. Ioan. 5. v. 16. *Ex hoc consequitur, nulla electis mortalia, nulla reprobis venialia esse peccata.*

Eorum peccata nō possunt dici mortalia.

Zanchius in depulsione calumniarum tom. 7. col. 258. *Quia peccata electis condonantur nec imputantur ad mortem, ideo respectu personarum quæ sunt in Christo peccata ab ipsis admissa mortalia dici non possunt.* Et de Perseuerantia Sanctorum col. 156. *Sanctorum lapsus non sunt ipsis lethales, ac proinde talibus lapsibus apud Deum non moriuntur.*

Musculus in locis titul. de Peccato pag. 56. *Si personæ in Christo electæ sunt & fideles, consequitur & illorũ peccata mortalia non esse, sed venialia.*

Bucanus in Institut. theol. loco 16. pag. 171. *Electis peccata omnia etiam grauissima per Christum sunt venialia.* *Eorũ grauissima peccata sũt venialia.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Adam licet fidelis & electus mortuus sit ex peccato: quòd per ipsum mors & condemnatio pertransijt in omnes homines; quòd omnes mortui sunt in ipso. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nulla sunt peccata mortalia fidelibus & electis: quòd nulla peccata illis imputantur ad mortem; quòd nulli ipsorum lapsus sunt ipsis lethales nec quòd vllis apud Deum moriuntur: quòd nulla eorum peccata sunt peccata ad mortem: quòd etiam grauissima peccata, sunt venialia electis. Quod ita apertè aduersatur Scripturæ, vt ita scribat Pareus in suo Collegio Theol. 1. Disput. 2. de peccato primorum parentum: *nec secundùm aliquid veniale sed simpliciter mortale fuisse consequitur. Per illud enim mors introijt in mundum, & in omnes homines transiit.* Rom. 5.12.

ART. III. AN PECCATVM DEBEAT vinci à fidelibus.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ROm. 6. v. 11. & sequ. *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* *Non sinendum peccatum regnare.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Rom. 6. v. 12. *Si Spiritus reluctatur sed non vincit peccatum in corpore: ergo concupiscentijs corporis obedit & obtemperat. Quomodo ergo regeneratos in Christo hortatur Paulus, vt non regnet in illorum corpore peccatum, & vt non obediant concupiscentiis carnis? Carnales isti & Epicurei hæretici volunt Spiritum reluctari carni, sed nunquam vincere.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non vincendũ peccatum à Spiritu.

Beza in Rom. 6. v. 12. citat. edit. anno 1565. & 1582. *Commodùm hæc adhortatio subiicitur præcedentibus, vt intelligamus quatenus simus mortui peccato quandiu hic versamur: Hactenus nimirum, vt reluctetur spiritus* (peccato) *sed tamen non vincat.* Idem sentiunt alij qui (vt capite decimo tertio vidimus) dicunt, quòd non debemus facere bona opera: Si enim non debemus facere bona opera, nec debemus vincere peccatum, quia illud vincere, est bonum opus.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd debeamus existimare nos mortuos peccato, quòd peccatum non debeat regnare in nobis, neque nos obedire concupiscentiis illius. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Spiritus debeat reluctari quidem peccato, sed non ita vt vincat.

ART. IV. AN VLLI SERVIENTES carni, seruiant etiam Deo?

NEGAT SCRIPTVRA.

Non seruitur duobus Dominis. Viuens secundum carnem morietur. Faciens peccatũ, est ex diabolo.

Matth. 6. v. 24. *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Rom. 8. v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et v. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

1. Ioan. 3. v. 8. *Omnis qui facit peccatum, ex Diabolo est.*

NEGANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Matth. 6. v. 24. *Qui Deo seruiunt nec Diabolo, nec carni seruire possunt.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Seruientes carni possunt seruire Deo. Non carnales nisi qui prorsus mundani.

Caluinus in Matth. 6. v. 24. citat. *Verum quidem est, fideles ipsos nunquam ita in solidum addictos esse Dei obsequio, quin retrahantur subinde vitiosis carnis cupiditatibus, sed quia gemunt sub hac misera seruitute, sibique displicent, nec aliter carni seruiunt quàm inuiti & resultantes, non dicuntur duobus Dominis seruire; quia perinde probantur eorum studia & conatus Domino ac si integram illi obedientiam præstarent.* Et in Rom. 8. v. 5. *Se pro carnalibus non habere testatur* (Apostolus) *qui ad cœlestem iustitiam aspirant, sed qui mundo prorsus addicti sunt.*

Beza

Beza in præfat. ad Pastores Basilienses vol. 1. Theol. pag. 427. *Nolle malum, & tamen* (voluntariè) *facere, Sanctorum est qui luctantur.*

Paræus lib. 2. de Iustificat. cap. 7. pag. 472. *Filij diaboli non sunt simpliciter peccatores* (graues) *sed peccatores peruicaces*: Et lib. 4. cap. 17. pag. 1144. *Neque fideles qui peccant per accidens, vel per se ex infirmitate, sed qui peccatis per se indulgent, seruiunt Diabolo, & filij Diaboli dici debent.* *Soli peccatores peruicaces filij diaboli.*

Scharpius de Iustificat. controu. 13. pag. 203. *Illi tantùm Diabolo inseruire, eiusque filij esse dicuntur, in quibus peccatum regnat, & qui peccatum plena voluntate committunt; at fideles non ita peccant*: vide etiam ea quæ dicunt Art. sequ.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd viuentes secundum carnem morientur, nec possunt placere Deo: quòd nemo potest seruire duobus dominis: quòd omnis qui facit peccatum, ex Diabolo est. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd etiam filij Dei seruiunt carni: quòd Apostolus non habet pro carnalibus nisi qui sunt prorsus addicti mundo: quòd soli peruicaces peccatores sunt filij Diaboli, quòd fideles per accidens vel per se peccantes, nō seruiunt diabolo: quòd nolle malum & tamen illud voluntariè facere, est Sanctorum: quòd illi tantùm diabolo inseruiunt, qui peccatum plena voluntate committunt.

ARTI. V. AN PER GRAVIA PECCATA fideles excidant è gratia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

GAlat 5. v. 4. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* *Per peccatum exciditur à gratia.*

1. Ioan. 3. v. 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Et v. 15. Scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Idem patet ex locis citatis artic. 2. & alijs citandis artic. 6. & 8. *Est ex diabolo.* *Non habet vitam.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 15, *Asserendum est, non*

modò infidelitate, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.

NEGANT PROTESTANTES.

Academia Tigurina apud Zanchium to. 7. col. 704. *Cum in Sanctis, lucta spiritus aduersus carnem sit perpetuò, consequitur spiritum in eis perpetuo manere, quamuis pondere carnis aliquando vincantur.* Idque approbat Academia Marpurgensis col. 69. & Heidelbergensis col. 70

Fideles nō excidunt à gratia.

Caluinus in 2. Petri 2. v. 21. *Peccant quidem & fideles, sed non excidunt à Dei gratia.*

Fœdißime lapsi sunt filij Dei.

Beza in Confessione cap. 4. sect. 20. *Spiritus Sanctus testabatur ipsorum* (Dauidis & Petri) *spiritui, eos quamuis fœdißimè lapsos, tamen in numero filiorum Dei censeri.* Item: *Semen Spiritus adoptionis intra eum* (Petrum) *delituit.*

Dauid adulterans non amisit Spiritū S.

Idem in Colloquio Montisbel pag. 380. cùm dixisset Andræas: *Quæro, num Dauid adulterium perpetrans cum vxore Vriæ, fidem & Spiritum Sanctum amiserit?* Respondet Beza: *Nequaquam amisit, sed retinuit.* Item: *Ego dico Dauidem in adulterio perpetrato retinuisse Spiritum Sanctum.* Et pag. 381. *Sicut ebrietas vsum rationis aliquandiu auferre potest, non autem ipsam rationem: Sic quoque Spiritus Sancti fidei & gratiæ Dei vsum in Electis perpetrata peccata aliquandiu auferre possunt, non autem ipsam gratiam Dei, fidem, & Spiritum Sanctum, qui in illis manet & ab ijs non recedit, sicut quoque à Dauide non recesit.* Et pag. 383. *Dauid gratia Dei excidere non potuit.* Et parte. 2. Respons. ad Acta Montisb. p. 71. *Vanum est istud inter venialia & mortalia peccata discrimen. Neque Spiritum Sanctum vel hæc vel illa excutiunt, sed eius efficaciam interrumpunt.*

Idem habet in 1. Tim. 4. v. 1. Apol. vlt. cont. Saintem. p. 341. Et lib. qq. pag. 688.

Dauid non potuit excidere gratia Dei.

Peccata mortalia non excutiunt Spiritum S.

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 14. pag. 871. & sequ. negat, vel Dauidem adulterio & homicidio, vel Salomonem idololatria, vel Petrum abnegatione Christi *excidisse à iustificatione.* Et cap. 15. p. 902. inquit: *Iustus lapsu aliquo præuentus non penitus excidit fide & gratia:* Et pag. 907. *Renati nunquam sic peccant vel peccare à Deo sinuntur, vt semen Dei penitus amittant.* Et lib. 1. de Amissione Gratiæ cap. 7. pag. 67. *Quando spiritus vincit carnem, non ideo cessat caro esse in Sanctis, sed manet domita. Vicißim quando caro vincit Spiritum vt in Dauide lapso,*

non ideo desinit Spiritus esse in Sanctis, sed manet superatus, conturbatus. Et cap. 11. pag. 127. *Reconciliationem, gratiam, dilectionem, adoptionem, non quoduis, imo nullum peccatum fidelium dissoluere potest.*

Nullum peccatum dissoluere potest recõciliationem.

Zanchius de Perseuerantia Sanctorum tom. 7. col. 359. ait: quòd *sine blasphemia dici non possit, quod Sancti peccando desinant esse Filij Dei, & omne ius vitæ æternæ amittant.* Idque repetit col. 154. Et col. 119. & seq. negat Adamum & Dauidem *peccando à gratia prorsus excidisse.* Et col. 150. *Non discedit Spiritus S. sed contristatur nostris* (grauibus) *peccatis.*

Perkinsus de Baptismo tom. 1. col. 819. *Hoc memoratu omnino dignum est, quòd Apostolus Galatas eo ipso tempore cùm errarent in fundamento atque ad aliud defecissent Euangelium, Filios Dei appellat: Omnes vos filij Dei estis, dicẽdo. Hinc enim nõ quoduis enorme peccatum, nec vnumquemque errorem qui in fundamento committitur, gratiam & regenerationem quæ facit filios Dei obscurare, ne dum extinguere, citra iacturam veritatis concludere licet.* Et in serie Causarum cap. 42. col. 91. *Lapsu non tollitur gratia & fides, sed illustratur*, Et cap. 51. col. 104. *Gratiam extingui quouis mortali peccato hoc longè aliter esse ex verbo Dei constabit.* Et de sermone Domini in monte tom. 2. col. 391. ait quòd Dauid & Petrus etiam quando peccabant, *erant per regenerationem filij Dei, & gratia Dei in ijs mansit.* Idemque habet Somus apud ipsum tom. 1. col. 205.

Nullum enorme peccatum potest obscurare gratiam.

Lapsu non tollitur gratia.

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 22. pag. 209. *Nondum Dauid vita spirituali prorsus orbatus, nondum exutus iustificatione, sed dignus qui exuatur.* Item: *Reatus peccati non tollit iustificationem, non extinguit Spiritum S. non ius hæreditarium Regni Dei, sed tantùm vsum intercludit.*

Dauid non exutus iustificatione.

Scharpius controuersia 6. de Iustific. pag. 94. *Incestuosus ille* (Corinthius) *licet grauiter peccarit, tamen nec fidem nec charitatem amisit.* Controuers. 5. pag. 84. *Adam grauiter peccauit, at non prorsus excidit, retinebat enim Dei timorem.*

Incestuosus non amisit charitatẽ.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd qui quærebant iustificationem in lege, euacuati erant à Christo & exciderãt à gratia, quòd qui facit peccatum, ex Diabolo est: & quòd omnis ho-

micida non habet vitam in se. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fideles peccando non excidūt à gratia: quòd fœdissimè lapsi cēsentur filij Dei; quòd Dauid in homicidio retinuit Spiritum Sanctum: quod peccata fidelium non auferunt Spiritum Sanctum, sed vsum tantum illius: quòd peccata mortalia non excutiunt Spiritum Sanctum, quòd Dauid homicida & adulter non erat exutus vita Spirituali; quòd incestuosus non amisit charitatem Dei; quòd Spiritus Sanctus est in fidelibus, etiam cum carne vincūtur: quòd peccando non desinunt esse filij Dei: quòd nullum eorum peccatum potest dissoluere gratiam, & dilectionem; quòd lapsu non tollitur gratia, sed illustratur: quòd quoduis enorme peccatum non obscurat, ne dum extinguit gratiam ac regenerationem. Quæ tam directè pugnant cum Scriptura, vt multi Protestantes id agnoscant. Vide lib. 2. cap. vltimo.

ARTIC. VI. AN PECCATVM POSSIT simul esse cum iustitia?

Iustitia nō potest esse cum iniquitate.

NEGAT SCRIPTVRA.

2. Corinth. 6. v. 14. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?*

Spiritus S. nō habitat in corpore subdito peccatis.

Sapientiæ 1. v. 4. dicitur, quòd Spiritus sanctus *non habitabit in corpore subdito peccatis.*

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Amiss. gratiæ, &c. cap. 12. ait de peccato mortali: *Pugnat cum gratia, & simul cum iustitia manere non potest.*

Simul iustus & peccator, amicus & hostis Dei.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Lutherus in cap. 3. Galat. tom. 5. fol. 335. *Christianus simul iustus & peccator, amicus & hostis Dei est. Hæc contraria nulli Sophistæ admittunt, quia veram rationem iustificandi non tenent.* Et in Assert. artic. 31. to. 2. Fol. 109. *Si ergo omnis persona simul peccatrix est dū iustus est, quid euidentiùs sequi potest, quàm vt opus quoque partim sit bonum partim malum?*

Idem opus partim bonum partim malū.

Contraria simul.

Caluinus contra Franciscan. libertinum pag. 471. *En quomodo contraria in eodem subiecto esse possint. Nam vita inchoata*

est & mortis nonnihil restat. Et in Matth. 17. v. 24. *Cum nusquam perfecta extet fides, sequitur ex parte esse incredulos.* Item in Lucæ 1. v. 6. *Iustitia quæ in illis laudatur, à gratuita Dei indulgentia pendet, quò fit, vt quod reliquum est in ipsis iniustitiæ, non imputet.* Et 3. Institut. cap. 2. §. 18. ait quod in fidele mente *certitudo permixta est cum dubitatione.*

Fideles, ex parte increduli. *Iustitia cũ iniustitia.* *Certitudo cum dubitatione.*

Beza lib. Quæst. pag. 672. *In vno eodemque subiecto, diuersis tamẽ respectibus, sunt puritas & sordes, lux & tenebræ, fides & incredulitas.*

In eodem simul puritas & sordes, fides & incredulitas.

Petrus Martyr in locis Classe 2. cap. 15. §. 1. *Neque absurdum est, vnum idemque opus & bonum & prauum dici.*

Idem opus bonum & prauum.

Paræus lib. 4. de Iustificatione cap. 17. pag. 1139. *Respondeo nihil absurdi: fidem aliquando habere admixtam diffidentiam vel incredulitatem, quæ est peccatum, & sic per accidens fidem esse peccatum.* Et lib. 1. cap. 14. pag. 239. *Peccator credens in primo puncto iustificationis est iustificatus à gratia, & sceleratus à natura.* Et lib. 4. c. 17. cit. pag. 1144. *Opera sunt bona & non bona, & præmio & pœna digna, diuerso respectu. Bona, in quantum sunt à Deo, & à renatis secundum legem ex fide ad gloriam Dei fiunt: Mala, in quantum ab impura carne & peccatis aliis inquinantur.* Item: *Præmio digna sunt in foro misericordiæ, sed pœna digna in foro iustitiæ Dei.*

Fides admixtam habet incredulitatem. *Iustus & sceleratus in eodem momento.* *Opera bona & non bona.*

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 25. p. 214. *Peccatum cum iustitia cohabitat in nobis.*

Peccatum cũ iustitia cohabitat.

Danæus de Baptismo cap. 13. pag. 383. *Contraria in gradu imperfecto simul esse possunt, sic iustitia & peccatum inest in homine renato.*

Inest in homine.

Scharpius de Iust. Contr. 5. p. 88. *Cum fide potest esse actus infidelitatis, verùm non cum pleno impetu.* Et contr. 7. p. 114. *Quoad existentiam: In iustificato cum fide iustificante vitia sunt, licet non in vigore suo & sine lucta.*

Fides cum infidelitate.

Perkinsus in cap. 5. Galat. tom. 2. col. 311. *Vera fides semper mixta est cum aduersaria incredulitate, adeo vt qui credunt, sentiant in sese multam incredulitatem.*

Fides semper mixta cum incredulitate.

COLLATIO.

Scriptura apertè docet, quòd nulla sit participatio iustitiæ cum iniquitate, nulla societas luci ad tenebras: quòd

Spiritus S. non habitat in corpore subdito peccatis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd quis simul est amicus & hostis Dei, iustificatus & sceleratus: quòd simul esse possunt vita & mors, puritas, & sordes, lux & tenebræ, fides & infidelitas, peccatum (graue) & iustitia: imò quòd idem opus posset esse bonum & prauum; in eodem actu fides & incredulitas. Quæ pugnare cum Scriptura fatentur quandoque Protestantes, vide l. 2. cap. vlt.

ARTC. VII. AN PECCATA REDIMENDA sint bonis operibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Peccata redimenda operibus. Iniquitas redimitur operibus.

DAnielis 4. vers. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet* (Deus) *delictis tuis.*

Prouerb. 16. vers. 6. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Pœnitent. cap. 3. *Catholici docent pœnas temporales alterius vitæ redimi posse ieiunijs, precibus, eleemosynis, alijsque pijs ac laboriosis operibus huius vitæ.*

NEGANT PROTESTANTES.

Opera non possunt expiare peccata. Peccata nō possunt redimi eleemosynis.

Confessio Anglica artic. 12. *Bona opera peccata nostra expiare non possunt.*

Hunnius de Iustificat. pag. 197. *An non Christus pro peccatis frustra esset mortuus, si eleemosynis possent redimi.*

Herbrandus in Compendio Theol. loco de Bonis operibus pag. 341. *Si peccata eleemosynis redimerentur, Deus iniquus videretur, damnans pauperes propter peccata, propterea quod non illis vt alijs diuitias dederit quibus & ipsi possint sua peccata redimere.* Et 340. *Respondeo. Si τὸ ῥητὸν vrgeatur, manifestum est pugnare sententiam verborum illorum* (Danielis) *cum totius Sacræ Scripturæ scopo & fidei analogia.*

Kemnitius in locis parte 2. tit. de Argumentis pag. 98.

Eſt miſericordia, expiatio,, non culpæ, ſed pœna temporalis: Hæc Lutherani.

Caluinus 3. Inſtitut. cap. 4. §. 25. *Dicunt* (Papiſtæ) *eſſe multa adminicula quibus peccata redimamus, lachrymas, ieiunia, oblationes, charitatis officia. Talibus mendaciјs oppono &c.*

Non expiantur officijs charitatis.

Sadeel de vera peccatorum remiſſione p. 113. *Si peccatorum expiatio tribuitur hominum probitati, ergo Chriſtus fruſtra mortuus eſt.* Et tamen fatetur, quòd verbũ hebraicum in Prouerb. loco. citat. ſignificat *Expiare.*

Aretius in locis parte 1. fol. 90. *Interior* χαθαεισμὸς *non eſt eleemoſynarum—ſi poſsibile fuiſſet per eleemoſynas redimi peccata, fruſtra Chriſtus mortuus eſſet.* Homnius in diſput. 70. pag. 476. *Eleemoſyna nequaquam habet vim illam quam* Pontificij *blaſphemè illi aſcribunt, ſcilicet hominem ad gratiam iuſtificationis diſponendi, peccata delendi, pro iis ſatisfaciendi.*

Nõ poſſunt redimi eleemoſynis.

COLLATIO.

Scriptura diſertè docet, quòd peccata redimuntur eleemoſynis & miſericordia. Idem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd bona opera non poſſunt expiare peccata: quòd ſit mendacium, quòd peccata redimantur officiis charitatis: quòd non ſit poſſibile peccata eleemoſynis redimi: quòd ſi peccata redimerentur eleemoſynis Deus eſſet iniuſtus & Chriſtus fruſtra mortuus. Hæc autem contradicere verbis Danielis citatis indicat Petrus Martyr homilia 21. in Danielem, cum inquit: *Hic videtur omnium ſenſus eſſe ſimpliciſsimus: ſi me audieris, cogitabis quomodo peccata tua expies, ac redeas cum Deo in gratiam: Id fiet, ſi redemeris peccata tua per iuſtitiam ac beneficentiam.*

Proteſtãtes fatentur ſe cõtradicere Scripturæ.

ARTIC. VIII. AN ABSTINERE A GRAVIbus peccatis ſit fidelibus neceſſarium ad ſalutem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. COr. 6. v. 9. *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles &c. regnum Dei poſſidebunt.*

Graues peccatores non poſſidebunt regnũ Dei.

Epheſ. 5. v. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus: quod*

est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Viuentes secundum carnem morientur.

Rom. 8. v. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus 4. de Iustificat. cap. 9. *Fieri nullo modo potest, vt fides malis operibus comitata hominem saluet.*

NEGANT PROTESTANTES.

Credens non potest perdere salutem quantiscunque peccatis. Nulla peccata nisi incredulitas possunt dānare. Nullum malū opus damnat. Peccatū nō nocet credenti. Sine feceris mala, non damnaris. Millies fornicari nō abducit à Christo. Vbi fides peccatum non nocet. Omnia omnium peccata non damnant credentem. Soli incredulitati negatur venia.

Lutherus de Captiuit. Babylon. to. 2. fol. 74. *Ita vides, quàm diues sit homo Christianus siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere: Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas.* Ibidem de libertate fol. 8. *Infideli nullum opus prodest ad iustitiam & salutem, è diuerso nullum malum opus facit eum malum aut damnatum sed incredulitas.* Et tom. 4. in cap. 53. Isaiæ fol. 215. *Non nocere illi peccatum potest, qui credit.* Tom. 5. in Gal. 2. fol. 297. *Nolumus cogi aut conscientias nostras alligari ad vllum opus, vt hoc vel aliud facientes, iusti: omittentes vero, damnati simus.* Et fol. 313. *Pseudo Apostoli docebant, nisi vixeris secundū legem, coram Deo es mortuus: Paulus planè contrarium dicit.* In cap. 4. fol. 404. *Vera cognitio Christi seu fides non disputat vtrum feceris bona opera ad iustitiam, aut mala ad damnationem, sed simpliciter ita statuit. Siue feceris bona opera, non ideo iustificaris: siue feceris mala, non ideo damnaris.* Et to. 1. Epistolarum edit. Ienæ fol. 345. *Esto peccator, & pecca fortiter. A Christo peccatum nos non abducet, licet millies in vno die fornicationem aut homicidium admitteremus.* Ac Postilla in die Pentecostes fol. 277. *Hinc planè colligitur, vbi fides sit, nocere non posse peccatum.*

Melancthon in Ioannem apud Cocleum in Artic. 6. Confess. Augustanæ: *Sicut Euangelio sola fides iustitia est, vt scilicet si omnia omnium peccata feceris, tamen credis misereri tui Patrem propter Christum, saluus sis: ita è contra, Euangelio sola incredulitas peccatum est.*

Reineccius tom. 4. Armaturæ cap. 15. pag. 168. *Mala opera non faciunt malum, puta eum qui est in Christo.* Hæc Lutherani.

Zuinglius de Vera & falsa religione cap. de Peccato: *Relinquitur ergo solam esse incredulitatem, cui venia denegetur.*

Caluinus in Rom. 8. v. 13. *Vtcunque peccatis simus adhuc ob-*

noxij, nihilo tamen minus vitam nobis promittit, modò carnis morti ficandæ studium prosequamur: Neque enim exactè requirit carnis interitum, sed tantùm eniti nos iubet ad domandas eius libidines.

Vita promittitur obnoxijs peccato.

Vvitakerus Contr. 2. q. 5. c. 7. p. 514. *Nos dicimus: si quis actum fidei habeat, ei peccata non nocere, id quidem Lutherus affirmat, id nos omnes dicimus.*

Credenti non nocent peccata.

Author Respons. ad Theses Valentianas pag. 925. *Hoc sibi vult eximius ille theologus* (Lutherus) *omnesque adeò nostri, modò vera fide præditi simus, nullum quantumlibet graue crimen impedimento futurum, quò minùs fiamus æternæ hæreditatis compotes.*

Nulla peccata impediunt credentem à regno.

Scharpius de Iustificat. Controuers. 5. pag. 88. *Falsò affirmat, Scripturas asserere vnum peccatum* (graue) *tollere Spiritum S. Impediunt quidem peccata operationem Sancti Spiritus, at non tollunt.* Et pag. 86. ait fideles committentes opera carnis non excludi à regno Dei. Et 89. inquit: *Nulli baptizati qui credunt, damnantur.*

Nulli credentes dänantur.

Polanus in Disput. priuatis period. 3. disput. 37. *Euangelium non minatur exitium ob violationem legis.* Et Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 2. ait, quòd Euangelium propriè sumptum *habet comminationes mortis, sub sola conditione incredulitatis.*

Euägelium non minatur mortẽ ob violatã legem.

COLLATIO.

Scriptura disertè monet fideles ne errent, quia neque fornicarij, neque idololatræ, adulteri, & similes graues peccatores possidebunt regnum Dei, quòd si vixerint secundum carnem, morientur. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christianus non potest damnari quãtiscũq; peccatis nisi nolit credere: quòd sola incredulitas eum potest damnare, quòd omissio nullius operis eum damnat, quòd licet millies vno die fornicetur aut occidat, non abducetur à Christo, quòd si omnia omnium peccata fecerit, tamen credat, saluus erit, quòd soli incredulitati venia denegatur, quòd vtcumque sit obnoxius peccatis, vita illi promittitur; quòd Euangelium propriè sumptum comminatur mortem sub sola conditione incredulitatis: quòd modò actum fidei habeat, peccata ei non nocent: quòd modò vera fide præditus sit, nullum quantumlibet graue crimen impedimento

ei erit, quò minus æternæ fiat hæreditatis compos: quòd committens opera carnis, non excludetur à regno Dei: Quid quæso hæc aliud sunt, quàm vox illa serpentis ad Euam: *Nequaquam moriemini.*

ART. IX. AN PECCATA OPERVM SINT causa propter quam homines damnantur?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Damnati quia non fecerunt bona.

MAtth. 25. v. 41. *Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.*

Iudicatum de singulis secundum opera.

Apocalyps. 20. v. 13. *Iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. *Scripturæ passim docent pœnam æternam iusto Dei iudicio peccatis hominum reddi.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non damnamur in peccatis. Nullũ opus tam malũ vt posset damnare. Sola incredulitas habetur loco peccati. Nullũ peccatum damnatio sequitur.

Lutherus in Ionæ 1. to. 4. fol. 409. *Sciamus, neque in peccatis nos damnari, neque bonis operibus saluari.* Postilla in Dominic. 8. post Trinitatem fol. 300. *Nullum opus tam esse malum obseruo, quod hominem damnare queat: Sola incredulitas damnat. Quòd adulterium quis committit, id operis non damnat, verùm adulterium à fide eum defecisse indicat.* In Dominic. 4. post Pascha fol. 260. *Dominus hic longè secus refert, dum inquit, Spiritus sanctus arguit mũdum peccati causa, quòd non credunt in me: vbi sola incredulitas peccati loco ducitur.* In die Ascensionis fol. 268. *Nec vllum adeò ingens peccatum est, quod hominem damnare queat: sola incredulitas damnat quicunque damnandi sunt—Nullum peccatum damnatio sequitur, sed infidelitatem.*

Non damnãtur quia peccauerunt. Sola incredulitas dãnat.

Iacobus Andreæ in Colloquio Montisbel. pag. 447. *Non enim ideò damnantur æterno exitio adiudicandi, quòd peccauerunt, sed quia nolunt vera fide amplecti Christum.* Et in margine habet: *sola incredulitas damnat homines.* Vnde Beza in 2. parte Respons. ad hoc colloquium pag. 215. inquit: *Certè nobis intolerabilis vox vestra visa est: Homines non damnari propter peccata, &*

nihilominus ipsemet Beza in præfatione eiusdem libri pagin. 6. scribit: *homines non simpliciter peccato, sed incredulitate perire.*

Homines non pereũt peccato.

Schusselburg. to. 7. Catalog. Hæret. pag. 824. *Nulla peccata damnant, nisi accedat incredulitas.*

Bidembachius in consensu Iesuitarum & Christianorum impress. Rupellæ 1584. pag. 733. *Non impiè vsurpata à quibusdam Theologis est hæc sententia: solam incredulitatem damnare—Aut igitur Torrensis officium Spiritus sancti mundum arguentis arguat, & eius linguam corrigat, aut propter solam incredulitatem homines damnari concedat.*

Propter solam incredulitatem dãnantur.

Reineccius to. 3. Armaturæ cap. 12. pa. 101. *Punitur homo, non quia bene non egit.*

Non puniuntur quia non bene egerunt.

Zuinglius in Ioan. 5. to. 4. pag. 302. *Peccata non reddunt hominem iniustum, nec damnãt hominem, sed impietas & incredulitas.* Idem docere alios refert Vrsinus in Miscellaneis pagin. 87. vt satis patet ex iis quæ retulimus articulo superiori.

Paræus in Collegio Theol. 7. Disput. 5. *Solam infidelitatem esse causam damnationis, rectè dicitur.*

Peccata nõ damnant hominem.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd homines damnantur ob peccata omissionis, seu quia non fecerunt bona opera quæ iubebantur: quod iudicatur de singulis secundùm opera ipsorum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd homines non puniuntur quia non benè egerunt: quòd peccata non damnant homines, non damnantur propter peccata vel quia peccauerunt, quòd nullum peccatum est tam graue quod hominem queat damnare: quòd nullum peccatum damnatio sequitur: quod sola incredulitas damnat homines: propter solam incredulitatem damnantur.

ART. X. AN REDDENDA SIT RATIO peccatorum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Reddenda ratio omnis verbi otiosi. MAtth. 12. v. 36. *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.*

Vnusquisque reddet rationem. Rom. 14. v. 12. *Vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*

Omnes referēt bonū aut malum quod fecerunt. 2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.*

Iudicabuntur secūdū opera. Apocalypsis 20. v. 12. *Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto Actorum 15. v. 11. *Caluinistæ vt in rationem opera veniant, ferre non possunt: Sed isti pestilentes Doctores ad inferni barathrum sectatores suos recta perducunt, & diuinis Scripturis ex diametro contradicunt: In rationem opera venire debent.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Palatina pag. 202. *Credo & confiteor Deum Patrem propter plenissimam Christi satisfactionem nunquam vllorum meorum peccatorum meminisse, ita vt Dei iudicium metuere nequaquam habeam necesse.*

Christus non exiget rationem malæ vitæ. Lutherus in Galat. 1. to. 5. fol. 282. *Christus non exiget rationem à nobis malè transactæ vitæ.* Similia habet in cap. 2. fol. 310. 321.

Non intrabit nobiscū in iudiciū. *Peccata nostra non venient in iudicium.* *Nō veniēt in rationē.* Caluinus in Matth. 12. v. 36. *In hoc fundata est salutis nostræ fiducia, quòd Deus in iudicium non intrabit nobiscum.* In cap. 27. v. 26. *Neque timendum est, vt in Dei iudicium amplius veniant peccata nostra.* In Roman. 4. v. 6. *Qui Christi iustitia sunt induti, ij non sibi modò propitium habent Deum, sed operibus quoque suis, quorum maculæ & naeui Christi puritate obteguntur, ne in rationem veniant.* In Galat. 3. v. 22. *Certa est consequentia: si opera in iudicium veniant,*

omnes sumus damnati. Et 3. Institut. c. 17. §. 15. ait, quod fidelium *opera non excutit pro meritis.*

Beza in Confess. cap. 4. sect. 12. pag. 10. *Sanctificatio ista naturæ humanæ in Christo nobis per fidem imputata effecit, vt reliquiæ corruptionis illius, quæ in nobis etiam regeneratis insident, in rationem non veniant coram Deo.* *Nō venient in ratione.*

Scharpius de Iustificat. Controu. 4. pag. 67. *Hæc peccata non venient in rationem coram Deo.* *Nō venient in ratione.*

Tilenus in Syntagmate cap. 67. pag. 815. *Electi sciunt, nec facta sua, nec dicta singula ad huius* (extremi) *iudicij calculos vocatum iri.* *Electorum dicta & facta non vocabūtur ad calculos.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd homines reddēt rationē de omni verbo otioso; quòd vnusquisque reddet rationē pro se: quòd vnusquisque referet bonum & malum quod gessit, quòd iudicabuntur ex his quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Christus non exiget rationem malè transactæ vitæ: quòd Deus non intrabit nobiscum in iudicium: quòd peccata nostra non venient in iudicium, non venient in rationem: quòd nec dicta nec facta singula electorum vocabuntur ad calculos iudicij.

ART. XI. AN ELECTVS IVSTIFICATVS faciat malum seu peccatum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

PSalm. 50. v. 6. *Tibi soli peccaui & malum coram te feci*, dicit Dauid de seipso. *Dauid fecit malum.*

2. Regum 12. v. 9. dicitur Dauidi: *Quare contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?* *Fecit malū.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Amissione Gratiæ &c. cap. 7. *Ipse Dauid deflet propriè adulterium suum & homicidium, & inter cætera dicit: Tibi soli peccaui & malum coram te feci.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zanchius de Perseuerantia Sanctorum tom. 7. col. 124. *Dauid non fecit peccatum.*

Renati non faciunt peccatum.

Dauid peccauit quidem, sed nunquam fecit peccatum. Et col. 147 *Non faciunt peccatum renati.*

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 20. pag. 195. *Christus manifestè ostendit, aliud esse peccatum facere, & peccare: &* contendit iustificatos non facere peccatum.

Electi non faciũt peccatum.

Musculus in locis tit. de Peccato tom. 1. pag. 50. & in folio pag. 28. *Electi peccatum non faciunt, quamuis & ipsi subinde peccent.* Et pag. sequ. *Peccatum electi non faciunt, sed reprobi.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Dauid etsi electus & fidelis peccauit, fecit malum coram Deo, contempsit verbum Domini. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Dauid nunquam fecit peccatum; quòd renati non faciunt peccatum: quòd electi non faciunt peccatum.

ART. XII. AN IPSE ELECTVS IVSTIficatus peccet?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Dauid peccauit.

2. REgum 24. v. 17. ait Dauid de se ipso: *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi.* Et 1. Paralipom. 21. v. 17. *Ego qui peccaui, ego qui malum feci.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 14. *Qui vero ab accepta iustificatione per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt.* Et canon. 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit peccare non posse, neque gratiam amittere &c, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Electus ipse non perpetrat peccatum.

Academia Marpurgensis apud Zanchium tom. 7. col. 66. *Electus ipse non illud* (peccatum) *perpetrat, sed inhabitans in ipso peccatum.*

Christianus non peccat.

Bucerus in Matth. 7. pag. 200. *Christianus non peccat, & tamen habet peccatum.*

Electi non obediunt concupiscentijs.

Zanchius in Supplicat. ad Senatum Argentinensem to. 7. col. 59. *Electi minimè propriè peccati concupiscentijs obedire possunt.*

Contraremonstrantes in Collatione Hagæ pag. 351. *Electo non dominatur peccatum.* Et 347. *Ibi apertè dicitur, eum qui ex Deo natus est, id est, verè fidelem & renatum non ita peccare, vt peccatum ei iterum dominetur, nec ita posse peccare.*

Electis non dominatur peccatum.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Dauid licet iustificatus peccauit, malum fecit, iniquè egit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd electus non perpetrat peccatum, Christianus non peccat: quòd electus non obedit concupiscentijs peccati: quòd peccatum non dominatur electo.

ARTI. XIII. AN ELECTVS IVSTIFIcatus vnquam ex scientia & plena voluntate peccet?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

2. Regum 12. v. 9. dicitur Dauidi: *Quare contempsisti verbum Domini, vt faceres malum?* Et v. 10. *Non recedet gladius de domo tua, eò quòd despexeris me.*

Electus contemnit verbũ Dei. Despicit Deum.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Rom. 6. v. 12. vocat *fœdam doctrinam: quòd electi iustificati non excutiunt iugum legis Dei ex destinata malitia, sed ex fragilitate quia reluctantem spiritum vincit caro.*

NEGANT PROTESTANTES.

Bucerus in Matth. 12. v. 308. *Electi non peccant vnquam, nisi ex ignorantia.*

Electus nõ peccat nisi ex ignorantia.

Academia Tigurina apud Zanchium to. 7. col. 74. *Neuter eorum* (Dauid, Petrus) *toto corde totoque animo peccauit.*

Non toto corde.

Zanchius tom. citat. de Perseuerantia Sanctorum col. 98. *Veri fideles Christo semel insiti nunquam peccant ex animo, id est, toto animo, corde, & plena voluntate: sed tantùm carne & ex ignorantia, atque infirmitate.* Et col. 99. ait eos *nunquam peccare ex animo, sed carne tantùm labi.* Et 133. *Homo post iustificationem & regenerationem nunquam plena voluntate aut ex studio peccat, sed tantùm ex infirmitate.* Et col. 363. *Sancti nunquam peccant ex destinata malitia, seu (vt alij volunt) ex animo, sed semper aut ex infirmitate aut ex ignorantia.*

Non plena voluntate. Tantũ ex ignorantia. Tãtum ex infirmitate.

Danæus de baptiſmo cap. 14. pag. 385. *Peccant homines dupliciter, vel toto affectu animi nullam amplius ſentientes carnis & ſpiritus pugnam: Hoc modo non peccant qui ex Deo nati ſunt, & veram fidem habent.*

Non ex toto affectu.

Paræus de Amiſſ. Gratiæ lib 1. cap. 6. pag. 52. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit toto corde, totus*; Et lib. 3. de Iuſtificat. cap. 15. pag. 907. *Hinc apertè habetur, renatos non peccare, nempe toto corde & ad mortem.*

Non toto corde.

Perkinſus de Prædeſtinatione tom. 1. col. 153. *Renati non ex tota ſeu plena voluntate peccant.*

Non plena voluntate.

Scharpius de Iuſtificat. controu. 5. pag. 86. *Nulli fideles peccant pleno voluntatis impetu.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Dauid licet electus & iuſtificatus contempſit verbum Domini, & deſpexit Dominum. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd electus non peccat toto corde, non toto animo, nunquam peccat ex animo, non ex toto affectu, non plena voluntate: quòd non peccat niſi ex ignorantia & infirmitate, tantùm carne.

ART. XIV. AN VIDVÆ PAVLINÆ IRRItam faciebant fidem quia nubebant?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. TImot. 5. verſ. 11. & 12. *Adoleſcentiores viduas deuita: cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.*

Damnãtur quia nubunt.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 24. *Apoſtolus dicit eas primam fidem irritam facere, quæ nubere volunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confeſſ. Auguſtanæ cap. de votis. *Damnat Paulus viduas, non quia nubunt.*

Non quia nubunt.

Illyricus in claue parte 1. verbo Fides: *Non agitur ibi de non obſeruato voto aut repetito coniugio.*

Non quia nubunt.

Zuinglius in explanat. artic. 30. fol. 237. *Has dicit Paulus primam*

mam fidem fregisse, quòd sine maritis operam darent carni. Nam quæ nubebant maritis, fidem haudquaquam abiecerunt. *Non quia nubunt.*

Petrus Martyr lib. de Votis col. 1352. *Non hinc habetur, quòd illis peccato ascribatur velle nubere.* Similiter Sadeel ad artic. 53. abiurat, Perkinsus in Galat. 5. col. 295. & alij.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd viduæ Paulinæ nubendo habebant damnationem, quia nubendo fidem suam irritam faciebant. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non habebant damnationem nubendo: quòd non peccabant nubendo. Quæ contradictio Scripturæ est tam manifesta, vt quandoque Protest. eam agnoscant. vide lib. 2. c. vlt.

ARTIC. XV. AN VSVRA SIT peccatum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

PSalmo 14. v. 1. & 5. *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo, &c. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* *Vsurarius non habitat in tabernaculo.*

Psalmo 31. v. 14. *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum.* *Homo redimitur ex vsura.*

Ezechielis 18. v. 8. *Et vir si fuerit iustus — ad vsuram non commodauerit & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit animam suam, &c. hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.* *Iustus non commodat ad vsuram.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 2. 2. qu. 78. artic. 1. *Accipere vsuram pro pecunia mutuata, est secundum se iniustum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Bucerus in disput. de Vsuris pag. 794. *Dominus non omnem vsuram prohibuit atque condemnauit, sed vsuram cuiusdam generis, mordentem scilicet proximum non adiuuantem, quam solam ego admittendam censeo.* *Non omnis vsura dānata. Aliqua admittēda.*

Caluinus in Epistolis editis 1619. pag. 488. *Si omnino vsuras damnamus, inducimus strictiorem laqueum conscientiis, quàm Dominus ipse voluerit.* Item, *Nullo testimonio Scripturæ mihi constat vsuras omnino damnatas esse.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd qui dat pecuniam ad vsuram, non habitabit in tabernaculo Domini: quòd animæ redimuntur ab vsura: quòd iustus non commodat ad vsuram. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non omnis vsura est damnanda: quòd aliqua est admittenda.

ART. XVI. AN OMNES PECCAVERINT in Adamo?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Omnes peccauerunt in Adamo

ROm. 5. v. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Et v. 19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita, &c.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 4. de Amiss. Gratiæ, &c. cap. 3. *In illo vno homine* (Adamo) *omnes peccauerunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Peccauerũt metonymicè, Adam peccauit verè non alij.

Zuinglius de Peccato Originali to. 2. fol. 116. *Neque obstat, quod D. Paulus Rom. 5. ait: Omnes peccauerunt, Eodem enim modo peccandi verbum metonymicè ponitur.* Ibidem, de Ratione fidei, fol. 539. *Patrem nostrum peccauisse fateor peccatum quod verè est peccatum, at qui ex isto prognati sunt, non hoc modo peccarunt.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd omnes peccauerunt in Adamo, quòd per eius inobedientiam multi constituti sunt peccatores. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd omnes peccauerunt metonymicè in Adamo: quòd Adam verè peccauit, at non ita illi qui ex ipso prognati sunt.

ART. XVII. AN SIT VLLVM PECCAtum originale?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Scriptura locis articulo præcedente citatis ait, quòd omnes peccauerunt in Adamo, & per vnius inobedientiam constituti sunt peccatores. Et 1. Corinth. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, &c.*

Omnes peccauerũt & moriuntur in Ada.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. Sess. 5. canone 2. *Si quis Adamum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Zuinglius de peccato originali to. 2. fol. 115. *Quid breuius aut clarius dici potuit, quàm originale peccatum non esse peccatum sed morbum?* fol. 116. *Hoc ipsum volo: culpam originalem non verè sed metonimicè à primo parentis admisso culpam vocari.* Et fol. 115. ait: *Quid imbecillius dici potuit & à Scriptura canonica alienius, quàm non esse morbum sed etiam reatum?* Ibidem lib. de Baptismo fol. 87. *Consequens est paruulos vel infantes omni labe carere & macula.* Et fol. 90. *Vnde colligimus, peccatum originale morbum quidem esse, qui tamen per se culpabilis non sit, nec damnationis pœnam inferre possit.* Item: *Quî fieri potest, vt quod morbus & contagio est, peccati nomen mereatur vel peccatum reuera sit?* Et Respons. ad Lutherum, fol. 517. *Summa omnium quæ in libello de peccato originali conscripto docemus, hæc est: Quòd nimirum originalis ista contagio non tale peccatum sit, quod culpam sibi coniunctam habeat, sed morbus potius qui propter peccatum ab Adamo commissum, nobis adhærere solet.* Idem docent Iacobus Faber & Erasmus in Rom. 5. qui ambo à Protestantibus pro suis vendicantur.

Originale peccatum non est peccatum. Non culpa. Nõ reatus. Non labes aut macula. Non per se culpabilis aut damnabilis. Non meretur nomen peccati. Non reuera peccatũ. Non coniunctam habet culpam.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd omnes peccauerunt in Adamo, omnes moriuntur in Adamo, quòd per illius inobedientiam multi constituti sunt peccatores. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd peccatum originale non est

peccatum sed morbus, non verè culpa sed metonymicè; non reatus sed morbus, non labes aut macula, non per se culpabilis, non potest inferre pœnam damnationis, non tale peccatum quod culpam sibi coniunctam habeat, non reuera peccatum, nec meretur peccati nomen.

SVMMA HVIVS CAPITIS de Peccatis.

EX relatis in hoc capite liquet, quòd Scriptura cum Catholicis longè aliter doceat de peccatis quàm Protestantes. Nam Scriptura ac Catholici docent, quòd peccata imputantur fidelibus, quòd sunt mortalia illis sicut aliis: quòd debent vinci à fidelibus, quòd qui seruiunt peccatis, non seruiunt Deo: quòd grauia peccata eiiciunt fideles è gratia, nec possunt simul esse cum iustitia, quòd sunt redimenda bonis operibus: quod abstinere ab illis est necessarium ad salutem: quòd sunt causa ob quam homines damnantur, quòd est reddenda ratio illorum: quòd fiunt ab electis, idque pleno consensu; quòd vsura est peccatum; & peccatum Originale verè peccatum. Contraria autem docent Protestantes.

Quot & quanta mala Prot. furantur à Peccato.

Liquet etiam, quòd Protestantes fures agant erga peccata non secus ac erga res bonas: sed quòd alia furentur à peccatis quàm ab alijs rebus, & ob alium finem: Nam à Deo, à Christo, à Sanctis, ab Ecclesia, à Sacramentis, à bonis operibus & alijs rebus pijs furantur ea quæ bona, honesta, laude & honore digna sunt, ne scilicet videantur tanti à nobis æstimandæ aut appetendæ: A peccatis verò furantur malitiam ac vim nocendi fidelibus, dum docent quòd non imputantur illis, non inferunt mortem, non eijciunt è gratia Dei, & reliqua quæ iam retulimus: scilicet, vt non videantur tantum fugienda atque odio habenda à fidelibus: adeòque produnt se & amicos esse peccati, & præcursores illius qui *homo peccati* appellatur. Atque hæc de Peccatis; sequitur de Iustificatione ab ijsdem.

2. Thess. 2.

CAPVT XVI.

DE IVTIFICATIONE.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN IVSTIFCATIO SIT EX operibus?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.



Acobi 2. v. 21. *Abraham Pater noster nonne ex operibus iustificatus est.* v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo:* Et v. 25. *Rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est;* *Abraham iustificatus ex operibus. Homo. Rahab.*

Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* *Remittuntur peccata quia diligit.*

Actor. 3. v. 19. *Pœnitimini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* *Pœnitendũ vt deleantur peccata.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Rom. 4. v. 2. *Abrahæ opera etiam coram Deo gloriam habebant, & ex illis iustificatus fuit, vt D. Iacobus disertissime affirmat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confess. Augustanæ cap. de Iustificat: *Reconciliatio non accipitur operibus.* Cap. de Respons. ad Argumenta: *Hæc est ipsa vox Euangelij propria; quod propter Christum, non propter opera nostra fide consequamur remissionem peccatorum.* Et cap. de Impletione legis: *Si quis sentit se ideo consequi peccatorum remissionem; quia diligit, afficit contumelia Christum.* *Iustificatio non accipitur operibus. Non propter opera. Non quia diligit.*

Confessio Bohemica Art. 7. *Bona opera sunt facienda, non vt per ipsa homines iustificationem se consequi arbitrentur:* Confessio Gallica artic. 22. *Profitemur bona opera, quæ duce ipsius* *Non per opera.*

spiritu edimus, non respici à Deo, vt per ea iustificemur.

Non per opera. Heluetica cap. 15. *Iustificationem hanc recipimus non per vlla opera: Docemus & credimus peccatorem iustificari sola fide in Christum, non lege aut vllis operibus.*

Nullis operibus. *Nulla re nisi fide.* Lutherus de libertate Christiana tom. 2. fol. 4. *Anima nullis operibus iustificatur.* In Galat. 1. tom. 5. fol. 278. *Nullis operibus tollitur peccatum.* In cap. 3. fol. 337. *Nulla prorsus alia re iustificatus est* (Abraham) *nisi fide.* Et Epistola ad Liuones tom. 7. fol. 499. *Omnis doctrina de nobis per opera iustificandis & saluandis, impia & diabolica est, & summa Dei blasphemia.* Et to. 1. fol. 393. *Firmiter tenendum est contra Diabolum, sola fide ante dilectionem fuisse saluam factam mulierem.* *Ante dilectionem.*

Kemnitius de Origine Iesuitarum pag. 50. *Si nostra charitate Deo reconciliamur & filij Dei efficimur, frustra ergo Christus mortuus est.* Et pag. sequ. *Iustificatio à nouitate vitæ non dependet.*

Non ex operibus. Caluinus 3. Instit. cap. 16. §. 1. *Dicimus eos non iustificari ex operibus.* Cap. 11. §. 6. *In iustificatione nullus est operibus locus.* Et in Galat. 2. v. 15. *Operibus iustificari non possumus.*

Beza in confessione cap. 4. sect. 17. *Quî fiet, vt bonis operibus iustificemur?*

Non ex operibus. Petrus Martyr in locis classe 3. cap. 4. §. 8. *Iustificatio ex operibus non habetur.*

Non per opera. Bullingerus de Iustificatione fidei sermone 6. *Abraham non iustificatus est per opera sua.*

Aretius in locis parte 2. fol. 78. *Non ex operibus iustificamur.*

Sadeel ad Artic. 44. abiurat. pag. 482. *Hoc constantissimè tenendum est, nos bona opera facere, non vt iusti simus.*

Non ex operibus. Zanchius in Confessione cap. 21. art. 4. to. 8. *Constanter confitemur hominem ex operibus non iustificari.*

Nō remittitur quia diligit. Polanus in Disput. priuatis period. 1. disput. 36. *Non quia mulier illa multum dilexit, ideo ipsi remissa sunt peccata.*

Non ex operibus. Perkinsus in serie Causarum cap. 51. to. 1. col. 103. *Iustificari nos operibus, & falsum & ridiculum est.* In Galat. 3. to. 2. col. 126. *Abraham non iustificatus est operibus suis bonis.* Et in cap. 4. col. 219. *Doctrina, quæ iustificationem per opera somniat, idololatriam inuehit.* Et addit in cap. 5. col. 260. Quod *euertit fundamentum religionis.*

Paræus in Galat. 2. lectione 24. *Apostolus negat opera vel sola vel cum fide iustificare.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Abraham iustificatus est ex operibus; quòd Rahab iustificata est ex operibus, quòd homo iustificatur ex operibus: quòd mulieri remissa sunt peccata quia dilexit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Abraham non est iustificatus operibus, non per opera, nulla prorsus alia re nisi fide: quòd mulieri non sunt remissa peccata quia dilexit: quòd sit contumelia Christi putare se consequi remissionem quia diligit: quòd nullis operibus tollitur peccatum; quòd non iustificamur per opera, ex operibus, vllis operibus: quòd sit doctrina impia, diabolica, ridicula, sũma Dei blasphemia, quòd inuehit idololatriam & euertit fundamentum religionis, somniare iustificationem per opera.

ARTIC. II. AN IVSTIFICATIO SIT EX fide tantùm?

NEGAT SCRIPTVRA.

IAcobi 2. v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* *Iustificatio non ex fide tantùm.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri quod ad iustificationis gratiam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Communiter docent *nos sola fide iustificari.* Ita totidem verbis Confessio Saxonica cap. de Remissione peccatorum, Vvirtembergica. cap. de Iustificat. Articuli Smalcaldici parte 2. cap. 1. Liber Concordiæ cap. 3. Confessio Anglica artic. 11. Heluetica cap. 15. Belgica artic. 22. Bohemica artic. 6. Idemque aliis verbis docet Confessio Augustana cap. de Fide. Argentinensis cap. 3. & Gallica artic. 20. *Iustificamur sola fide.*

Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Iustificat. *Sola*

fide iustificamur, intelligendo iustificationem ex iniusto iustum effici seu regenerari. Item: *Sola fides iustificat, sola fides regenerat: sola fides ex iniusto iustum efficit.* Rursus. *Tantùm fide accipimus remissionem propter Christum.* Et cap. de Respons. ad Argumenta: *Accipitur tantùm fide & remissio peccatorum & iustificatio —Hæc tantùm fide consequimur.*

Sola fides iustum efficit.

Lutherus de libertate to. 2. fol. 4. *Anima sola fide iustificatur.* Et in Galat. 2. to. 5. fol. 305. *Fides iustificat, præterea nihil.*

Nihil præter fidem iustificat.

Vrbanus Regius in Interpretat. locorum to. 1. fol. 56. *Iustificamur per solam fidem, fide tantùm iusti æstimamur.* Et in Catechesi fol. 136. *Fide tantùm iustificamur.*

Fide tantũ iustificamur.

Schusselburg. lib. 1. Theol. Calu. art. 15. fol. 50. *Paulus docet hominem iustificari tantùm per fidem, sola fide.*

Tantum per fidem.

Caluinus in Galat. 2. v. 16. *Nos sola fide iustificamur.* Idem habet in Actor. 13. v. 39. In Confessione fidei pag. 109. De vera Ecclesiæ reformat. pag. 318. In Antidoto Concilij sess. 6. canone 9.

Non alia ratione quàm fide.

Beza in Roma. 3. v. 20. *Quid erat Apostolo propositum? Docere nullum hominem alia ratione quàm fide iustificari. Vna fide iustificamur.*

Fide tantùm.

Petrus Martyr in 1. Corinth. 1. fol. 32 in 8. *Fidei tantùm est, vt per illam iustificemur.*

Vvitakerus ad Rationem 1. Campiani pag. 7. *Nostrum illud dogma est verissimum, sanctissimumque: Hominem sola fide iustificari.*

solũmodò fide.

Perkinsus in Catechesi. tom. 1. col. 487. *Quomodo particeps fieri potes Christi omniumque illius beneficiorum ac illis commodè frui? solummodo fide.*

Tantùm fide.

Author de Iustificatione in tom. 5. Doctrinæ Iesuit. impress. Rupellæ 1586. pag. 218. *Necesse est concedere, homines tantùm fide iustificari.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd homo non iustificatur ex fide tantùm. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quod homo iustificatur tantùm fide, sola fide, vna fide, solummodo fide, non alia ratione quàm fide; quòd fides iustificat, præterea nihil.

ART.

ART. III. AN IVSTIFICATI, SINT REuera & coram Deo iusti?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

GEnes. 7. vers. 1. Deus ait ad Noë: *Te vidi iustum coram me.* *Noe iustus coram Deo.*

Iob. 32. vers. 2. *Iratus est autem* (Eliu) *aduersum Iob, eòquod iustum se diceret coram Deo.* *Item Iob.*

Lucæ 1. v. 6. *Erant iusti ambo ante Deum.* *Iusti ante Deum.*

2. Corinth. 5. v. 21. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.*

Ephesios 1. v. 4. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* *Sancti in conspectu Dei.*

1. Ioan. 3. v. 7. *Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est.* *Iustus sicut Deus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. *Vnica formalis causa* (iustificationis) *est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, non modò reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Illyricus in Matth. 20. v. 12. *Sanè ita est in religione & coram Deo, & præsertim in Regno gratiæ, vbi omnia ex gratuita misericordia pendent, & nemo est iustus.* Et in præfat. 2. partis suæ Clauis ait, quòd Papistis (iustificare) *perperam accipitur de reali, non imputatiua iustitia.* *Nemo est iustus in regno gratiæ.* *Non realiter iustus.*

Reineccius to. 4. Armaturæ cap. 15. pag. 158. *Nec Deus nos respicit nisi in filio suo: vnde fit vt prorsus alij appareamus quàm simus.* Et pag. 159. *Quemadmodum per vitrum seu viride seu flauum seu alius coloris cernentes, quæ videmus nobis apparent talia quale est vitrum per quod ea cernimus: Ita Deo (humanum dico propter infirmitatem carnis) nos aspicienti & contemplanti in Filio, eiusdem videmur esse coloris, eiusque iustitia & innocentia splendentes apparemus, quò fit vt nos videns & tangens credat se proprium filium naturalem tangere, vt Isaac alloquens Iacobum minorem filium suum existimabat se Esauum maiorem alloqui.* Eodem exemplo de vi- *Prorsus alij apparemus Deo quàm sumus.* *Deus decipitur sicut Isaac.*

tro seu specillo viridi vtitur Zanchius l. 2. de Nat. Dei cap. 2. to. 2. col. 536.

Hunnius de Iustificat. pag. 19. reiicit vt dogma Papisticum, quòd per iustificationem, *homo fiat reuera iustus*. Ita Lutherani.

Coram Deo nemo iustus. Zuinglius in Lucæ 1. to. 4. pag. 183. *Coram Deo nemo iustus esse potest.*

Non sumus iusti, sed habemur. Caluinus 3. Institut. cap. 19. §. 2. *Non illic* (in iustificatione) *quæritur, quomodo iusti simus: sed quomodo iniusti licet ac indigni, pro iustis habeamur.* Et cap. 11. §. 11. *Concedat iustos censeri, qui reipsa non sunt.* Item: *Iustus est, non reipsa, sed tantùm imputatione.* Et §. 6. reprehendit Osiandrum, quòd per iustificari, intelligit *Iustum effici.* Idem in Matth. 12. v. 37. *Papistis absurdum est, quod dicimus hominem fide iustificari, quia iustum reipsa fieri & esse exponunt: Nos autem iustum censeri & coram iudicio Dei absolui intelligimus.* In Lucæ 18. v. 14. *Hic locus perspicuè docet, quid propriè sit iustificari, nempe stare coram Deo ac si iusti essemus.* In Roman. 3. v. 25. *Iam aliquoties monui, non iustificari homines quia reipsa tales sunt, sed imputatione.* In 2. Corinth. 5. v. 21. *Quomodo iusti coram Deo sumus? qualiter scilicet Christus fuit peccator.* In Antidoto sess. 6. cap. 8. pag. 280. *Affirmant* (Tridentini) *nos verè iustos esse non tantùm reputari.* Et Concione 158. in Iob: *Vbi quispiam talis* (iustus) *inter homines reperietur?*

Non reipsa iusti. Non reipsa iusti. Stamus coram Deo ac si essemus iusti. Non reipsa iusti. Iusti sicut Christus peccator. Non verè iusti. Nullus iustus inter homines.

Beza in Matth. 12. v. 37. *Paulus testatur nos cum in nobis iusti non simus, in Christo tamen per fidem apprehenso iustificari, id est, pro iustis censeri ac proinde absolui.*

Paræus de Amiss. Gratiæ lib. 1. cap. 6. pag. 53. *Tutius dicũtur* (Zacharias & Elizabeth) *fuisse iusti & inculpati coram Deo & hominibus, non absolutè, sed imputatione iustitiæ.* Idem sentiunt alij omnes, dum dicunt, quòd Deum iustificare homines, non sit eos facere iustos, sed tantùm declarare seu pronunciare eos tales.

Non absolutè iusti.

Collatio.

Scriptura disertè docet, quòd Noë fuit iustus coram Deo, Iob iustus coram Deo: Zacharias & Elizabeth iusti ante Deum: quòd Deus nos elegit vt essemus iusti in conspectu eius, & fecit Christum peccatum vt nos efficiamur iustitia Dei in ipso, & quòd qui facit iustitiam, iustus est sicut ille iu-

ſtus eſt. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt abſolutè, quòd nemo eſt iuſtus; quòd in iuſtificatione non quæritur quomodo iuſti ſimus, ſed duntaxat quomodo pro iuſtis habeamur: quòd iuſtificari, non eſt reipſa fieri, aut eſſe iuſtum: quòd iuſtificati non ſunt reipſa iuſti, ſed tantùm imputatione, non abſolutè, non reuera, non verè iuſti, ſed tantùm reputantur: quòd ſtant coram Deo ac ſi iuſti eſſent: quòd coram ipſo non ſunt aliter iuſti quàm Chriſtus peccator: quòd prorſus alij apparemus Deo quàm ſumus: quòd Deus nos videns & tangens credat ſe proprium filium tangere vt Iſaac exiſtimabat ſe tangere Eſauum quando reuera tangebat Iacob.

ART. IV. AN IVSTIFICATI ſint mundi?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

EZechielis 36. v. 25. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* *Mūdamur ab omnibus inquinamentis.*

Ioannis 13. v. 10. *Vos mundi eſtis.* Et cap. 16. v. 3. *Iam vos mundi eſtis.*

1. Cor. 6. v. 11. *Et hæc fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* *Apoſtoli, mundi.*

Epheſ. 1. v. 4. *Elegit nos, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius.* *Immaculati in conſpectu Dei.*

Tit. 2. v. 14. *Dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret ſibi populum acceptabilem.* *Mundat populum.*

Hebræos 9. v. 14. *Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* *Mundat conſcientiam.*

1. Ioannis 1. v. 7. *Et ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato.* *Mundat ab omni peccato.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. ſeſſ. 5. canone 5. *Nihil eſt damnationis ijs qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum qui ſecundùm Deum creatus eſt induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij ac Deo dilecti effecti ſunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Sanctissimi sunt contaminati multis delictis. Confessio Gallica artic.11. *Etiam qui sanctitate excellunt multis delictis sunt contaminati, quandiu in hoc mundo versantur.*

Immundi. Lutherus in Confutatione Latomi tom.2.fol.218. *Credentes iusti, & tamen immundi sunt.*

Iniusti. Zuinglius in Explanat. artic.39. *Omnes homines iniusti sunt coram Deo.*

Immundi. Impij. Caluinus 3.Institut.cap.15.§.5. *Vt immundi simus, ipse nobis est puritas.* In Romanos 4.v.5. *Nemo ad fidei iustitiam perueniet, nisi qui in se erit impius.* Et in v.20. *Pro iustis se nos habere pronunciat, peccatis sumus cooperti.* Et lib.de Cœna pag. 2. *Certò sciamus nos quamuis iniquos & impuros, agnosci tamen & recipi à Domino atque etiam haberi pro iustis.*

Peccatis cooperti. Iniqui & impuri.

Beza in Romanos 4. v. 5. *Qui iustificat impium, id est, eum qui in se est impius, censet iustum in Christo.*

Impuri, sordidi. Iunius lib. 4. de Ecclesia cap. 11. *Pius, est in se impurus & sordidus.*

Iniusti. Scharpius de Iustificat. Controuers. 8.pag. 181. *Nos ob imputatam iustitiam Christi, iusti, & ob inhærentiam peccati, iniusti dicimur.*

Non absolutè mundati. Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 17. pag. 1142. *Alioquin si absolute iam mundauit Ecclesiam & populum suum Christus, quid sequitur, nisi Babylonem Rom. nec Ecclesiam nec populum Christi esse*; Idem docent alij, qui (vt articulo sequenti referemus) dicunt peccata manere in iustificatis. Atque hinc est, quòd Protestantes, licet fide credant se iustificatos esse, palam tamen profitentur se nequissimos esse. Ita enim in Confessione Gallica artic.18. loquuntur: *In nobis ipsis omni odio digni sumus*: Et in Confess. Heluetica cap. 8. asserunt, quòd sint *concupiscentijs prauis immersi, à bono auersi, ad omne malum propensi, pleni omni nequitia, diffidentia, contemptu, & odio Dei.* Vel vt habent in Oratione Gallica: *Ad nequitiam procliues, ad omne opus bonum inutiles, nullumque transgrediendi Dei mandatum finem facientes, indies impura & scelesta vita damnationem augentes.* Et Beza in Confess. cap. 4. art. 10. *Satis constat, nos infinitis sceleribus esse coopertos*; Quibus similia confitentur Humfredus ad Rationem 2. Campiani pag. 142. Vvitakerus

Quales Protestantes fatentur se esse.

lib. 2. de Peccato Originali cap. 3. Paræus lib. 3. de Iustificatio. cap. 8. & alij. Hæc illi de se ipsis: Quare nil mirum, quòd in Confessione Gallica artic. 18. citato profiteantur *se abijcere omnem virtutum & meritorum opinionem.* Atque huiusmodi sunt iustificati more Protestantico, & vt nos tales efficeret Christus, scilicet, incarnatus ac passus est, ac Spiritum Sanctũ in mundum misit.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd iustificati sunt mundi, sunt abluti, sunt mundati ab omnibus inquinamentis, emundati ab operibus mortuis & omni peccato, sunt immaculati. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd iustificati non sunt absolutè mundati, sunt immundi, impuri, sordidi, iniusti, impij, multis delictis contaminati, & quòd iustificati more Protestantico sunt prauis concupiscentijs immersi, pleni omni nequitia, infinitis sceleribus cooperti, omni odio digni: Et si iustificati inter illos tales sunt, quales tandem sunt reliqui;

ARTI. V. AN IN IVSTIFICATIS REmaneant peccata à quibus iustificantur?

NEGAT SCRIPTVRA.

ISaiæ 44. v. 22. *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua,* *Peccata delentur vt nebula.*

Psalm. 16. v. 23. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.* *Non inuẽta iniquitas in Dauide.*

Psalmo 102. v. 12. *Quantum distat ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* *Peccata lõge à nobis vt ortus ab occidente.*

Ioannis 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et 1 Ioan. 3. v. 5. *Ille apparuit, vt peccata nostra tolleret.* Rom. 8. v. 1. *Nihil nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu.* *Peccata tolluntur.* *Nihil damnationis in iustificatis.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 5. cano. 1. *Si quis per Domini nostri Iesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantùm*

radi aut non imputari, anathema sit.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Magna peccata in renatis.

Confessio Saxonica cap. 9. *Confiteatur adhuc in renato multa peccata & magnas sordes esse dignas ira* Dei. Idem docet Confessio Vuirtembergensis cap. de Baptismo, Gallica artic. 11. Belgica artic. 15. Anglica artic. 9. & Scotica arti. 15

Remittuntur peccata non tolluntur.

Lutherus in Assertion. artic. 2. tom. 2. fol. 99. *Aliud est omnia peccata remitti, aliud omnia tolli*: *Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit.* Ibidem de Ratione Confitendi fol. 26. *Hoc est mortalium mortalissimum, non credere se esse damnabili & mortali peccato obnoxium coram Deo.* Et in Galat 3. to. 5. fol. 336. *Credentes reputamur iusti, manentibus nihilominus in nobis peccatis & quidem grandibus.*

Grandia peccata in renatis.

Iniustitia in regeneratis.

Liber Concordiæ Lutheranorum cap. 3. pag. 686. *Quando docemus, quòd per operationem Spiritus Sancti regeneremur & iustificemur, non ita accipiendum est, quod iustificatis & renatis nulla prorsus iniustitia post regenerationem adhæreat.*

Herbranduus in Compendio loco de Peccato pag. 198. *Adest ergo & remanet peccatum reliquum in renatis.*

Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ artic. 4. pag. 373. *Credentes in Christo iusti efficimur, vt peccata, quamuis intimè adhæreant nobis, non tamen adiudicentur.*

Non tolluntur peccata vt non sint.

Reineccius tom. 4. Armaturæ cap. 22. pag. 330. *Tolluntur à nobis peccata, non quidem vt non sint, sed vt non imputentur & damnent.* Ita etiam Regius in locis tit. de Peccato tom. 1. fol. 302. Lobechius Disput. 7. pa. 156 & alij Lutherani.

Manēt peccata.

Caluinus in Ioan. 1. v. 29. *Quamuis peccatum in nobis perpetuò hæreat, tamen quoad Dei iudicium nullum est.* Et in Antidoto Concilij sess. 5. pag. 270. *Manet verè peccatum in nobis.*

Deus non efficit vt peccatum non sit.

Petrus Martyr in locis Classe. 1. cap. 14. pag. 104. *Cum Deus dicitur remittere, delere, condonare peccata, non efficit vt non sint aut non fuerint, sed obligatio ad ferendam pœnam pro scelere admisso tollitur.*

Peccatum non tollitur quoad materiam vel formam.

Tilenus in Syntagmate cap. 59 pag. 693. Peccatum in baptismo *non tollitur quoad materiam vel formam quæ est ἀνομία: non ita tollitur vt amplius non sit, sed vt amplius non imputetur.*

Vvitakerus lib. 2. de Peccato Originali cap. 3. *Si renatos*

putes peccatis (mortalibus) *carere posse, contra Scripturam & orthodoxam fidem sentis.* Et lib. 3. cap. 3. *Quàm multa in nobis sunt digna damnatione, illa Apostoli oratio declarat.* Et ibidem pag. 630. ait peccatum in renatis *viuere, valere, & vigere.*

Multa in renatis digna damnatione.

Paræus lib. 5. de Amiss. Gratiæ cap. 7. pag. 749. *Innumera peccata etiam morte digna remanent in iustificatis.*

Immunera peccata mortalia in renatis.

Perkinsus de Baptismo tom. 1. col. 835. *Remissio aufert peccatum vt non imputetur, non autem vt non sit.* Idem docet Scharpius de Iustificat. Controu. 9. Paræus de Iustificat. lib. 4. cap. 6. lib. 2. cap. 3. Polanus in disput. priuatis periodo 3. disputat. 15. Bucanus in Institut. loco 16. & 31. Author de Iustificatione tom. 5. doctrinæ Iesuiticæ. Et ibidem Author Respons. ad Theses Valentianas pag. 940. Atque hinc est quòd distinguere soleant inter remissionem peccati & abolitionem eiusdem, ac dicere quòd remissio peccati sit tantùm occultatio culpæ, vel tantùm condonatio pœnæ.

Kemnitius de Origine Iesuitarum cap. de Peccato: *Aliud est remissio peccati, aliud abolitio peccati*; vel vt aiebat Lutherus supra citatus: *Aliud est peccata remitti, aliud tolli.*

Remissio peccati non est eius abolitio.

Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 38. *Nostram iustitiam, delicti occultationem esse dicimus.* Et lib. 3. de Peccato Originali cap. 3. *Remissio indulget & pœnam condonat, non omnem actu tollit aut remouet culpam.*

Beza in Matth. 6. v. 12. *Remittere peccatum, non est aliud, quàm eius pœnam non exigere.*

Remittere peccatum tantùm est non exigere pœnam.

Piscator in thesibus lib. 1. pag. 428. *Remissio culpæ, non est aliud, quàm nolle punire propter culpam.* Idem habet lib. 2. pag. 74. Et lib. 1. de Iustificat. cap. 6. Aretius loco. 30. fol. 49. Paræus lib. 2 de Iustificat. cap. 9. Molinæus in suo Scuto parte 1. sect. 85. & alij.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Deus tollit peccatum; quòd delet peccata & iniquitates vt nubem aut nebulam: quòd longè facit iniquitates à nobis quantum ortus ab occidente: quòd non inuenit iniquitatem in Dauide, quòd nihil damnationis est in ijs qui sunt in Christo Iesu. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd multa peccata, innumera peccata, grandia peccata; morte digna, magnæ sordes dignæ ira Dei sunt, manent, verè manent, remanent, continuò insunt, perpetuò hærent in iustificatis: quòd peccatum in renatis viuit, valet, viget: quòd non tollitur peccatum vt non sit, nullum penitus tollitur, non tollitur quoad materiam vel formam, non efficitur vt non sit amplius; quòd remissio peccati, non est ablatio culpæ, sed tantùm non exactio pœnæ. Quæ ita ex diametro pugnant cum Scriptura, vt Lutherus in Galat. 3. to. 5. fol. 335. ita scribat: *Ista ex diametro pugnant: Christianum esse iustum & amari à Deo, & tamen simul esse peccatorem. Deus enim non potest negare suam naturam, hoc est, non potest non odisse peccatum & peccatores, hocque necessario facit, nam alioquin iniustus esset: Quomodo ergo simul vera sunt ista duo contradictoria: Habeo peccatum & sum dignissimus ira & odio Dei, & Pater amat me?*

Confessio Lutheri.

ARTIC. VI. AN IVSTIFICATIS PECcata simpliciter remittantur?

Affirmat Scriptura.

Remittuntur peccata.

IOan. 20. v. 23. Simpliciter dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similia habentur Matth. cap. 6. 9. & 18. Et Lucæ 7. v. 37.

Affirmant Catholici.

Bellarminus lib. 5. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 7. *Nec admitti sine impietate potest, quòd Apostoli sententia* (nihil damnationis ijs qui sunt in Christo) *non sit vera simpliciter.*

Negant Protestantes.

Non simpliciter remittuntur.

Paræus 5. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 7. pag. 757. *Est verissimum: peccata non simpliciter remitti, sed accedente assidua petitione remissionis peccatorum.* Et lib. 4. de Iustifica. cap. 17. pag. 1132. ait, quòd Christus *non absolutè mundat populum suum.* Idē docet Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis cap. 3. & reuera omnes Protestantes, dum dicunt (vt supra vidimus) quòd peccata maneant in iustificatis, quòd iustificati maneant rei peccati & obnoxij damnationi in iudicio Dei,

Dei, & quòd remissio peccati non sit aliud quàm condonatio pænæ. Nã si pæna tantũ condonatur iustificatis, si culpa adhuc in ipsis manet per quam sunt rei & obnoxij damnationi, certè peccata non simpliciter remittuntur.

COLLATIO.

Scriptura simpliciter dicit, quòd peccata remittuntur: Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non simpliciter remittuntur.

ART. VII. AN OMNES IVSTIFICATI sint æqualiter iusti ac Sancti?

NEGAT SCRIPTVRA.

IOb. 1. v. 8. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* *Nemo similis Iobi in terra.*

Numeror. 12. v. 3. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* *Moyses mitissimus hominum.*

Matth. 8. v. 10. *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* *Non tanta fides.*

Ioannis 21. v. 15. *Dixit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis. Diligis me plus his?* *Iustus adhuc iustificatur.*

Apocalyps. 22. v. 11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.*

NEGANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Iustificat. cap. 16. *Lutherani dicunt omnes iustos æqualiter esse iustos, ita vt nec vnus sit iustior alio, neque idem homo in iustitia crescat.*

AFFIRMANT PROTESTANTES. *Omnes æquè boni & sancti.*

Lutherus in Matth. 7. to. 7. fol. 96. *Christianus æquè bonus & sanctus est ac Petrus & Paulus, nec quisquam ipso maior est aut melior.* Postilla in Domin. 24. fol. 346. *D. Petrus latrone in cruce non est potior: Maria Dei mater Mariam peccatricem non præcellit.* In festo natiuitatis Mariæ fol. 436. *Tam nos sancti sumus, atque Maria & alij Diui.* Et 437. *Si vel hodie terram calcarent* (Beati) *non pudore prohiberentur, quin & mihi & omnibus se substernerent, & vt præstantioribus se, honorem deferrent.* *B. Virgo non præcellit peccatricem.* *Nos tam sancti ac B. Virgo.* *Sumus præstantiores beatis.*

Vrbanus Regius in locis fol. 359. *Sumus omnes coram Deo*

æquales semper.

Iustificatio non recipit magis aut minus.

Hunnius de Iustificat. pag. 96. *Iustificatio nec magis recipit nec minus.* Idem docet Gerlachius tom. 2. Disput. 17. pag. 679. Reineccius tomo 4. Armaturæ cap. 15. & alij Lutherani.

Brentius etiam homilia in die visitationis pag. 157. inquit, *Maria non præponitur omnibus mulieribus propter suam ipsius sanctitatem, aut id genus alias virtutes.*

Polanus in disput. priuatis, periodo 1. Disput. 37. *Non est vnus alio iustior coram Deo.*

Nullus iustior alio.

Scharpius de Iustificat. controuers. 1. pag. 16. *Iustificatio est actus indiuiduus semel à Deo peractus, nec gradum aut partium incrementa habet.* Idem docet controu. 14. pag. 208. & Hommius disput. 63.

Iustificatio non habet gradus.

Aeque iusti ac Christus.

Paræus lib 2. de Iustificat. cap. 7. pag. 470. *Per iustitiam Christi nobis imputatam habemur non minus iusti quàm est ipse Christus, seruata saltem proportione membrorum & capitis.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd non fuit similis Iobo in terra, quòd Moyses fuit mitissimus omnium hominum: quòd non fuit tanta fides in Israël quanta in Centurione; quòd Petrus diligebat Christum plusquam alij: quòd iustus potest adhuc iustificari, Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd omnis Christianus est æquè bonus & sanctus quàm Apostoli: quòd sumus tam sancti ac Beata Virgo & Cælites: quòd sumus præstantiores ipsis, tam iusti ac Christus ipse, & quòd iustificatio non habet gradus.

ART. VIII. AN IN IVSTIFICATIS SIT vlla iustitia seu gratia inhærens.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Iustitia in Daniele coram Deo.

DAnielis 6. v. 22. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me.*

Plena gratia.

Lucæ 1. v. 28. Angelus ait ad B. Virginem: *Aue gratia plena.*

Actor. 6. v. 8. Stephanus plenus gratia & fortitudine.

Ephes. 4. v. 22 & 24. *Deponite veterem hominem, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* *Nouus homo creatus in iustitia induendus.*

2. Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* *Gratia in Timotheo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus Antidoto in Roman. 4. v. 2. *Scripturæ inhærentem homini iustitiam perspicuè docent.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Gallica artic. 18. *Omni virtutum & meritorum opinione abiecta, in sola Iesu Christi obedientia prorsus acquiescimus.* *Nulla opinio virtutum.*

Caluinus in Romanos 8. v. 3. *In nobis nulla esse potest iustitia.* In Galat. 3. v. 6. *Cum iustitiam in se repositam non habeant homines, imputatione hanc adipiscuntur.* Et in Confessione fidei pag. 108. *Apertè fatemur nihil inesse nobis, quod si Deus intueatur non merito condemnet.* *Nulla iustitia in nobis.*

Humfredus ad Rationem 2. Campiani pag. 142. *Quod de gratia infusa, id est, iustitia inhærente dicimus ac docemus: in nobis nullum acquisitum habitum, nullam insitam virtutem, nullam qualitatem infusam esse, non aliquam iustitiam qua iustificemur coram Deo inhærere nobis, sed innatam esse, & inhærere omnem ἀνομίαν, omnem rebellionem carnisque contumaciam.* *Nihil in nobis nisi damnabile.* *Nulla insita virtus.*

Paræus lib. 2. de Iustificat. cap. 7. pag. 459. *Destituimur iustitia inhærente, indigemus igitur iustitia imputata.* Et lib. 3. cap. 8. pag. 687. *Iustitiam inhærentem nullam in iudicio Dei esse prius ostendimus.* *Destituimur iustitia inhærente.*

Beza in Confess. cap. 4. sect. 8. *Fides cogit nos agnoscere, nihil in nobis inesse præter damnationis causas & argumentum.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd fuit iustitia coram Deo in Daniele: quòd B. virgo & S. Stephanus fuerunt pleni gratia: quòd gratia Dei fuit in Timotheo: quòd induendus sit nouus homo, qui secundum Deum creatur in iustitia veritatis seu vera. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd in nobis nulla est iustitia coram Deo, nulla potest esse iustitia in nobis, nulla est virtus

insita, nihil præter causas damnationis, nihil quod Deus nō meritò condemnet.

ARTIC. VIIII. AN IVSTITIA NOBIS inhærens possit nobis imputari?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Zelus Phinees ei imputatus.

PSalmo 105. verſ. 30. *Stetit Phinees & placauit, & ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt ei in iuſtitiam.*

Credere Abrahæ ei imputatum.

Item fides credentis.

Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. v. 5. Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam.* Et v. 9. *Dicimus, quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam.* Et v. 4. dicitur quòd merces imputatur operanti. Et v. 8. Quòd peccatum imputatur.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Rom. 4. v. 2. *David Propheta diſertiſſimè dicit zelum honoris Dei ac legis diuinæ in Phinees reputatum fuiſſe ei ad iuſtitiam.*

NEGANT PROTESTANTES.

Quod inhæret non imputatur.

Paræus lib. 2. de Iuſtificat. cap. 3. pag. 396. *Quod inhæret non imputatur. Id enim propriè imputatur, quod non habetur: non imputatur quod habetur in diſputatione Paulina.* Et lib. 3. c. 1. pag. 585. *Quod inhæret, non imputatur.*

Iuſtitia inhærens non poteſt imputari.

Piſcator in theſibus lib. 2. pag. 68. *Si quis dicat: Merces imputatur ſecundùm debitum, is quoad verbum imputatur, loquitur per Catachreſin*: Et pag. 72. *Contradictionem implicat imputari iuſtitiam inhærentem.*

Actiones noſtræ non imputātur nobis.

Molineus in Scuto Artic. 19. ſect. 31. pag. 146. *Certum eſt, quòd fides, quatenus eſt virtus inhærens nobis, non poteſt nobis imputari: quia non ſunt virtutes aut actiones noſtræ, ſed alterius, quæ nobis imputantur.*

COLLATIO.

Scriptura diſertè docet, quòd zelus Phinees fuit ei reputatus in iuſtitiam: quòd credere Abrahæ fuit ei reputatum in iuſtitiam: quòd fides credentis ei reputatur in iuſtitiam. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd quod inhæret non imputatur:

quòd virtus nobis inhærens non poteſt nobis imputari: quòd contradictionem implicat imputari iuſtitiam inhærentem.

ART. X. AN IVSTIFICATI SINT INfallibiliter ſeu fide diuina certi ſe eſſe iuſtificatos?

NEGAT SCRIPTVRA.

Eccleſiaſtis 9. v. 1. *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.*

Homo neſcit an ſit dignus amore.

Eccleſiaſtici 5. v. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Iob. 9. v. 21. *Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.*

Metuendũ de propitiato peccato.

Hierem. 17. v. 9. *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. seſſ. 6. capite 9. *Nullus ſcire valet certitudine fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Communiter enim docent quemque fidelem iuſtificari per fidem quandam ſibi ſpecialem ſeu peculiarem, qua credit ſua peccata ſibi eſſe remiſſa. Ita enim loquitur Confeſſio Auguſtana edita Vuittembergæ anno 1531. artic. 4. *Iuſtificantur, cùm credunt ſe in gratiam recipi, & peccata ſibi remitti propter Chriſtum. Hanc fidem Deus imputat pro iuſtitia*; vel vt habetur in editione anni 1540. *Donatur remiſſio peccatorum & iuſtificatio per fidem, qua credere & confidere debemus hæc nobis donari propter Chriſtum.* Idem docet Apologia eiuſdem confeſſionis cap. de Iuſtificat. & cap. de Reſponſ. ad Argumenta, Confeſſ. Saxonica. cap. 16. Lutherus in Diſput. to. 1. fol. 53. Bucerus in Colloqu. Ratisbonenſi apud Sleidanum lib. 16. Caluinus in Rom. 10. v. 10. & in Confeſſione fidei pag. 106. Beza in Catechiſmo compendiario, pag. 690. Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 41. Paræus lib. 1. de iuſtificat. cap. 11. pag. 177. Vnde Lobechius diſput. 7. pa. 142. ita inquit: *Theſis veræ doctrinæ hæc:* Homines *iuſtificantur per fidem, cùm credunt ſe in gratiam recipi, & peccata remitti propter Chriſtum.*

Iuſtificamur eo quod credimus nos iuſtificari.

Oportet credere nos esse sanctos.

Lutherus in 1. Petri. 1. to. 5. fol 440. *Credas oportet te esse sanctum, & id quidem tanta certitudine & constantia, vt hac causa impendere vitam nihil cuncteris.* Et in Psalm. 14. to. 3. fol. 245. *Fides esse nullo modo potest, nisi sit indubitata opinio, qua homo certus est super omnem certitudinem se se placere Deo, se habere propitium & ignoscentem Deum in omnibus quæ fecerit aut gesserit: propitium in bonis, & ignoscentem in malis.*

Iacobus Andreæ lib. contra Hosium pag. 379. *Homo si velit saluus esse, debet firmiter credere sibi propter Christum esse remissa peccata.*

Idque sine vlla dubitatione nostræ indispositionis.

Bidenbachius in Consensu Iesuitarum & Christianorum pag. 730. *Pro se singulos credere ac certò statuere iubemus absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi propter Christum condonari, seque in gratiam Dei & ius adoptionis ac cœlestis hæreditatis recipi.* Ita Lutherani.

Nulli credunt nisi credunt se iustificari.

Fidei certitudo nos esse in gratia.

Fidei definitio.

Caluinus in Matth. 21. v. 21. *Neque enim alios credere agnoscit Christus, nisi qui indubiè statuunt Deum sibi esse propitium.* Idem habet in Rom. 1. v. 6. & 3. Instit. cap. 2. §. 16. Et in Antidoto Concilij sess. 6. cap. 10. pag. 283. *Cuius obsecro improbitatis est id asserere? Nemo scire fidei certitudine potest se gratiam Dei consecutum.* In Catechismo cap. de fide: *Fidem sic definire licet: vt dicamus certam esse ac stabilem cognitionem paternæ erga nos Dei beneuolentiæ.* Et similiter definit. 3. Institut. cap. 2. §. 6. Itemque Beza in Confess. cap. 4. sect. 5.

Sumus certi certitudine fidei de salute.

Ita certi de remissione ac si Christus coram id diceret.

VVitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 38. *Remissionem peccatorum docemus nobis certissimè cognitam esse oportere.* Lib. 8. contra Duræum sect. 47. *Nulli iustificantur, nisi qui se iustificatos esse intelligunt.* Et Concione vltima. *Id vnum dico; qui nos certos esse de salute negant certitudine fidei, nullam nobis fidem relinquunt.*

Rainoldus thesi 2. pag. 71. *Quòd electi sint, id sua cuique pio de se fides, de fratribus charitas persuadet.*

Iuellus in Defens. Apolog. part. 2. cap. 6. sect. 3. pag. 149. ait: quòd sui homines *adeo certi sunt de remissione peccatorum suorum in sanguine Christi, ac si Christus præsens esset ac id ipsis diceret.*

Perkinsus de Baptismo to. 1. col. 820. *Nemo credit Euan-*

gelio, nisi Filium Dei se esse similiter persuasum habeat. Et Somus apud ipsum ibidem col. 206. *Veri fideles ex fide certi sunt peccata sua sibi esse remissa.*

Petrus Martyr in Rom. 6. pag. 204. *Oportet, vt certa fide constituamus Deum nos diligere, & per Christum in gratiam recepisse.* *Aliter nō credimus Euangelio.*

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 4. pag. 643. *De vera conuersione, neminem ex fide diuina certum esse posse haud dubiè falsissimum est de fidelibus.* Et cap. 10. pag. 752. *Eadem fide & eadem certitudine fidei credimus vtrumque*, scilicet per Christum remitti peccata, & nobis ea esse remissa. Idem docent Tilenus in Syntagmate cap. 67. Polanus in disput. priuatis, periodo 2. disput. 17. Grossius in Elencho controuersia de Iustificatione. Bucanus in Institut. loco, 29. & 36. Scharpius de Iustificat. Controuers. 1. & alij. Hæc illi de sua certitudine iustitiæ & salutis. Et tamen Zanchius lib. 2. de Natura Dei, cap. 2. to. 2. col. 484. ait. *Quinam isti sint qui sunt seruandi, nouit quidem Deus: at per Euangelium minime docet; idque propterea quòd non expediat.* Si autem non reuelat hoc Deus per Euangelium, aut illi non habent fidem de salute sua, aut eam habent per aliud quàm per Euangelium.

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd homo nescit vtrum sit dignus amore an odio: quòd ignorat an sit simplex, quòd nemo cognoscit cor hominis, & iubet ne simus sine metu de propitiatione peccati. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd homo debet firmiter credere se esse sanctum, sibi esse remissa peccata: quòd scit certitudine fidei suam conuersionem & remissionem peccatorum: quòd non credit Euangelio nisi credat se esse filium Dei: quòd quisque credens sibi remissa esse peccata, iustificatur: quòd eiusmodi credulitas, est fides iustificans: quòd sunt tam certi de remissione suorum peccatorum ac si Christus præsens id eis diceret.

ARTIC. XI. AN IVSTIFICATIONEM præcedat pœnitentia?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ACtor. 3. v. 19. *Pænitimini & cõuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Cap. 2. v. 38. *Pœnitintiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et cap. 8. v. 22. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Pœnitendũ vt deleantur peccata.

1. Corinth. 7. v. 10: *Quæ secundum Deum est tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Idem patet exemplo filij prodigi, qui pœnituit antequam à Patre in gratiam reciperetur.

Tristitia secundum Deum operatur salutem.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Antidoto in Marci 1. v. 15. *Pœnitentia semper præcedit regenerationem & remissionem peccatorum.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus 3. Instit. cap. 3. §. 2. *Ostendere volumus non posse hominem pœnitentiæ seriò studere, nisi se Dei esse nouerit, Dei autem se esse nemo verè persuasus est, nisi qui eius gratiam prius apprehenderit.* Et §. 1. *Pænitentiam non modò fidem* (specialem de iustificatione accepta) *subsequi, sed ex ea nasci extra Controuersiam esse debet.* Et addit: *Quibus videtur, fidem* (specialem prædictã) *præcedere pœnitentia, nunquam vis eius fuit cognita.* Idem docet Scharpius de Iustificat. Controuers. 7. pa. 97.

Nemo penitet nisi persuasus de gratia accepta.

Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 20. pag. 329. *Opera pœnitentiæ & dilectionis sunt fide & dilectione ipsa posteriora natura, vt pote iustificationis gratuitæ effecta.* Et cap. 24. pag. 346. *Ostensum sæpius, resipiscentiam & opera fide & iustificatione posteriora esse natura*: Et addit; *Conditionem pænitentiæ & operum ad iustificationem requiri negatur, quia falsum.*

Pœnitentia posterior iustificatione.

Perkinsus in cap. 2. Apocalyps. tom. 2. col. 114. *Regeneratio præcedit, & resipiscentia, vt pote illius fructus, sequitur.*

Petrus Martyr in 1. Corinth. 1. fol. 38. in 8. *Omnia bona opera iustificatio & regeneratio antecedit.*

Pœnitentia sequitur regenerationem.

Supra etiam ostendimus, quòd negent peccatorem posse facere bonum opus, adeòque pœnitere, antequam iustificetur.

COLLATIO.

COLLATIO.

Scriptura iubet pœnitentiam agere in remissionem peccatorum, & vt deleantur peccata: & docet, quòd tristitia secundum Deum operatur pœnitentiam stabilem in salutem. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nemo seriò pænitet, nisi qui nouit se iam remissionem adeptum; quòd pœnitentia non præcedit fidem de remissione accepta; quòd sit effectus iustificationis, & quòd non sit necessaria ad iustificationem.

ART. XII. AN IVSTIFICATIO VNQVAM amittatur aut amitti possit?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

MAtth. 12. v. 43. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem & non inuenit: tunc dicit, reuertar in domum meam vnde exiui, & assumit septem alios Spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* *Immundus Spiritus exit ab homine & redit.*

Matth. 24. v. 12. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* *Charitas multorum refrigescit.*

Ioan. 15. v. 6. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* *Palmes arescit.*

Rom. 11. v. 22. *Vide in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Et Galat. 5. v. 4. *A gratia excidistis.* *Quidam excidunt à gratia.*

Hebr. 10. v. 29. *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est &c.* *Sanctificatus potest filium Dei conculcare.*

Apocalyp. 2. v. 5. *Memor esto vnde excideris, & age pænitentiam.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. canone 23. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Bucerus apud Zanchium de Perseuerantia cap. vltim. to.

Impossibile credentibus excidere gratia.

7. col. 172. *Nihil vtilius, quàm prædicare, credentibus impossibile esse vt vnquam gratia excidant.*

Electi non excidunt à gratia.

Academia Heidelberg. apud eundem. col. 70. *Electi semel in gratiam recepti ab ea postea non excidunt.*

Zanchius ipse in Summa Prælect. to. 7. citat. col. 274. *Si quis dicat peccatorum remissionem semel impetratam, per insequentes lapsus in Sanctis fieri posse irritam, is totum euertit Euangelij Scopum.*

Caluinus 3. Instit. cap. 2. §. 11. *Nunquam disperit semen vitæ in electorum cordibus insitum.* Et §. 12. ait quòd non potest deleri. Et lib. 1. cap. 14. §. 18. *Nego vinci vnquam vel opprimi à Satana fideles posse — vulnerantur, sed non lethaliter.* Et in Ezechielis 18. v. 24. *Dauid perfidus deprehenditur homicida, proditor exercitus Dei, denique magna est scelerum congeries in misero illo Rege, & apparet suffocatam fuisse Dei gratiam in ipso, non autem penitus extinctam.* Et in 1. Ioannis 3. v. 8. loquens de eodem ait: *Ego tamen non dubito, quin semen illud quo electos suos regenerat Deus, vt est incorruptibile, ita perpetuam vim retineat.*

Gratia Dei fuit in Dauide homicida.

Beza in Galat. 5. v. 4. *Dicuntur excidere, qui illius adipiscendæ* (gratiæ) *iter erant ingressi.* Et in explicat. Christianismi. cap. 8. pag. 199. *Quorsum mihi fidem, nisi de perseuerantiæ dono certus fuerim?* Et cap. 4. pag. 188. *Fides nunquam ita procul recedit, vt charitas Dei & proximi ex eorum* (electorum) *animis euellatur.*

Renati nunquam penitus amittunt gratiam.

Polanus in Disput. priuatis periodo 2. disput. 16. *Renatus nunquam penitus fidem & gratiam Dei amittere potest.*

Abbotus in Diatribam Thomsoni cap. 5. pag. 102. ait de illis Matth. 24 v. 12. cit. *Nunquam ibi vera charitas fuit.*

Perkinsus lib. de Desertione col. 1026. *Hoc axioma est tenendum: Qui est semel in statu gratiæ, in eo semper perseueraturus est.*

Nunquam vera charitas vbi refrigescit.

Contra — Remonstrantes in Collatione Hagæ. pag. 351. & 365. *Electus non excidit ex gratia.* Et pag. 366. Vocant hoc vnum ex primariis Reformationis capitibus.

Electus non excidit à gratia.

Rainoldus thesi 2. pag. 77. *Constat iustificatos gratis per fidem Dei filios prauarum tentationum ictibus cædi sæpe, nunquam occidi.*

Piscator in thesibus lib. 2. loco 2. pag. 15. *Ab electis verè renatis Spiritus S. nō amittitur totaliter, quia semper retinent semen pietatis in ipsis manens.* Et pag. 253. *Fideles gratia Dei nunquam excidunt.*

Paræus in Galat. 5. lectione 61. *Neque enim asseuerat Apostolus Galatas excidisse: sed minatur, si quidem velint iustificari lege, futurum vt excidant.* In c.5. lect.57. *vere regenerati nunquam emoriuntur penitus —— Semen Dei semper manet in eis.* *Fideles nũquam excidunt.*

COLLATIO.

Scriptura ex proposito de hac re loquens docet, quòd sint homines à quibus diabolus exit, & redit: quorum charitas refrigescit: quòd aliqui excidunt à gratia: quòd sunt palmites in Christo, qui non manent in illo: quòd sunt iustificati sanguine Christi qui eum postea conculcant; Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd electi semel recepti in gratiam, ab ea nunquam excidunt: quòd semen vitæ semel insitũ electorum cordibus nunquam disperit: quòd fideles nunquam lethaliter vulnerantur à Sathana: quòd qui semel est in gratia, in ea perpetuo perseueraturus sit: quòd credentibus impossibile sit excidere gratia: quòd remissio non potest fieri irrita per sequentes lapsus quòd semen vitæ non potest deleri è corde: quòd nunquam fuit vera charitas in ijs in quibus refrigescit. Quæ tam euidenter contradicunt Scripturæ, vt multi Protestantes id agnoscant. Vide lib. 2. caput. vltimum.

ART. XIII. AN IVSTIFICATO SIT timendum ne cadat?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

OSeæ 3. v. 5. *Quærent Dominum Deum suum —— & pauebunt ad Dominum.*

Rom. 11. v. 20. *Tu fide stas: Noli altum sapere, sed time.*

Philipp. 2. vers. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* *Stanti timendum.*

1. Corinth. 10. vers.12. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* *Cum metu salus operanda.*

Hebræ. 4. v. 1. *Timeamus, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse.* *Vide ne cadas.*

Prouerb. 28. v. 14. *Beatus vir, qui semper est pauidus.*

Malachiæ 1. v. 6. *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 9. *Quilibet, dum se ipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest.* Et cap. 3. *De Perseuerantiæ munere nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent, verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Prius damnandus Christus quam nos

Lutherus Postilla in Die Natiuitatis fol. 52. *Prius ipsum damnari oportet, quàm damnari queat pro quo ipse sese tradidit.*

Affelman. lib. de Prædestinat. §. 80. *Quilibet γνήσιος Christianus de electione sua tam certus esse debet, quàm Euangelio credere necesse habet.*

Verus Christianus certus de electione.

Caluinus in 1. Lucæ. v. 73. *Cum Deus homines sibi in Christo reconciliet, cum eiusdem præsidio ipsos tueatur vt securi sint ab omni metu &c.* Et in cap. 3. Ioan. v. 18. *Vult* (Christus) *fideles à metu damnationis securos esse.*

Securus ab omni metu. *Non impellendus ad formidinem* *Non potest cælum illi excidere magis quã Christo.*

Idem in Antidot. Concilij, sess. 6. cap. 14. pag. 286. *Cum nos ad formidinem impellunt, minimè id ferendum est.* Et 4. Institut. cap. 17. §. 2. *Nobis securè spondere audemus vitam æternam nostram esse, nec Regnum Cœlorum posse nobis magis excidere, quam ipsi* (Christo).

Nemo Protest. potest perire.

Beza in Lucæ 1. v. 74. *Significat hoc loco timor, futuri mali ægritudinem, quæ pugnat ex diametro cum fiducia filiorum Dei, qui fide iustificati pacem habent.* Et in Confess. cap. 4. artic. 13. *Vnusquisque nostrum ita apud se ratiocinetur. Ego sum in Iesu Christo, ideòque non possum perire.*

Credentes non timent damnari.

Petrus Martyr in cap. 11. Rom. pag. 480. *Nec mirum cuiquam videri debet, quòd statuimus fidem illum timorem depellere, qui cum dubitatione de salute est coniũctus.* Et in locis Classe 3. cap. 3 §. 10. ait quòd, *Qui Christo sinceriter credunt, non timent æternum damnari.*

Non possunt damnari nisi Christus damnetur.

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. pag. 1137. *Non potes damnari, nisi Christus damnetur; nec Christus saluari, nisi tu salueris.*

Contra — Remonstrantes in Collatione Hagæ pag.

374. *Qui semel crediderunt, certi sunt hoc donum Dei esse, ac proinde non habeant quòd timeant se perituros esse.* Et pag. 506. & seq. dicunt eum qui verè credit, esse extra omnem metum condemnationis.

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 2. pag. 605. *Quomodo securum reddunt, si formidinem omnem non expellunt?* Et pag. 615. *Nos vero ita statuimus, peccatorem si in promißionē & misericordiam Dei oculos intendat, non timere sed certò confidere posse ac debere: & nisi id faciat, Deum mendacem facere.*

Bucerus apud Zanchium li. 2. de Nat. Dei cap. 2. tom. 2. col. 503. *Primum quod Deo debes, est vt credas esse te ab eo prædestinatum — Præsumendum igitur, vt principium fidei, nos omnes à Deo selectos in hoc, vt æternum seruemur: hocque propositum Dei mutari non posse.* *Primum principium fidei credere nos esse prædestinatos.*

Perkinsus de Conflictu Satanæ to. 1. col. 1035. *Existimo me tam de salute certum, quàm si nomen meum disertè in sacris Scripturis exprimeretur.*

Zanchius lib. 2. de Natura Dei, cap. 2. tom. 2. col. 497. *Quisque mandato Dei tenetur credere se ad salutem æternam in Christo fuisse electum ac prædestinatum. Quum dicimus, vnumquenque teneri ac credere, neminem, ne reprobos quidem, qui neque vnquam credent, neque credere in Christum possunt, excipimus.* *Reprobus tenetur credere se esse electū.*

COLLATIO.

Scriptura ex proposito de hac re verba faciens, iubet iustificatos timere, iubet nos cum metu ac tremore salutem nostram operari, iubet timere ne quis nostrum reprobus fiat, ac pronuntiat eum beatum qui semper est pauidus. Eadem Catholici.

Protestantes iubent iustificatos securos esse ab omni metu, securos à metu damnationis, non esse ferendum vt ad formidinem impellantur, iubent eos sibi persuadere quòd non possunt perire, dicunt quòd non habent quòd timeant se perituros, quòd nullam habent formidinem, quòd audeant sibi spondere regnum Cœlorum non posse sibi magis excidere quàm Christo, quòd sint tam certi de sua salute ac si nomina sua disertè in Scripturis exprimerentur, & quòd nequeant damnari nisi Christus damnetur. Imo addunt, quòd ex man-

Deus mādat reprobos credere falsum.

dato Dei reprobi tenentur credere se esse electos ad salutem æternam: adeoque ex mandato Dei tenentur credere id quod est falsum.

ARTIC. XIV. AN IVSTIFICATIO sit propria electorum.

NEGAT SCRIPTVRA.

Iustus potest se auertere à iustitia & dānari.

Ezechielis 18. v. 24. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur.* Item v. 26.

Charitas refrigescet.

Matth. 24. v. 12. *Refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*

NEGANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cano. 17. *Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, anathema sit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Nemo iustificatur nisi prædestinatus.

Caluinus de Prædestinat. pag. 695. *Neminem nisi quem ad vitam ordinauit, iustificat.* Et pag. 713. *Reprobos nunquam donari spiritu adoptionis, certum est.* Et in Antidoto Concil. sess. 6. canone 17. pag. 291. *Regenerationis spiritum non dari nisi electis, quisquis ignorat, nescio quid in Scripturis teneat.*

Regeneratio non datur nisi electis.

Zanchius de Perseuerant. Sanctorum cap. 2. tom. 7. col. 113. *Reprobi nunquam vere iustificantur aut regenerantur.* Et col. 128. *Non iustificantur, nisi electi.*

Reprobi nunquam vere iustificantur.

Vvitakerus Controu. 2. quæst. 1. cap. 8. pag. 434. *Sancti reuera nulli sunt nisi qui sunt prædestinati — Soli prædestinati spiritu sanctificationis præditi sunt.*

Nulli Sancti nisi prædestinati.

Perkinsus de Desertione to. 1. col. 1026. *Deus reprobo ex spiritu suo impertit, sed non eousque, vt eius natura regeneretur aut renouetur.* Et Somus apud ipsum ibid. col. 209. *Remissio peccatorum pertinet ad solos electos.*

Soli electi student bonis operibus.

Beza lib. quæst. & Respons. vol. 1. pag. 687. *Soli electi resipiscunt, & bonis operibus student.*

Abbotus in Diatribam cap. 5. pag. 101. *Nihil est in reprobis natum ex Deo. Reprobus nemo iustificatus est.*

Paræus lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. pag. 367. *Reprobi licet apparenter aliquando conuertantur, tamen intus nunquam regenerantur.* *Nihil in reprobo ex Deo natũ.*

Rainoldus thesi 4. pag. 111. *Electos solos Deus iustificat.*

Author Respons. ad theses Vademont. impress. Rupellæ 1586. pag. 564. *Certè sine blasphemia omnium maximè execranda nunquam affirmabit: quicquam esse reprobis cum Dei spiritu commune.* *Maxime execranda blasphemia reprobum habere Spiritum Dei.*

Bucanus de Iustificat. loco. 29. pag. 314. *Quinam iustificantur? Soli electi.*

Vrbanus Regius in locis tomo 1. folio. 307. *Reprobi nunquam gratiam gratum facientem aut veram fidem & charitatem habebunt.* *Reprobi nunquam hauẽt in se verã charitatem.*

COLLATIO.

Scriptura de hac re agens docet, quòd iustus posset auertere se à iustitia & mori in peccato, & quòd charitas multorum refrigescet. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd soli prædestinati iustificantur, soli electi regenerantur, soli prædestinati sunt sancti: quòd reprobi nunquam adoptantur, nunquam verè iustificantur, non regenerantur aut renouantur, nunquam intus regenerantur, tantùm apparenter conuertuntur, nihil est in illis natum ex Deo.

ARTI. XV. AN PECCATOR COOPERETUR suæ iustificationi, seu præparet se ad iustificationem?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

PRouerb. 16. v. 1. *Hominis est animam præparare.* *Homo præparat animam.*

Ezechielis 18. v. 27. *Cum auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam viuificabit.* Et vers. 31. *Facite vobis cor nouum & Spiritum nouum.* *Auertit se ab impietate.*

2. Timoth. 2. vers. 21. *Si quis se emundauerit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* *Facit sibi cor nouum.*

Præparat cor.

1. Ioan. 3. verſ. 3: *Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe.*

1. Regum. 7. verſ. 3. *Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite illi ſoli.*

Iacobi 4. v. 8. *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo.* Et 2. Corinth. 7. v. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. ſeſſ. 6. canone 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitāti atque vocanti, quo ad obtinendam iuſtificationis gratiam, ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire ſi velit, ſed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque paſſiuè ſe habere. Anathema ſit.* Similia habet canone 9.

NEGANT PROTESTANTES.

In iuſtificatione mere paſſiue ſe habet.

Lutherus de Seruo Arbitrio t. 2. fol. 454. *In ipſa innouatione & transſmutatione hominis veteris qui filius Diaboli eſt, in nouum hominem qui filius Dei eſt, homo mere paſſiuè ſe habet, nec facit quicquam ſed fit totus.* Et Poſtilla in die Nat. fol. 62. *Non ſecus atque ſi Deus truncum aliquem aridum in nouam, virentem ac florentem arborem conuertat, ita ſolet hominem gratia Dei renouare.* Similia habet in Pſalm. 5. to. 3. fol. 174.

Non ſecus ac truncus.

Non ſecus ac mortuus reſuſcitatus.

Liber Concordiæ Lutheranorum cap. de libero Arbitrio pag. 680. *Conuerſio volūtatis noſtræ deprauatæ omnino ſolius Dei eſt, ſicut etiam reſuſcitatio in carnali carnis reſurrectione ſoli Deo eſt tribuenda.*

Pure paſſiue ſe habet.

Schuſſelburg. tom. 5. Catal. Hæret. pag. 44. *Diciturne rectè hominem eſſe truncum in conuerſione? Reſpondeo. Quidni:* Et pag. 131. negat omnem cooperationem voluntatis, omnem facultatem, omnem modum agendi voluntatis erga ſuam cōuerſionem. Mansfeldenſes apud eundem pag. 474. *Vera & ſimplex de hac quæſtione ſententia & breuis quaſi propoſitio totius cauſæ, quam S. Scriptura & cum hac & ex hac Lutherus ponit, hæc eſt: Hominem in conuerſione ſui se se purè paſſiuè habere, & nihil prorſus gratiæ diuinæ ex viribus ſuis cooperari.* Idem docet Heſſuſius ibidem pag. 378. Confeſſio Principum Saxonum pag. 482. Item Herbrādus in Compendio, loco de libero arbitrio pag.

pag. 149. Hunnius libro de libero arbitrio pag. 16. Hutterus in Analysi Confessionis Augustanæ pag. 665. Gerlachius to. 2. disput. 11. Adamus Francicis in Margarita loco 7. Reineccius tom. 3. Armaturæ cap. 11. Lobechius disput. 20. & alij Lutherani.

Nec contenti docuisse, quòd voluntas non coopèratur suę conuersioni, addunt etiam quòd reluctatur, & repugnat eidem. Prætorius apud Scusselburg. lib. cit. pag. 532. *Flaccius dicit: Hominem in conuersione sua se habere vt truncum nihil agentē ex sese, imo repugnantem & hostiliter Deo aduersantem — Quid vos in hac doctrina* Lutheri *& Illyrici desideratis?* *Homo repugnat suæ conuersioni.*

Gesnerus in Compendio Doctrinæ Cœlestis loco. 12. pa. 413. *Sequitur hominem in sui conuersione, non modò nihil cooperari, sed etiam Spiritui S. reluctari.* *Reluctatur.*

Piscator apud Vorstium in Parasceue ad Collationem ca. 8. *Deus efficit fidem & conuersionem in hominibus quoscunque cōuertit, non modò impijs, sed & actu ipso adhuc rebellibus & in exercitio rebellionis perseuerantibus.* Hæc illi. *Ipso actu rebellat.*

Caluinus 2. Instit. cap. 3. §. 7. *Sed erunt, qui concedent voluntatem à bono suopte ingenio auersam sola Dei virtute conuerti, sic tamen vt præparata suas deinde in agendo partes habeat — Sed perperam hoc homini tribuitur, quòd gratiæ præuenienti pedissequa voluntate obsequatur.* In Ioan. 6. v. 44. *Falsum ac profanum est, homines volentes trahi.* Et in Actor. 9. v. 5. *Ascribunt Papistæ gratiæ Dei conuersionis nostræ laudem, sed ex parte duntaxat, quia nos cooperari fingunt.* *Non obsequitur pedis sequa voluntate.* *Non trahitur volens.* *Non cooperatur.*

Beza in Confess. cap. 4. sect. 17. *Nullus esse potest gratiæ & liberi arbitrij concursus, cum spiritus Dei mera sua gratia nos manu mittit à peccato.* *Non concurrit.*

Vvitakerus lib. 2. de Peccato Originali cap. 3. pag. 635. *In ipsa conuersione nostra ad Deum quæ per gratiam fit, liberum nostrum arbitrium nihil in se virium habet, sed nos prorsus in hoc negotio passiuè habemus.*

Perkinsus in Apocalyps. 3. to. 2. col. 224. *Hinc colligo Pontificios delirare, quòd affirment in regeneratione hominem habere liberum arbitrium, eiusque vsum, & quòd seipsum disponere possit in iustificatione.* *Prorsus passiue se habet.*

Riuettus in Controuerſ. tract. 3. ſect. 27. *In initio conuerſionis nihil debet nobis tribui, magis quàm cum creamur: In hoc actu habemus nos paſſiuè absque omni virtute actiua.*

Sine omni virtute actiua.

COLLATIO.

Scriptura diſertè docet, quòd homo præparat animam ſuam, auertit ſe ab impietate, facit ſibi cor nouum, emundat, ſanctificat ſe, & præparat cor ſuum Domino. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd homo non cooperatur, non concurrit, non habet partes in agendo, merè & purè paſſiuè ſe habet in ſua conuerſione; quòd ſe habet vt truncus, quòd cõuerſio peccatoris eſt opus ſolius DEI ſicut reſuſcitatio mortui aut creatio, imò quòd homo in ſua conuerſione repugnat, rebellat, reluctatur Deo.

ART. XVI. AN POST IVSTIFICAtionem vnquam remaneat vlla pœna ſoluenda?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

2. REgum. 12. v. 14. *Dominus tranſtulit peccatum tuum: non morieris: veruntamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc Filius qui natus eſt tibi, morte morietur.*

Pœna poſt tranſlationẽ peccati.

Numerorum 20. v. 12. *Dixitque Dominus ad Moyſem & Aaron: Quia non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Item Geneſ. 3. v. 17. Multiplex pæna imponitur Adæ, quia comederat de fructu vetito, nec tamen dubitandum eſt fuiſſe ei peccata dimiſſa.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. *Synodus declarat falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Caluinus in Lucæ 21. v. 43. *Faceſſat putidum illud commentum, de pœnæ retentione cum culpa remittitur.* Et in Rom. 4. v. 6. *Scholaſtici culpa remiſſa pœnam retineri à Deo nugantur.* Idem ha-

Culpa remiſſa nulla pœna retinetur.

bet 3. instit. cap. 4. §. 29. & 30.

Beza in Matth. 6. v. 12. *Non modò falsa, sed etiam inepta & fatua est opinio sophistarum existimantium retenta pœna peccatum remitti.*

Danæus Controu. 6. pag. 1204. *Est error pœnam vllam peccati remissa culpa tandem retineri.*

Nulla distinctio culpæ & pœnæ.

Author Respons. ad Theses Vademontanas pag. 745. *Stulta est illa culpæ & pœnæ distinctio.*

Bullingerus de Iustificat. sermo. 6. fol. 17. *Quid obsecro præstitisset nobis Christus, si adhuc pro peccatis nostris exigeretur à nobis* (temporalis) *pœna?*

M. Ant. de Dominis cont. Suarem cap. 2. n. 22. *Nunquam culpa remittitur, quin simul etiam tota pœna integrè remittatur.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Dauid punitus fuit morte filij postquam dimissa ei erat culpa. Similia habet de Moyse, Aarone & Adamo. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd sit putidum commentum, falsum, ineptum, erroneum, quòd remissa culpa pœna vlla retineatur.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE Iustificatione?

QVæ in hoc capite retulimus, clarè ostendunt doctrinam Scripturæ & Catholicorum de Iustificatione, longè aliã esse à doctrina Protestantium. Scriptura enim cum Catholicis docet quòd iustificatio sit ex operibus & non ex fide tantum: quòd iustificati sint reuera & coram Deo iusti: quòd sint mundi, nec in ipsis remaneant peccata à quibus iustificantur: quòd in illis sit gratia seu iustitia inhærens, eaque ipsis imputetur: quòd nõ sint fide diuina certi se esse iustificatos: quòd pœnitentia præcedat iustificationem: quòd iustificatio possit amitti, & timendum sit iustificato ne cadat: quòd iustificatio non sit propria electorum: quòd peccator cooperetur suæ iustificationi, & quòd post iustificationem aliquando remaneat temporalis pœna luenda. Quorum omnium

contraria docent Protestantes.

Ostendunt etiam quòd Protestantes in hac materia fures agant ac furentur: Furantur enim à iustificatione vim tollendi peccata à iustificatis, eosque constituendi reuera iustos ac mundos, eosque donandi iustitia inhærente, ac faciendi vt eadem illis imputetur. Furantur etiam ab eadem quod communicetur vllis reprobis.



CAPVT XVII.

DE SALVTE ET MORTE ÆTERNA.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN SALVS SEV VITA ÆTERNA sit merces?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Merces in cælo.

MATTH. 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.*

Vita æterna reddenda quærentibus &c.

Rom. 2. v. 6. *Reddet vnicuique secundum opera eius, ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*

Accipiemus retributionem.

Colossens. 3. v. 24. *Quodcunque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes quòd à Domino accipietis retributionem* (Beza vertit Mercedem) *hæreditatis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. *Benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna: & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, &*

tanquam merces & ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.

NEGANT PROTESTANTES.

Ministri Saxonici in Colloq. Aldelburg. Scripto 1. pag. 6. reijciunt hoc dogma: *Pro bonis operibus dari vitam æternam vt præmium & compensationem.*

Vita æterna non est præmium.

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 1. col. 41. *Vita æterna tam vocatur donum ac hæreditas quòd propriè est: iam præmiũ, quod est per accidens & impropriè.* Et tract. 6. col. 545. *Abusiuè merces interdum nominari solet.* Et in Matth. 5. v. 12. *Mercedem vocat abusiuè Dominus illa futura bona.*

Vita æterna impropriò præmium. Abusiue merces.

Gerlachius to. 2. disput. 26. pag. 3095. *Propriè mercedis nomen dona ista non merentur.* Reineccius etiam to. 3. cap. 12. ait quòd vita æterna sit *latè & impropriè merces.* Et to. 4. cap. 15. negat esse stipendium.

Non meretur nomen mercedis.

Zuinglius de Prouidentia cap. 6. to. 1. pag. 371. *Ista sunt Hyperbolæ, & hyperochæ. Si vis ad vitam ingredi serua mandata: Qui fecerit voluntate patris mei &c. & quæcunque alia promissa nostris operibus facta sunt*: Et in 2. Corinth. 5. tom. 4. pag. 496. *Non quod operum sit merces, aut fidei, sed &c.*

Omnia promissa facta operibus sunt hyperbolica.

Bullingerus Decade 3. sermone 9. fol. 150. *Nemo tam bardus, qui non intelligat gratiæ in solidum & merè tribui totum salutis beneficium.*

Nõ est merces operum.

Caluinus in Antidot. Concilij, sess. 6. cap. 17. pag. 288. *Quod vitam æternam faciant mercedem, in eo ab illis dissentio.* Et 3. Institut. cap. 21. §. 1. *Ex mera Dei liberalitate contingit nobis salus: mero beneplacito seruat, non autem mercedem rependit.* Et cap. 18. §. 3. *Intelligant donum se gratiæ, non operum accepisse mercedem.* Et in Ephes. 2. vers. 8. *Est mera gratia, non merces aut retributio, quod saluet.* Et in Confessione fidei pag. 109. Merces *ab ipso nisi legem præstantibus non est constituta, at qui ab eo quàm longissimè absumus.*

Non merces. Non merces. Non retributio. Non merces.

Bucerus in Matth. 5. pag. 108. *Non sunt merces, quæ à Deo nobis contingunt, sed gratuita ipsius dona.*

Petrus Martyr in Rom. 4. pag. 96. *Potest habere vita æterna aliquam similitudinem mercedis, à cuius tamen propria ratione*

Longe abest à natura mercedis.

& natura longè abest — Quare vita æterna dici non potest merces, nisi per quandam similitudinem.

Si propriè merces, eam mereremur

Piscator in thesibus loco 16. pag. 274. *Si propriè loquendo vita æterna esset bonorum operum merces, vtique illam bonis operibus mereremur — Relinquitur ergo, vt vita æterna merces nominetur per tropum.*

Lutherus apud Scioppium in Ecclesiastico cap. 67. *Si cœlum apertum viderem, idque culmo stramineo de terra sublato mereri possem, culmum nequaquam vellem tollere.*

COLLATIO

Scriptura disertè docet, quòd vita æterna redditur secundum opera, idque ea loquendi forma qua dicit, quòd ita & indignatio redditur secundum opera: quòd accipiemus retributionem hæreditatis: quòd sit copiosa merces nobis in Cœlis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd vita ęterna non est retributio non est merces, longè abest à propria ratione & natura mercedis; quòd omnia promissa facta operibus in Scriptura sunt hyperoche & hyperbole; quòd impropriè sit præmium, abusiuè dicatur merces: quòd non meretur nomen mercedis.

ARTIC. II. AN SALVS SEV VITA æterna sit corona iustitię?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Corona iustitiæ.

2. Timoth. 4. v. 7. & 8. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi* Dominus *in illa die iustus iudex.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus lib. 9. de Iustificat. capit. 3 *Beatitudinem esse mercedem iustitiæ à Deo promissam, Scripturæ apertissimè ostendunt.*

NEGANT PROTESTANTES.

Mera beneficentia.

Caluinus 3. Institut. cap. 15. §. 4. *Ipsa* Beatitudo *mera est Dei beneficentia.* Et cap. 21. §. 1. *Ex mera Dei liberalitate contingit nobis salus.* Item in Hebr. 6. vers. 10.

Mera liberalitas.

Idem in Rom. 6. v. vlt. *Hinc certissimè colligetur salutem no-*

ſtram Dei gratiæ, meræque beneficentiæ totam eſſe. In Galat. 6. v. 8. *Aliter conſequi non poſſumus, quàm mero Dei dono.* Et in 2. Theſſalon. 1. v. 12. *Paulus in toto ſalutis curſu nihil præter meram Dei gratiam agnoſcit.* Et in Antidot. Concilij ſeſſ. 6. pag. 288. *Non alio quàm gratuitæ adoptionis iure nobis obuenit.*

Merum donum.
Mera gratia.
Nullo titulo niſi adoptionis.

Beza in Confeſſ. cap. 4. ſect. 17. pag. 14. *Profitemur, vitam æternam penitus & ex omni parte gratuitum eſſe Dei donum.* Et lib. quæſt. pag. 655. *Ex mera in ſolidum gratia ipſius largitur nobis æternæ vitæ beneficium.* Et in Lucæ 17. v. 8. *Sed ipſe legis contextus omnem merendi dignitatem ſine exceptione excludit, nihil niſi prorſus gratuitam benignitatem promittens ipſam obſeruantibus.* Similia habet in 1. Corinth. 9. v. 17. lib. qu. volum. 1. p. 676.

Ex omni parte gratuitum.
Ex mera gratia in ſolidum.
Prorſus gratuitum.

Bucerus in Epitome Doctrinæ Argentinenſis: *Vita æterna mera gratia manet.*

Mera gratia.

Zuinglius in Expoſit. Fidei, tom. 2. fol. 558. *Sola gratia & liberalitate Dei contingit æterna fœlicitas.*

Sola gratia.

COLLATIO.

Scriptura apertè docet, quòd vita æterna ſit corona iuſtitiæ, reddenda certanti bonum certamen, & conſummanti curſum, idque à iuſto iudice. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd vita æterna ſit mera gratia, mera beneficientia, omni ex parte gratuitum donum, tota meræ beneficentiæ; quòd contingit nobis ex mera beneficentia, non aliter quàm mero Dei dono, non alio quàm gratuitæ adoptionis iure, ex mera in ſolidum gratia; quòd nihil ſit præter meram gratiam, nihil niſi prorſus gratuita benignitas.

ARTIC. III. AN SALVS ÆTERNA SIT ex ſola fide?

NEGAT SCRIPTVRA.

IAcobi 2. v. 14. *Quid proderit Fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum?*

Fides ſola non ſaluat.

Philippenſ. 2. v. 12. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Operamur ſalutem.

NEGANT CATHOLICI.

Per solam fidem salvamur.

Bellarminus lib. 4. de Iustificat. cap. 7. *Dicimus opera bona homini iusto esse necessaria ad salutem, non solum ratione præsentiæ, sed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt salutem, & sine ipsis sola fides non efficit salutem.*

Sola fides saluat.

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Opera nihil faciunt ad salutem.

Lutherus de Captiuit. Babylon. tom. 2. fol. 78. *Certum est, nullum illorum per votasua & religionem fuisse saluatum, sed per solam fidem, in qua omnes saluamur.* Et in 1. Petr. 1. tom. 5. fol. 451. *Sola fides nos saluet necesse est.* De votis to. 2. fol. 273. *Sola fides saluos facit.* Et postilla in die Ascensionis, fol. 267. *Sola fides per sese citra vlla opera nos seruat, & opera planè nihil ad pietatem vel salutem efficiunt.* In dominic. post Ascensionem fol. 269. *Fides à peccato, inferis, diabolo & omni infortunio liberat, quam si habuerimus, satis est.*

Sola fide saluamur.

Non per aliquid aliud.

Liber Concordiæ cap. 3. de Iustitia fidei pag. 691. *Sola fide coram Deo iustificamur & saluamur.* Et 694. *Sed & hic error reijciendus est cum docetur: Hominem alio modo seu per aliquid aliud saluari, quàm per id quo coram Deo iustificatur: ita vt sine operibus per solam quidem fidem coram Deo iustificemur, sed tamen absque operibus salutem æternam consequi impossibile sit.* Et cap. 4. in Epitome articulorum pag. 589. *Credimus, docemus & confitemur, quòd bona opera penitus excludenda sint, non tantùm cum de iustificatione fidei agitur, sed etiam cum de salute nostra æterna disputatur.* Et 590. *Reijcimus & damnamus subsequentes phrases cùm docetur:* Bona opera necessaria esse ad salutem.

Opera penitus excludenda cùm de salute agitur.

Salus nulla ex parte in operibus.

Author Respons. ad Theses Valentianas pag. 928. *Negamus quanta possumus contentione maxima, salutem nostram in operibus vel in solidum, vel aliqua ex parte constituendam esse.* Et pag. 958. *Scriptura non solet docere, homines propter opera sua esse coronandos.*

Sola fides saluos reddit.

Zuinglius in expostulat. ad Fredolinum Lindouerum to. 1. fol. 204. *Fides sola nos saluos reddit.*

Sola fide salui simus.

Caluinus in Rom. 10. v. 10. *Sola fide salui simus.* Et in cap. 1. v. 17. *Fides sola est quæ vitæ perpetuitatem affert.*

Sola fide saluamur.

Beza in summa rei sacramentariæ pag. 207. *Docemus, nos sola fide iustificari & seruari.*

Paræus

Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 2. *Euangelium promittit salutem sub conditione solius fidei.* *Salus promissa sub conditione solius fidei.*

Perkinsus in 3. Galat. col. 157. tom. 2. *Qui dicunt fidem & opera concurrere vt causas salutis, falluntur.*

Danæus Controuers. de Baptismo. cap. 17. pag. 396. *Tota salutis nostræ ratio per Christum partæ, posita est in fide in eum.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd fides sola non saluat. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd fides sola saluat, saluos facit, sola affert vitam, quòd sola fide salui simus, sola fide saluamur, quòd salus promittitur sub conditione solius fidei, quòd opera non concurrunt ad salutem, nihil efficiunt ad salutem, non sunt necessaria ad salutem.

ARTIC. IIII. AN OMNES SINT IVDIcandi tum boni tum mali?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Apocalypſ. 20. v. 12 *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.* *Singuli mortui iudicandi.*

2. Corinth. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum.* *Vnusquisque referet quod fecit.*

Matth. 25. v. 31. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ad eum omnes gentes, & segregabit eos ab inuicem sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite &c. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite &c.* Actor. 10. v. 42 *Ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* *omnes gentes.*

Hebr. 12. v. 23 *Sed accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis — & iudicem omnium Deum.*

Omnes iudicandi.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos in expositione Symboli. *Cuius articuli ea vis est & ratio, summo illo die Christum Dominum de vniuerso hominum genere iudicaturum esse.*

NEGANT PROTESTANTES.

Boni, non iudicandi à quopiam.

Bullingerus Concione 90. in Apocalyp. fol. 193. *Impij iudicandi, pij non item — Boni, quia iustificati & absoluti sunt, apparent in iudicio cum gloria iudicaturi impios suo modo & sua ratione, non autem à quopiam iudicandi.*

Electi non vocabuntur ad calculos.

Tilenus in Syntagmate cap. 67. pag. 815. *Electi sciunt nec facta sua nec dicta singula ad huius* (extremi) *iudicij calculos vocatum iri.* Idem docent alij, qui vt vidimus cap. 15. art. 10. negant electos reddituros rationem operum.

Soli infideles indicabuntur.

Lutherus citatus à Scioppio in suo Ecclesiastico c. 5. *Christiani sciunt infideles tantùm, qui Euangelium nolunt recipere, à Christo in nouissimo die iudicatum iri. Hoc discamus & bene notemus, ne mortem & extremum iudicium metuamus, nec enim venturus est Christus vt nos iudicet, sed qui non credunt illos iudicabit.*

COLLATIO.

Scriptura diserte docet, quòd singuli mortui iudicabuntur secundum opera ipsorum, quòd oportet omnes manifestari ante tribunal Christi, quòd omnes gentes congregabuntur ad iudicium Christi, quòd Christus est iudex viuorum & mortuorum, quòd Deus est iudex omnium. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd impij sunt iudicandi, non autem pij: quòd boni non iudicabuntur à quopiam: quòd electorum facta non vocabuntur ad calculos iudicij: quòd soli infideles iudicabuntur.

ARTI. V. AN SINT ALIQVI, QVIBVS, SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS gloriam æternam quærentibus, vita æterna redditur?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ROm. 2. verſ. 6. & 7. *Qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius: ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*

Vita reddēda ijs qui quærunt, &c.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Rom. 2. verſ. citat. *Si ſolus Chriſtus illa opera adferet, quibus vitam æternam perſolui hic dicit Apoſtolus, non debuiſſet dicere: Reddet vnicuique ſecundum opera ſua, ſed reddet vnicuique ſecundum opera Chriſti.*

NEGANT PROTESTANTES.

Beza in Rom. 2. v. cit. *Quæ à Sophiſtis hic traduntur, quaſi nonnulli, ſiue extra Chriſtum ſiue in Chriſto regenerati, tales apud Dei tribunal inueniantur, quales hic iſti deſcribuntur, ab Apoſtoli ſcopo aberrant. Nam illud quidem abſurdiſſimum eſt*, vel, vt habet in editione 1565. *Ecquis ad feret hæc opera, quibus vitam æternam perſolui dicit Apoſtolus? An homines non regenerati? An filij Dei? At ne Abraham quidem habet de quo glorietur coram Deo.*

Nulli ſunt tales quales Apoſtolus deſcribit.

COLLATIO.

Secundùm Scripturam: ſunt aliqui quibus quærentibus gloriam ſecundum patientiam boni operis, vita æterna redditur. Aſſentiuntur Catholici.

Secundùm Proteſtantes: Nulli ſunt homines quibus vita æterna redditur ſecundùm opera eorum; neque vlla opera quibus vita æterna redditur.

ART. VI. AN ANIMÆ REPROBORVM exutæ corporibus iam ſuſtineant pœnas inferni.

Sodomitæ ſuſtinent pœnam ignis æterni.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

IVdæ epiſt. v. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ & abeuntes poſt carnem alteram*

factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.

Diues sepultus in inferno & in tormentis. Cruciatur.

Lucæ 16. v. 22. *Mortuus est autem diues, & sepultus in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis &c.* Et v. 24. Clamat diues: *Crucior in hac flamma.*

Numer. 16. v. 33. dicitur de Dathan & Abiron: *Descenderuntque viui in infernum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Nescitur an reproborum animæ iam cruciantur.

S. Thomæ supplementum quæst. 69. art. 2. *Statim vt anima absoluitur à corpore, vel in infernum demergitur, vel ad cælos euolat, nisi impediatur aliquo reatu quo oporteat euolationem differri, vt prius anima purgetur. Et huic veritati authoritates Scripturæ canonicæ manifestè attestantur & documenta Sanctorum Patrum. Vnde contrarium pro hæresi est habendum.*

NEGANT VEL DVBITANT PROTESTANTES.

An diues iam cruciatur.

Nescitur quid sit infernus ante diem iudicij.

Reprobi nondum tracti ad supplicium.

Expectant vindictam.

Animæ nō prius patiūtur apud inferos quā corpora.

Lutherus in cap. 25. Genes. tom. 6. fol 321. *An animæ impiorum torqueantur statim post obitum, non possum affirmare.* Et f. sequ. *An statim incipiat damnatio post mortem, nescimus.* Et sermone de diuite & Lazaro to. 7. fol. 268. *Affirmare non ausim, diuitem etiam hodie illis cruciatibus diuexari.* Idque repetit in Postilla in Domin. 2. post Trinitatem fol. 286. Et to. 4. in cap. 2. Ionæ fol. 418. *Quid sit infernus ante nouissimum diem, non sum admodum certus.* Et apud Scioppium lib. cit. c. 3. pag. 17. *Nec mortuorum locus cruciatus vllos habet.*

Caluinus 3. Instit. cap. 25. §. 6. *Reprobis eandem esse sortem dubium non est, quam Iudas Diabolis assignat, vinctos catenis teneri, donec ad supplicium cui addicti sunt trahuntur.* Et in 2. Petri 2. v. 4. *Reprobi horribile ex vindicta sibi parata, tormentum sustinent.*

Scultetus 1. parte Medullæ in Tertulliano cap. 42. pag. 305. *Vt noua, ita falsa & illa eius assertio: Animas prius pati apud Inferos quàm corpora.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Sodomitæ sustinent pœnam ignis æterni: quòd diues sepultus est in Inferno, est in tormentis, cruciatur in flamma: quòd Dathan & Abiron descenderunt in Infernum. Assentiuntur Catholici.

Protestantes dicunt se nescire, nō audere affirmare, quòd animæ statim post obitum crucientur; imò dicunt quòd nō-

dum trahuntur ad supplicium, & quòd falsum sit animas prius pati apud inferos quam corpora.

ART. VII. AN INFERNVS SIT LOCVS.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

LVcæ 16. v. 22. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Et v. 28. *Habeo quinque fratres, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Articulus Symboli. *Descendit ad inferos.* *Infernus locus tormentorum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 2. de Purgatorio c. 6. *Infernus est locus pœnalis.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus sermone de diuite & Lazaro to. 7. fol. 267. *Infernus nihil aliud esse potest, quàm fidei expers & peccatis madens conscientia.* Tomo 4. in cap. 9. Ecclesiastis fol. 38. disertè negat, quòd infernus sit locus corporalis. Et Postilla in Dominic. 2. post Trinitatem fol. 286. *Verus infernus in extremo die sumet exordium — Locus vbi anima possit esse, & iuxta quietis expers, tamen sit locus corporeus, haud quaquam esse potest — Infernus nihil aliud esse potest, atque vacua, infidelis, peccans, prauaque conscientia.* *Infernus nihil aliud quam praua consciētia.* *Verus infernus incipiet in die iudicij.*

Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. artic. 27. fol. 145. ait quòd *Catechismus Heidelbergensium in dubium vocat, an vllus sit reuera infernus, & locus destinatus, in quo impij & damnati post hanc vitam vnà cum malis spiritibus æternis pœnis affici debent. Et hoc palam Bucerus in commentario super Ioannem affirmat.* Ibidem ait, quòd Bucerus dicat Scripturam nuspiam aliter de Inferno loqui, quàm vt sit communis omnibus tam Sanctis quàm impijs. *Non est locus corporeus.* *Dubium an sit vllus infernus.*

Brentius apud Hospin. parte 2. Histor. Anno 1562. fol. 308. *Anilia vestra deliria de illo vestro corporali & locali Cœlo & inferno video.* Et pag. 331. *Infernus localis, fictitius est.* *Locale cælum & infernus, deliria.*

Lobechius disput. 6. pag. 133. *Inferos locum physicum & naturalem esse affirmare non audemus.* *Infernus nō locus certus.*

Perkinsus in cap. 2. Apocalyp. to. 2. col. 90. *Non fingen-*

dum, infernum esse aliquem locum certum & definitum ac corporalem. Bullingerus in Repetit. Consensus folio. 74. ita scribit de Brentio. *Constanter pergit negare, infernum esse locum.* Caluinus 2. Institut. cap. 16. §. 9. *Concludere in carcere mortuorum animas, puerile est.*

Non locus.

Tilenus in Syntagmate cap. 6. pag. 69. *Damnamus Pontificios, qui damnatorum locum ex temulenti cerebri insomnio in meditullio terræ constituunt.*

COLLATIO.

Scriptura diserté docet quòd infernus sit locus tormentorum. Idem Catholici.

Protestantes dicunt quòd non sit locus, non locus corporeus, non sit carcer: quòd nihil sit aliud quam praua conscientia, quòd sumet exordium in die extremo. Hæc tam apertè repugnant Scripturæ, vt aliqui Protestantes id agnoscant, vt referemus lib. 2. cap. vltim.

ARTIC. VIII. AN IGNIS INFERNI SIT verus ignis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Verus ignis.

MAtth. 25. v. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Iudæ v. 7. citat. *Ignis æterni pœnam sustinentes.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Metaphoricus ignis.

S. Thomæ Supplementum qu. 70. art 3. *Ignis inferni non est metaphoricè dictus nec ignis imaginarius, sed verus ignis corporeus.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non verus ignis.

Non corporeus ignis

Caluinus in Matth. 3. v. 12. *De igne æterno colligere licet, metaphoricam esse locutionem.* Idem habet in cap. 25. Matth. v. 39. Et in cap. 30. Isaiæ.

Danæus Controuers. 4. cap. 11. pag. 210. *Fingit animas hominum & dæmonas in inferno vero & corporeo igne torqueri.* Et Controuers. 6. pag. 1181. *Est res impossibilis animas hominum à suis corporibus separatas posse igne aliquo corporali torqueri & affici.* Itē: *Quòd de pœna damnatorum hominum etiam in animis agens* S. *Scriptura eam appellat ignem, sunt istæ metaphoricæ locutiones non natu-*

rales, nec illic de igne materiali agitur.

Vorstius in Antibellarm. pag. 269. *Omnino contradictorium est, ignem corporeum efficaciter agere in spiritum merum & simplicem, qualis dicitur esse anima humana.*

Marcus Antonius de Dominis lib. 5. de Repub. cap. 6. num. 184. *Maximè incertum & disputabile est, an sit ignis ille* (inferni) *materialis, an agat in animam &c.* *Incertum an materialis ignis.*

Tilenus in Syntagmate cap. 68. pag. 841. *Nulla omnino causa est, cur ibi* (in inferno) *statuatur ignis corporeus.* *Non ignis corporeus.*

Polanus in Sylloge thesium parte 2. pag. 518. in 8. *Anima à corpore separata non potest affici ab igne materiali & alijs rebus corporeis.*

Perkinsus in cap. 2. Apocal. tom. 2. col. 90. *Non fingendum, tormenta* (inferni) *esse corporalia, sed potius spiritualia esse, cum sit apprehensio & sensus iræ Dei ac eius vindictæ.* *Non tormenta corporalia.*

Lobechius Disput. 6. pag. 133. *Omni Scripturæ fundamento caret opinio Pontificiorum contendentium inferos loca subterranea in centro terræ esse, in quibus ignis materialis ardeat.* Et disput. 19. pag. 459. *Existimamus ignem hunc non materialem esse.* *Non ignis materialis.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd ignis inferni sit ignis. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd ignis inferni non sit ignis corporeus, non materialis, non verus sed metaphoricus.

SVMMA HVIVS CAPITIS.

QVæ in hoc capite recitauimus demonstrant, quòd multò aliter Scriptura cum Catholicis sentiat de salute ac morte æterna, quam Protestantes. Etenim Scriptura ac Catholici docent, quòd salus æterna sit merces, sit corona iustitiæ, & non sit ex sola fide: quòd animæ reproborum mortuorum iam sustineant pœnas inferni, quòd infernus sit locus, & quòd ignis inferni sit verus ignis. Contraria autem dicunt Protestantes. Eadem etiam demonstrant, quòd Protestantes etiam in hac re aliquid auferant. Nam tollunt à salute æterna quòd sit merces & corona iustitiæ, & quòd sit ex operibus: & ab inferno tollunt, quòd sit locus, & quòd ignis eius sit verus ignis.

CAPVT XVIII.

DE LEGE DEI.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN LEX DEI SIT POSSIBILIS.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Deus facit vt præcepta custodiantur.



Zechielis 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis & iudicia mea custodiatis.*

Onus Christi leue.

Matth. 11. v. 30. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

Christus venit vt lex impleretur in nobis.

Rom. 8. v. 4. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Et cap. 13. v. 8. *Qui diligit proximum, legem impleuit.*

Diligens proximum implet legem.

Galat. 5. v. 14. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

1. Ioan. 5. v. 3. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.*

Mandata Dei non grauia.

Matth. 7. v. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in Cælis est, ipse intrabit in Regnum Cælorum.*

Faciens voluntatem Dei intrat in cælum.

1. Ioan. 2. v. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. *Nemo temeraria illa & à Patribus sub anathemate prohibita voce vti debet. Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet & facere quæ possis & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.*

NEGANT

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Augustana cap. 6. *Tanta est infirmitas naturæ humanæ, vt nemo legi satisfacere poßit.* *Nemo potest legi satisfacere.*

Apologia huius Confessionis cap. de Implet. legis: *In hac vita non possumus legi satisfacere.* *Non possumus legi satisfacere.*

Apologia Anglica in Syntagmate Confessionum pag. 123. *Dicimus legi à nobis in hac vita satisfieri non posse vllo modo.*

Lutherus de Libert. Christiana tom. 2. fol. 4. *Aequè sunt impoßibilia nobis omnia præcepta.* Et in 3. Galat. tom. 5. fol. 329. *Lex exigit impossibilia.* *Omnia præcepta æque impoßibilia nobis.*

Melancthon apud Lutherum to. 2. fol. 507. *Errat, qui affirmat renatos in hac vita posse legi Dei satisfacere.* *Lex exigit impoßibilia.*

Caluinus in Antidot. Concil. seß. 10. cap. 12. pag. 284. *Nihil afferunt, quod impiam ipsorum persuasionem iuuat de possibili legis obseruatione.* Et lib. 2. de libero Arbitrio pag. 148. *Nemo implere potest legem.* In Lucæ 10. v. 26. *Impossibile est nobis præstare quod lex iubet.* In Actor. 15. v. 10. *Constat legem obseruatu impoßibilem esse.* *Renati nō poßunt satisfacere legi.*

Beza in Lucæ 18. v. 22. *Ne vnum quidem præceptum potest quispiam, ita vt lex præscribit, obseruare.* Et in Rom. 10. v. 6. *Lex Cœlum non nisi sub conditione ἀδυνάτῳ proponit* *Impia persuasio de obseruatione legis.*

Danæus Controuers. de Baptismo, cap. 15. pag. 389. *Mandata seruare, est omnino impossibile.* Et Controuersia 5. pag. 974. *Respondit Bellarminus, facile est implere legem ei qui habet charitatem. Respondeo, imò etiam ei ipsi esse impossibile.* *Lex impossibilis obseruatu.*

Vvitakerus lib. 1. contra Duræum sect. 9. *Nihil potes minus quàm legem præstare.* Item: *Legi nullus homo obtemperare potest.* Et controu. 2. qu. 6. cap. 3. pag. 563. ait esse Christianæ religionis fundamentum: *Legem Dei non posse à nobis præstari seu impleri.* *Omnino impoßibile seruare mandata. Fundamētum Protest. religionis.*

Perkinsus de Baptismo tom. 1. col. 833. *Papistæ censent quòd homo in hac vita possit seruare & implere legem.*

Scharpius Controuers. 12. de Iustificat. pag. 180. *Dicimus hominem iustificatum & renouatum legem implere non posse.* pag. 182. *Impossibile est, legem seruare.* *Renatus nō potest implere legem.*

Adamus Francisci in sua Margarit. Theol. loco 5. pag. 52. *Etiamsi homines renati à Spiritu S. adiuuantur & reguntur, ta-*

men reliquijs peccati impediuntur, quo minus legi satisfacere possint.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd mandata Dei non sunt grauia, quòd sunt iugum suaue & onus leue: quod qui diligit proximum, implet legem: quòd Deus faciet nos custodire iudicia sua: quòd misit filium suum vt iustificatio legis impleretur in nobis. Eadem docent Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nemo potest satisfacere legi, quòd nec iustificato lex sit possibilis: quòd sit impossibilis: quòd nullo modo ei satisfieri potest, quòd sit omnino impossibile seruare mandata: quòd omnia mandata sint æquè impossibilia, ne vnum possit seruari; quòd lex proponat Cœlum sub conditione impossibili: quòd sit impia persuasio, legem esse possibilem.

ARTI. II. AN ALIQVI CVSTODIERINT LEGEM DEI?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

David custodiuit legem.

PSalmo 118. v. 55. *Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.*

Lucæ 1. v. 6. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Ioan. 17. v. 6. Christus ait de Apostolis: *Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt*

Item Zacharias & Elizabeth.

Actor. 13. v. 22. *Inueni Dauid Filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.*

Item Apostoli.

I. Ioan. 3. v. 22. *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.*

Et alij.

Apocalyp. 3. v. 10. *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ & ego seruabo te ab hora tentationis.* Et cap. 14. v. 12. *Hic patientia Sanctorum est qui custodiunt mandata Dei & fidem Iesu.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. *Nihil ipsis iustificatis deesse credendum est, quò minus plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu, satisfecisse videantur.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confessio Augustana cap. de bonis operibus. *Sancti non satisfaciunt legi.*

Apologia eiusdem cap. 2. de Iustificat. *Legem non facimus, — legem nunquam facimus.* Cap. 5. de Dilectione: *legi nunquam satisfacimus.*

Confessio Scotica art. 15. *Affirmamus neminem in terra (Christo solo excepto) opere & reuera ita præstitisse, præstare, aut præstiturũ eam in opere obedientiam legi quam lex requirit.*

Nemo præter Christũ præstitit legem.

Bohemica artic. 7. *Docent neminem esse qui præcepta à Deo opera factis expleat.*

Lutherus in 3. Galat. to. 5. fol. 343. *Moyses requirit factorem qui perfectè legem faciat. Sed vbi accipiemus illum? Nusquam.* Et in 4. Galat. to. 5. cit. fol. 393. *Nemo legem facit.*

Caluinus in Rom. 13. v. 8. *Nemo præstat legem neque vnquam præstitit.* Et 3. Instit. c. 17. §. 3. *Sanctissimi Dei serui procul omnes ab sunt à legis complemento.* Et §. 13. *Ne vnum aliquem proferẽt qui legem impleuerit.* Et in Antidot. Concilij sess. 6. c. 12. p. 283. *Nemo extitit vnquam qui legi Dei satisfecerit, nec vllus potest inueniri.* In Actor. 15. v. 10. *Fideles postquam Spiritu Dei regeniti iustitiæ legis student, dimidium tamen ac longè minus dimidio præstant, non totum.* In Galat. 3. v. 10. *Constat neminem vnquam fuisse inuentum aut inueniri posse, qui legi satisfaciat.* In v. 12. *Nemo est qui opera legis faciat.*

Nemo vnquam præstitit legẽ.

Ne vnus aliquis legem impleuit.

Fideles lõge minus dimidio præstant.

COLLATIO.

Scriptura loquens de hac re ex professo, ait, quòd Dauid custodiuit legem Dei, fecit omnes voluntates eius, quòd Zacharias & Elizabeth incesserunt in omnibus mandatis Domini sine querela: quòd Apostoli seruauerunt sermonem Dei; quòd fideles custodierunt mandata Dei: quòd Sancti seruauerunt verbum & mandata Dei. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nemo excepto Christo præstitit obedientiam legi quam requirit; quòd nemo factis expleat legem, nemo præstet legem, nemo impleat legem, nemo satisfaciat legi; quòd Sancti non satisfaciant legi: quòd longè minus dimidio præstent.

ART. III. AN ALIQVI DILEXERINT vel secuti fuerint Deum ex toto corde.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Deus faciet vt diligamus eum toto corde.

DEutero. 30. v. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuũ & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo & in tota anima tua, vt possis viuere.*

Danielis. 3. v. 41. Azarias ita orat: *Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te & quærimus faciem tuam.* Psalmo 118. v. 10. *In toto corde meo exquisiui te.*

Tres pueri sequebantur Deum toto corde. Item Dauid.

3. Regum. 8. vers. 23. *Domine Deus Israel qui custodis pactũ & misericordiam seruis tuis qui ambulabant coram te in toto corde suo.*

Iosias reuertebatur ad Deum in toto corde, &c.

4. Regum. 23. v. 25. *Similis illi* (Iosiæ) *non fuit ante eum Rex qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta omnem legem Moysis.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Nemo tantum diligit quantum oportet. Non ita vt lex requirit.

Bellarminus lib. 1. de Amiss. Gratiæ & statu peccati cap. 12. *De Zacharia & Elizabeth Lucas scribit, ambulasse eos in omnibus mandatis & iustificationibus Domini: neque dicerentur ambulasse in omnibus mandatis, qui primum & maximum quod est de diligendo Deo ex toto corde neglexissent.*

NEGANT PROTESTANTES.

Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Respons. ad Argum. *Nemo tantum timet, tantum diligit Deum, tantum credit Deo, quantum oportuit.*

Nemo potest diligere Deum toto pectore.

Lutherus in 5. Galat. tom. 5. fol. 417. *Non dabis aliquem in terris qui ita diligat Deum & proximum, vt lex requirit.* Ibidẽ: *Sancti etiam in hac vita imperfectè & impurè diligunt.* Postilla in Domin. 10. post Trinitatem. fol. 315. *Vt eum toto diligamus pectore à nobis postulat, id quod nullus mortalium præstare potest.*

Nemo dilexit Deum ex toto corde.

Brentius Homilia 1. in Domin. 13. post Trinitatem pag. 777. *Inter Sanctos nullus vnquam repertus est, qui dilexerit Deum ex tota anima perfectè.*

Caluinus 2. Instit. cap. 7. §. 5. *Neminem Sanctorum extitisse dico, qui corpore mortis circundatus ad eum dilectionis scopum*

pertigerit, vt ex tota anima, ex toto corde, ex tota potentia Deum amaret.

Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 11. pag. 1075. *Talem dilectionem* (ex tota anima &c) *nemo sanctorum habuit, vel habere in hac infirmitate potest.*

Danæus Controuers. 5. pag. 973. *Impleri posse & sub veteri, & sub nouo testamento hoc præceptum: Diliges Deum &c. idque Deum promisisse Deuteron. 10. v. 12 30. v. 6 Hierem. 24 v. 7. est falsissimum.*

COLLATIO.

Scriptura ex professo de hac re sermonem instituens, ait quòd Deus circumcidet cor fidelium vt eum diligant toto corde: quòd Azarias & socij secuti sunt eum in toto corde: quòd Dauid exquisiuit Deum in toto corde: quòd Deus custodit misericordiam cum seruis suis qui ambulant coram eo in toto corde: Quod Iosias reuersus est ad Deum in omni corde suo, in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moisis. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non sit aliquis qui ita diligat Deum vt lex requirit: quòd nemo Sanctorum amauerit Deũ ex toto corde: quòd dilectionem Dei ex toto corde nemo Sanctorum habuit.

ART. IIII. AN LEX DEI SIT IN CORdibus aliquorum?

Deus dabit legem in cordibus. Lex Dei in corde.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Hieremiæ 31. v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Idem habetur Hebr. 8. v. 10. Psalmo. 36. v. 31. *Lex Dei in corde ipsius.*

Deuteronom. 30. v. 14. *Iuxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.* Et Rom. 10. v. 6. *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Rom. 10. vers. 6. cit. *Scriptura hic apertè dicit:* Propè *est verbum, id est, mandatum legis in corde tuo vt facias illud: Non est hoc verum dicit hæreticus, & verbum legis siue mandatum legis non est propriè in corde nostro.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lex Dei non proprie in corde.

Caluinus in Rom. 10. vers. 6. *Etiam post regenerationem, verbum legis propriè in corde nostro esse non dicetur, quia perfectionem requirit, à qua fideles quoque ipsi longè distant.* Idem sentiunt alij, qui vel docent legem esse nobis impossibilem, vel non esse in nobis veram iustitiam in oculis Dei.

COLLATIO.

Scriptura ex professo de hoc verba faciens, ait, quòd lex Dei datur in visceribus, scribitur in corde, est in corde quorundam. Consentiunt Catholici.

Protestantes dicunt, quòd verbum legis Dei propriè non est in corde cuiusquam.

ARTI. V. AN OREMVS VT IMPLEAMUS legem;

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Oramus vt fiat voluntas Dei in terra sicut in cælo.

MAtth. 6. v. 10. *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo & in terra.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 1. de Bonis operibus in particulari cap. 6. *Petimus, vt auxilium & gratia Dei nobis adsit, quo possimus ac velimus diuina implere mandata.*

NEGANT PROTESTANTES.

Non precamur vt impleamus legem.

Perkinsus in 3. Galat. col. 135. *Non precamur vt impleamus legem, sed vt operam dare possimus pro virili ad implendam legem.* Sic etiam Danæus in Orat. Dominicam pag. 594. Idem sentiunt reliqui Protestantes, qui vt suprà vidimus dicunt impletionem legis esse impossibilem. Caluinus etiam in Matth. 6. v. 10. citat. vt articulo sequenti referemus ait, *Sufficere, voto testari nobis odio esse quicquid Dei voluntati aduersatur.*

COLLATIO.

Scriptura iubet nos petere vt Dei voluntas fiat in terra sicut fit in cœlo, quod procul dubio est implere legem. Nam in cœlo non opera datur vt voluntas Dei fiat, sed reipsa fit Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non precamur vt lex Dei fiat à nobis, sed vt opera detur vt fiat. Quod tā euidenter pugnat cum Scriptura, vt ipse Perkinsus id aliquando fateatur. Vide lib. 2. c. vltimum.

ARTIC. VI. AN LEGIS OBSERVATIO sit necessaria ad salutem?

Affirmat Scriptura.

MAtth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Ioan. 15. vers. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* *Obseruatio mandatorũ necessaria ad vitam.*

Affirmant Catholici.

Stapletonus in Matth. 19. vers. 17. cit. *Hæc Christi doctrina, mandatorum Dei obseruationem ad vitam æternam necessariam esse, manifestè demonstrat.*

Negant Protestantes.

Lutherus in cap. 2. Galat. to. 5. fol. 311. *Papistæ docent: Fides in Christum iustificat, sed simul etiam seruari oportet præcepta* Dei, *quia Scriptum est:* Si vis &c. *Ibi statim Christus negatus, & fides abolita est.* *Non necessaria.*

Caluinus in Matth. 19. v. 17. cit. *Legale est hoc Christi responsum:* Neminem *coram Deo censeri iustum, nisi qui legi satisfecerit: quod est impossibile.* Et 3. Institut. cap. 17. §. 7. *Promissio legalis; quæ annexa conditioni impossibili nihil probat.* Et in Antidot. Concilij sess. 6. pag. 280. *Væ illorum Catechumenis, si tam dura illis conditio* (seruandi legem) *imponitur. Quid enim aliud, quàm æterna maledictio illis indicitur?* In Actorum 15. v. 10. *In horribilem interitum præcipitatur totus mundus, si non aliter quàm legem seruando, salutem consequi possit.* Et in Matth. 9. v. 10. *Sufficit hoc voto testari, nobis odio ac tristitiæ esse, quicquid Dei voluntati aduersum cernimus, extinctumque cupere.* *Sufficit desiderare impletionẽ legis.*

Perkinsus in Casibus Conscientiæ cap. 7. col. 1335. *Si homines Deo obsequium in omnibus præstare conantur, Deus tenuem eorum & exiguum conatum faciendi id quod eius gratia possunt, in eam partem accipiet, ac si perfectè vniuersæ legi satisfecissent.* *Deus accipit exiguũ conatum pro perfecto opere.*

Piscator Loco 17. pag. 283. *Fideles à rigore & seueritate legis, adeòque à solicitudine & metu maledictionis ob legis violationem, liberati sunt.* *Protest. liberati à metu ob violationem legis.*

Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 7. pag. 1031. *Satis est si nouam legis obedientiam secundùm omnia mandata inchoare studeant, defectuum veniam à Deo petant & impetrent, propter Christi meritum: secus nulla caro seruaretur.* *Satis est studere nouæ obedientiæ.*

Petrus Martyr in 1. Corinth. cap. 10. v. 12. *Præcepta bonorum operum nihil aliud à nobis requirunt, quàm studium atque sedulitatem rectè viuendi.* Et ibidem in cap. 7. v. 19. in illud: Sed obseruatio mandatorum Dei: *Non istud inquit à vobis qui iam filij estis, & ad Christum pertinetis, expectatur, sed tantùm obseruatio mandatorum Dei quantum humana conditio & status præsentis vitæ patiantur.*

Lex non requirit nisi studium bene agendi.

COLLATIO.

Scriptura loquens ex professo hac de re ait, quòd si velimus ad vitam ingredi oportet seruare mandata. Similiter Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non est necessarium seruare mandata: quòd satis sit studere ea inchoare: quòd Deus tenuem conatum seruandi, accipit pro perfecta obseruatione.

ARTC. VII. AN LEX DECALOGI SIT ablata seu abrogata quoad fideles?

NEGAT SCRIPTVRA.

Lex statuitur per fidem.

ROm. 3. v. vltimo: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.*

Matth. 5. v. 17. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Ioan. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Rom. 4. vers. 15. *Vbi non est lex, nec præuaricatio.*

NEGANT CATHOLICI.

Seruanda mandata si diligimus Deum.

Concilium Trident. sess. 6. canone 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia neque præcepta neque prohibita sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos: anathema sit.*

AFFIRMANT PROTESTANTES.

Decalogus non pertinet ad Christianos.

Lutherus Sermone de Moyse: *Decalogus nihil ad Christianos.* *Est* (inquit Vvitakerus lib. 8. contra Duræum Sectione 91) *hic articulus Luthero certè dignißimus, quia summam veritatem & consolationem continet.*

Lex abolita pijs. Omnia libera piis.

Idem Lutherus in cap. 18. Deuteronom. tom. 3. fol. 56. *Scias legem diuinam tantùm eam esse quæ præcipiat quid faciendum sit impijs & perditis, vbi vero pij sunt, iam lex abolita est.* Et in cap. 2. Galat. tom. 5. fol. 227. *Iustificato corde per fidem, mox cessant omnes*

omnes leges, omnia sunt iam libera, licita. Fol. 223. *Lex mortua est, non amplius cogit, licet tamen charitate legem operari, sed non vt legem.* fol. 315. *Tota lex cæremonialis siue Decalogi, abrogata est Christiano, quia ei mortuus est. Est autem mori legi, lege non teneri, sed liberum esse ab ea & nescire eam.* Et fol. 370. *Christus omnes leges in vniuersum abrogauit.* In Postilla in die Pentecostes fol. 273. *Spiritus S. ideo datus est vt abroget & è medio tollat legem, vnde Christiani legibus administrandi non sunt: Reliqui vero qui non profitentur animo Christum, legibus arcendi, ad lictores & lanistas proijciendi, gladio denique gubernandi sunt vt cohibeantur.* Et fol. 272. ait quòd, *Spiritus S. ita legem abroget, vt ne litera quidem legis relinquatur, aut si quid maneat, prædicandi verbo causa maneat.* *Non tenemur lege.* *Christiani non regendi legibus.*

Melancthon in Locis apud Fabritium in Harmonia Confess. August. art. 20. pag. 364. *Legem in tres partes distinximus, in formas morum, cæremoniarum, & iudiciorum: quas omnes necesse est abrogatas esse si vetus testamentum antiquatum est. Fuit autem hæc legis abrogandæ causa, quia præstari seu fieri non potuit. Quæ causa cum ad legem moralem potius quàm ad iudiciorum formas vel ad cæremonias pertineat, necesse est fateamur decalogum quoque abrogatum esse.* *Lex morũ abrogata.*

Michael Neander apud Schusselburg. tom. 4. Catal. Hæret. pag. 61. *Ego in sententia persisto, quod lex iusto non sit posita in vllo vsu seu officio.* *Lex nulli vsui iusto.*

Tindallus apud Foxum in Actis edit. 1610. p. 1140. *Christus sustulit omnes leges.* Vel vt eius verba refert Reginaldus in Caluino Turcismo lib. 4. cap. 22. *Christus nos liberauit ab omnibus legibus, vt deinceps nulla lex nos obliget in conscientia.* *Christus sustulit omnes leges.*

Alij Protestantes, etsi verbis negent legem ablatam esse à fidelibus, reipsa tamen id dicunt, dum asserunt ablatam omninò ab ijs esse imputationem violationis illius siue quoad culpam siue quoad pœnam: ita vt, ne in ipso momento quo fidelis legem violat, illius violatio ipsi vllo modo imputetur. Nam planè implicat, vt sit lex & illius violatiō nunquã faciat suos violatores reos culpæ aut pœnæ. Vnde Lutherus ipse to. 1. disputat. 6. proposit. 14. *Lex non damnans, est lex ficta & picta sicut Chimera.* Ita autem docet Apologia Con- *Lex non damnans non est lex.*

fess. Augustanæ cap. de Impletione legis. Zuinglius in Explanat. art. 16. Martyr in locis Classe 2. cap. 15. §. 22. Caluinus 2. Institut. cap. 7. §. 14. & in Refutat. Serueti p. 652. Beza in 1. Ioan. 5. v. 3. & in cap. 2. v. 7. Vvitakerus loco cit. Bullingerus Decade 3. Sermone 8. Bucanus loco 29. Schusselburg. to. 4. catal. hæret. pag. 176. & alij Protestantes communiter.

Aretius in locis parte 3. fol. 56. *Hactenus lex abolita est, vt electos non possit damnare.*

Caluinus de Vera Ecclesiæ Reformat. pag. 319. *Vt liberæ sint conscientiæ à metu æternæ mortis, ipsam quoque Dei legem abrogari oportet, ne maledictione eos obstringat.*

COLLATIO.

Scriptura ex professo hac de re disserens, docet, quòd lex non destruitur per fidem sed statuitur; quòd Christus non venit soluere legem sed adimplere; quòd si diligimus Deum seruanda sunt eius mandata: & quòd si non sit lex, nec sit peccatum. Eadem docent Catholici.

Protestantes verò dicunt, quòd Decalogus nihil pertineat ad Christianos: quòd lex præcipiat tantùm impijs, pijs vero sit abolita: quòd corde iustificato cessent omnes leges, omnia sint libera & licita: quòd lex non cogit, non licet eam operari vt legem: quòd lege non tenemur: quòd Christus omnes leges in vniuersum abrogauit: quòd lex morum & decalogi sit abrogata, quia non potuit præstari: quòd lex nō est posita iusto in vllo vsu: quòd omnes leges sunt sublatæ: & quòd nulla lex obligat. Et tamen ita scribit Paræus Collegio Theol. 1. disput. 8. *Lex moralis cum sit æterna iustitiæ regula, & dilectionem Dei ac proximi in summa requirat, (quæ officia hominis perpetua sunt) non potest dici abrogata, aut vnquam abroganda esse.* Sic etiam Brentius homil. in circumcis. p. 67.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE Lege Dei?

QVæ in hoc capite retulimus clarè ostendunt, quòd Scriptura cum Catholicis multò aliter doceat de lege Dei, quàm Protestantes. Scriptura enim ac Catholici do-

cent, quòd lex Dei sit possibilis, quòd aliqui eam custodierint, quòd aliqui dilexerint Deum ex toto corde, quòd lex Dei sit in cordibus aliquorum, quòd oramus vt impleamus legem, quòd legis obseruatio sit necessaria ad salutem, & quòd lex Decalogi non sit abrogata à fidelibus. Protestantes his omnia contraria dicunt.

Eadem etiam ostendunt, quòd Protestantes in hac re egregiè fures agant ac furentur: Auferunt enim à lege Dei quòd sit possibilis, quòd fuerit custodita ab aliquibus, quòd sit in cordibus quorundam, quòd eius obseruatio sit necessaria ad salutem, & quòd obliget fideles. *Quot & quãta Protestantes furantur à lege Dei.*



CAPVT XIX.

DE LEGE ET SVPERIORITATE HVMANA.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN SIT VLLA SVPERIORITAS inter Christianos.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.



PROVERB. 8. v. 15. *Per me Reges regnant.* *Reges per Deum.*

Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Tit. 3. v. 1. *Admone illos potestatibus & Principibus subditos esse.* *Spiritus S. posuit rectores.*

Actor. 20. v. 28. *Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei.*

Heb. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis.* *Dominus constituit aliquem super familiã suam.*

Matth. 24. v. 45. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam?*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 3. *Prophetæ prædixerunt omnes Reges terræ seruituros Christo & Ecclesiæ: quod non potest fieri, nisi in Ecclesia sint Reges.* Et cap. 6. *Politica potestas vniuersè considerata est de iure diuino, in particulari considerata, est de iure gentium: Ecclesiastica omnibus modis est de iure diuino, & immediatè à Deo.*

NEGANT PROTESTANTES.

Nulla superioritas inter Christianos.

Lutherus lib. de Sæculari potestate apud Coccium tom. 1. lib. 7. artic. 1. *Inter Christianos nulla potest esse superioritas.*

Christianus nulli subiectus. Non nouit Dominum nisi Christum.

Idem Lutherus de libertate Christiana to. 2. fol. 3. *Christianus homo omnium Dominus est liberrimus, nulli subiectus.* Et de Votis ibidem fol. 270. *Christus me tanta libertate donauit, vt nulli subditus sim nisi sibi soli. Christus est meus immediatus Dominus, alium non noui amplius.* Et in 1. Petri cap. 2. to. 5. fol. 462. *Commisit Christus malos profanæ potestati, vt eos ita regat atque eos regi oportet: probos, hoc est credentes sibi seruauit, quos & solo verbo ipse gubernat.* Similia habet in Postilla in die Pentecostes, vt retulimus cap. præcedenti art. 7.

COLLATIO.

Scriptura ex professo verba faciens de hac re ait, quòd Reges sunt per Deum, quòd sint potestates sublimiores quibus oportet subdi, Principes quibus debemus esse subditi, præpositi quibus debemus subiacere, & rectores Ecclesiæ. Eadem docent Catholici.

Protestantes dicunt, quòd inter Christianos nulla sit superioritas; quòd Christianus nulli est subiectus, nulli subditus nisi soli Christo; quòd Christus est immediatus eius Dominus, & quòd nullum amplius nouit.

ARTIC. II. AN HOMO HABEAT ius condendi leges.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Apostoli imponunt onera necessaria.

ACtor 15. v. 29. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.*

Ibidem v.41. *Paulu perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* *Paulus præcipit.*

1. Cor.7. verſ.12. *Cæteris ego dico non Dominus: Si quis vxorem habet infidelem & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat eam.* *Ius dicit.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Actor. 15. v. 28. *Poteſt Eccleſia leges temporarias ad certum vtilem finem, puta pacis Eccleſiaſticæ ſeruandæ cauſa fidelibus imponere per modum præcepti, quod illos in conſcientia & coram Deo ad debitam obedientiam obſtringat.*

NEGANT PROTESTANTES.

Confeſſio Baſilienſis art.10. *Nemo prohibere poteſt, quæ Chriſtus non prohibuit.* *Non vetita à Chriſto nemo poteſt vetare.*

Lutherus lib. contra Regem Angliæ. tom.2. fol. 346. *Ius condendi leges ſolius* Dei *eſt*. Et de Captiuit. Babylon. fol. 77. *Chriſtianis nihil vllo iure imponi poteſt legum ſiue ab hominibus ſiue ab Angelis, niſi quantum volunt.* *Ius condẽdi leges ſolius Dei.*

Caluinus 4. Inſtitut. cap. 10. §. 7. *Audimus Deum hoc ſibi vni velut proprium aſſerere, vt verbi ſui imperio ac legibus nos regat.* Et §. 8. *Si Deus eſt vnicus legiſlator, non licet hominibus id ſibi honoris ſumere.* Et in Iacobi 4. v.12. *Totam Dei maieſtatem ad ſe rapiunt, qui ſibi ius ferendi leges vendicant.* *Proprium Dei regere legibus.*

COLLATIO.

Scriptura apertè docet, quòd Apoſtoli habuerunt authoritatem imponendi onera neceſſaria, præcipiendi ſeruare ſua præcepta, & præſcribendi leges coniugatis. Eadem Catholici.

Proteſtantes dicunt, quòd nemo poteſt prohibere quod Chriſtus non prohibuit, quòd ius condendi leges eſt ſolius Dei, ille eſt vnicus legiſlator; quòd Chriſtianis nihil poteſt imponi legis, niſi quantum volunt.

ARTI. III. AN LEX HVMANA OBLIget Conſcientiam?

Propter cõſcientiam parendum magiſtratui.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

ROm.13. v. 2. & ſeqq. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

— *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Stapletonus in Rom. 13. v. 1. & 2. *Transgressio legum humanarum etiam Deum offendit — Politicis legibus obstringuntur conscientiæ fidelium.*

NEGANT PROTESTANTES.

Magistratus non potest obligare conscientiam.

Lutherus in 1. Petri. cap. 2. tom. 5. fol. 464. *Magistratus non potest obligare conscientiam.* Et de Bonis operibus ibidem fol. 577. *Non est peccatum, nisi quod Deus vetuerit prohibueritque.* Et lib. de Confessione ad Francis. vt refert Fabritius Leodius præfat. in Confessionē Augustanam: *Nulla est remedij spes, nisi reuocato libertatis Euangelio, secundùm ipsum extinctis simul omniū hominum legibus, omnia iudicemus & regamus.* Et in Actis Vvormatiensibus to. 2. fol. 172. inquit. *Nulla respublica legibus fæliciter administratur.* Et de seruo arbit. to. 2. fol. 431. *Solius Dei præcepto conscientiæ ligantur.*

Extinguēdæ omnes hominum leges.

Solius Dei obligare conscientias

Zuinglius in Explanat. artic. 28. *Peccatum nequaquam est, quod Deus non vetat.* Item. *Humanæ additiones non possunt efficere, vt aliquid sit vel bonum vel malum.* Et artic. 24. *Christianorum nullus ad ea opera, quæ Christus non præcepit, astringitur.*

Homo non potest efficere aliquid malum.

Vni Deo subiecta cōscientia.

Caluinus in Iacobi 4. v. 12. *Vnus Deus est, qui suis legibus conscientias iure subiectas habet.* Et in Refutat. Catalani. pag. 384. *Non est mortalis cuiusquam condere leges, quæ animas constringant, & diuini iudicij reos constituant.* Item de Necessitate Reform. Ecclesiæ. pag. 58. *Conscientias ab hominum legibus liberas & solutas esse docuimus.* In Confess. Fidei pag. 109. *Ius hominibus non est, obstringere conscientias sub pœna peccati mortalis.*

Conscientia libera ab hominum legibus.

Beza in Confess. cap. 7. sect. 9. *Vni Deo fas est leges conscientiis ponere.*

Petrus Martyr in locis Classe 4. c. 4. §. 5. *Apostoli decreuerunt, vt gentes conuersæ ad Christum abstinerent à præfocato & sanguine & Idololothyto. — Si quis salua communi pace illa comedisset, nihil peccasset in conscientiam.*

Danæus Controuers. 3. pag. 509. *Hominum mandata ligare conscientias nostras non possunt.* Et Controuers. 5. pag. 1125. *Nulla lex nisi diuina nos in conscientia obligare potest.*

Vvitakerus Controuerſ. 4. quæſt. 7. cap. 1. pag. 715. *Nos quidem dicimus Principum leges non obligare conſcientias: hoc enim ſolius Dei eſſe.* Et lib. 8. contra Duræum ſect. 103. *Qui conſcientiis leges imponunt, ſeruandi & perdendi ſibi poteſtatem vendicant & Deum ſuo iure ſpoliant. Magiſtratuũ leges nullum habent in cõſcientiam dominatum.*

Perkinſus in Anatomia Conſcientiæ to. 1. col. 1215. *Subiectionem quidem corporis, bonorum, totiuſque conuerſationis externæ vltrò concedimus, ſed conſcientiæ nullam omnino legibus hominum agnoſcimus.* Et in Caſibus Conſcientiæ cap. 3. col. 1301. *Obediendum legibus magiſtratus propter metum iræ & ad vitandam pœnam, verùm non propter conſcientiam dictæ authoritatis aut legum humanarum propriè & directè.* Et in Galat. 5. to. 2. col. 258. *Lex magiſtratus facit rem neceſſariam ratione neceſſitatis externæ. Cæteroquin res in ſe non fit neceſſaria, ſed manet indifferens, & vti ea poteris aut non, ſi vitetur contemptus aut ſcandalum.*

Non parendum magiſtratui propter conſcientiam.

COLLATIO.

Scriptura ex profeſſo hoc tractans docet, quòd qui reſiſtit magiſtratui Dei ordinationi reſiſtit, & ſibi damnationem acquirit: & quòd debemus eſſe illi ſubditi etiam propter conſcientiam. Eadem Catholici.

Proteſtantes autem dicunt, quòd magiſtratus non poteſt obligare conſcientiam, quòd ſolius Dei eſt obligare conſcientiam, quòd violantes præcepta Apoſtolorum citrà Scandalum non peccaſſent, quòd nihil eſt peccatum niſi quòd Deus prohibet, quòd nulla ſit ſubiectio conſcientiæ legibus hominum, quòd non ſit obediendum legibus magiſtratus propter conſcientiam propriè & directè, quòd omnium hominum leges ſint extinguendæ.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE Lege Humana?

QVæ in hoc capite recitauimus demonſtrant, quòd Scriptura vna cum Catholicijs aliter ſentiat de lege & ſuperioritate humana quã Proteſtantes. Nam Scriptura ſimul cum Catholicis docet eſſe ſuperioritatem inter Chriſtianos, homines habere ius condendi leges, & eorum leges

obligare conſcientias. Quæ omnia negant Proteſtantes.

Eadem etiam oſtendunt, quòd Proteſtantes etiam hac in re antiquum obtinent. Nam tollunt à ſocietate chriſtiana omnem ſuperioritatem, & omne ius condendi leges, & à legibus omnem poteſtatem obligandi conſcientias, imò & aliquando ipſas leges.



CAPVT XX.

DE LIBERO ARBITRIO.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN VOLVNTAS HVMANA SIT LIBERA IN REBUS INDIFFERENTIBUS.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Homo habet arbitriũ facere aut non facere.



Numer. 30. v. 14. *In Arbitrio viri erit, vt faciat ſiue non faciat.*

Eligit quod placet.

Ioſue 24. v. 15. *Optio vobis datur, eligite hodie quod vobis placet.* 2. Regum. 24. v. 12. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his.*

Quod vult.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmentum denique à Satana inuectum in Eccleſiam: Anathema ſit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Liberum arbitrium res de ſolo titulo.

Lutherus art. 36. tom. 2. *Liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo titulo.* Et in Aſſert. eiuſdem articuli: *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus & titulus ſine re, quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare mali aut boni, ſed omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt.*

Figmentũ. Eſt ceu inmentum.

Idem Lutherus de Seruo Arbit. fol. 434. *Sic humana*

voluntas

voluntas in medio posita est ceu iumentum: si insederit Deus, vult & vadit quò vult Deus: si insederit Satan, vult & vadit quo vult Satan: nec est in eius arbitrio ad vtrum sessorem currere aut eum quærere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum & possidendum. Et fol. 435. *Fixum stat, nos omnia necessitate, nihil libero arbitrio facere.* Et 461. *Talem oportere esse Deum viuum & verum, qui libertate sua necessitatem imponat nobis, ipsa ratio naturalis cogitur fateri.* Item: *Pugnat ex diametro præscientia & omnipotentia Dei cum nostro libero arbitrio.* Et 486. *Si credimus verum esse quod Deus præscit & præordinat omnia, tum neque falli neque impedidiri posse suà præscientià & prædestinatione, nihil denique fieri nisi ipso volente id quod ipsa ratio cogitur concedere, simul ipsa ratione teste nullum esse potest liberum arbitrium in homine, vel Angelo, aut vlla creatura.* *Nihil libero arbitrio facimus.*

Melanchthon in locis editis anno 1521. *Quandoquidem omnia quæ eueniunt, necessariò iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij libertas. Omnia necessario euenire Scripturæ docent, & si videatur tibi in rebus humanis esse contingentia, iudicio rationis hîc imperandum.* *Nulla est libertas.* *Nulla contingentia.*

Idem Melanchthon apud Zanchium de Prædestinat. Sanctorum cap. 5. tom.. 7. col. 335. *Tollit omnem libertatem voluntatis nostræ prædestinatio diuina.* Item: *Quid igitur inquies, nullane est in rebus (vt istorum vocabulo vtar) contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Omnia necessario euenire Scriptura docet. Esto videatur tibi esse in rebus humanis contingentia, iudicio rationis hîc imperandum est,*

Zuinglius de Vera & falsa Religione cap. de Merito to. 2. fol. 223. *Prouidentia Dei simul tolluntur & liberum arbitrium & meritum.*

Zanchius tom. cit. cap. 6. col. 339. sic statuit: *Omnia simpliciter & necessario ita fieri, sicut fiunt*

Idem docet Caluinus 2. Institut. cap. 4. §. 6 & 7 Et in Confess. fidei nomine Ecclesiæ Galliarum edita pag. 573. inquit: Neque *merita neque liberum arbitrium statuimus.*

Polanus in Disputat. priuatis disput. 34. *Homo corruptus non habet liberumarbitrium in rebus indifferentibus & ciuilibus.* *Homo non habet liberum arbitrium in ciuilibus.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd homo habet arbitrium faciendi aut non faciendi: quòd habet optionem eligendi quod voluerit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd liberum arbitrium sit figmentum, res de solo titulo, aut titulus sine re; quòd nulla sit libertas, nulla contingentia: quòd omnia de absoluta necessitate eueniant; quòd humana voluntas sit ceu iumentum. Quod repugnare Sripturæ satis indicat Paræus Colleg. Theol. 1. Disput. 4. cum inquit: *Apud Paulum inuenitur* ἑκούσιον αὐθαίρετον *Spontaneum voluntarium de rebus ciuilibus, & medijs. Philem. v. 14. Hebr. 10. 26.* 2. Cor. 8. 3.

ARTI. II. AN VOLVNTAS HOMINIS sit libera in moralibus bonis & malis?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Appetitus peccati sub nostro dominio.

GEnes. 4. v. 6. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si benè egeris, recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*

Non facit malũ quod potuit.

Ecclesiastici 15. v. 18. *Ante hominem vita & mors bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Et cap. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.*

Eligit seruire Deo.

Iosue 24. v. 15. *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet cui seruire potissimum debeatis.* Et v. 22. *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis Dominum vt seruiatis ei.*

Habet potestatem non necessitatem seruandi virginem suã.

1. Corinth. 7. v. 37. *Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc indicauit in corde suo seruare virginem suam, benè facit.*

Voluntarium non necessariũ.

Philem. v. 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Bellarminus lib. 5. de Gratia & lib. Arbitr. cap. 14. *Veritas orthodoxa docet hominem in statu naturæ corruptæ libero arbitrio præditum esse quoad moralia.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus de Seruo Arbitr. tom. 2. fol. 460. *Si hic erat*

Nulla libertas erga bonum & malum.

ulla vertibilitas aut libertas arbitrij in Pharaone, quæ in vtrumque potuisset, non potuisset Deus *tam certò prædicere eius indurationem — Quod non fieret, nisi induratio prorsus esset extra vires hominis & in solius Dei potestate.* Et Respons. ad Artic. Louan. fol. 504. *Liberum arbitrium ad bonum est nullum.* In Assertione etiam artic. 36. fol. 112. *Non est dubium, Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium.*

Nullum arbitrium ad bonum.

Deus non trahit volentes.

Caluinus 2. Institut. c. 3. §. 10. *Voluntatem mouet* (Deus) *non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, vt nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum repudiari necesse est: Quem trahit, volentem trahit.* Item: *Nam medium quē Sophistæ imaginantur motum, cui obsequi vel quem repellere liberum sit, apertè excludi videmus, vbi asseritur efficax ad perseuerandum constantia.* Idem in Ioannis 6. v. 44. *Falsum est illud ac profanum, non nisi volentes trahi.* In Confessione fidei pa. 108. *Neque merita neque liberum arbitrium statuimus, sed potius bona opera mera dona* Dei *esse prædicamus.*

Piscator. in thesibus pag. 423. *Homo corruptus liberum arbitrium habet tantùm ad malum, & non ad bonum.* Similia Sadeel ad Artic. Abiurat. 45. pa. 489. 491. Paræus Colleg. Theol. 2. Disput. 9.

Hæc illi de Voluntate erga bonum.

Necessitate trahimur in malum. Ad mortē.

De Voluntate verò erga malum ita scribit Caluinus 2. Institut. cap. 3. §. 5. *Quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio.* Et §. *Animalis homo ad omnem* (Satanæ) *ductum se obsequentem necessariò præbet.*

Peccata nō sunt actus liberi arbitrij.

Danæus Controuers. 6. pag. 1224. *Peccata esse actus liberi arbitrij, falsum hoc. Sunt quidem spontanei arbitrij, non liberi, actiones.*

Nomina liberi arbitrij & meriti in Scriptura, sed nō res ipsæ.

Zuinglius de Prouidentia cap. 6. to. 1. fol. 371: *Non potest vel consilium liberum vel meritum reipsa adseri, quantumuis nomina & mentionem nemo neget inueniri in diuinis libris, sed profectò non aliter quàm vt nomina sint earum rerum quæ solius Dei sunt propriæ.* Paræus in Collegio Theol. 1. Disput. 3. *Non omne peccatum est voluntarium.*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd appetitus peccati sit sub homine; quòd bonum aut malum dabitur prout placuerit ei, quòd datur ei optio cui vult seruire: quòd habet potestatem non necessitatem: quòd aliquid sit ei voluntarium non necessarium; quòd aliquis non facit mala cum possit. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd nullum sit liberum arbitrium ad bonum; quòd nulla libertas ad vtrumque, quòd non sit nostræ electionis obtemperare aut refragari, non liberum nobis ob sequi aut repellere, quòd necessitate trahimur in malum, quòd peccatum non sit actus liberi sed spontanei arbitrij Quę Protestantes aliquando fatentur contradicere Scripturæ lib. 2. cap. vlt.

ARTI. III. AN VOLVNTAS COOPERETUR gratiæ Dei ad actus bonos?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Sumus adiutores Dei.

1. Corinth. 3. v. 9. *Dei sumus adiutores* (συνέργοι) Et cap. 15. v. 10. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego sed gratia Dei mecum.*

Gratia Dei nobiscum.

Matth. 25. v. 20. *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

Superlucramur ex talentis Dei.

Concilium Trident. sess. 6. Canone 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti &c. Anathema sit.*

NEGANT PROTESTANTES.

Ne minimam facultatem habemus.

Caluinus 2. Institut. cap. 3. §. 12. *Non enim gratiam Domini secum laborasse scribit Apostolus* (1. Cor. 5. v. 10. cit.) *vt se consortem laboris faciat, quin potius totam laboris laudem vni gratiæ transscribit.* Et ibidem §. 6. *Si qua esset vel minima ex nobis facultas, aliqua etiam esset meriti portio.* Et infra: *Videmus, vt non contentus simpliciter salutis nostræ laudem Deo dedisse, disertè ab omni societate nos excludat.*

Non sumus adiutores Dei.

Zuinglius in Explanat. artic. 20. fol. 158. *Deum primam & præcipuam bonorum omnium causam faciunt, nos vero συνεργοῦς, quod quid aliud est quàm astu quodam se Deo subducere?*

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd sumus adiutores seu cooperarij Dei, quòd gratia Dei laborat nobiscum, quòd superlucramur ex talentis Dei. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd non sumus consortes laboris, quòd nec minimam facultatem habemus cooperandi, quòd excludimur ab omni societate laboris, quòd non sumus συνέργοι Dei.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE LIbero Arbitrio.

EA quæ in hoc capite retulimus planè declarant, quòd Scriptura ac Catholici multò aliter sentiant de libero arbitrio quàm Protestantes. Nam Scriptura cum Catholicis docet, quod homo habet liberum arbitrium in rebus indifferentibus, & in moralibus tam bonis quàm malis, & quòd cooperatur gratiæ Dei: Quæ omnia Protestantes negant.

Ostendunt etiam, quòd sicut ab alijs omnibus hactenus dictis, nempe à Deo, à Christo, à Sanctis, ab Ecclesia, à Sacramentis &c. Protestantes aliquid furantur, ita demum ab homine id quod est in ipso præstantissimum, nempe liberum arbitrium, seu dominium propriorum actuum, eumque brutis similem reliquunt.

CAPVT XXI.

DE ANIMA HOMINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

AN ANIMA HOMINIS SIT IMMORTALIS.

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

Anima nō potest occidi.

Atth. 10. verſ. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.*

Eccleſiaſtis 12. verſ. 7. *Et reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad eum qui dedit illum.*

Matthei 22. v. 32. *Non eſt Deus mortuorum ſed viuentium.*

Ioan. 11. verſ. 31. *Omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 2. 2. qu. 164. art. 1. *Anima hominis eſt immortalis: Brutorum vero animalium animæ ſunt mortales.* Et 1. parte qu. 118. art. 2 *Hæreticum eſt dicere, quod anima intellectiua traducatur cum ſemine.*

NEGANT PROTESTANTES.

Portentū, quòd Anima ſit immortalis.

Lutherus in aſſertione articuli 27. tom. 2. fol. 107. *Permitto quod Papa condat articulos fidei & ſuis fidelibus, quales ſunt: Panem & vinum tranſſubſtantiari in Sacramento: Eſſentiam Dei nec generare, nec generari: Animam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani*: Se eſſe *Imperatorem mundi & Regem Cœli &*

Deum terrenum. Animam esse immortalem, & omnia illa infinita portenta in Romano sterquilinio decretorum: vt qualis est eius fides, tale sit Euangelium, *tales & fideles, talis &* Ecclesia, *& habeant similem labra lactucam, & dignum patella sit operculum.* Et in margine ponit: *Articuli à* Papa *conditi.*

Zuinglius de vera & falsa religione cap. de Clauibus tom. 2. fol. 187. *Vbi vero datæ sint* (claues) *sic inter se non consentiunt, vt mirum sit cur Romanus Pontifex, quandoquidem solus Scripturam iudicare debet vt isti somniant, non lege aliqua pronunciauerit vbinam datæ sint: ne in re tanti momenti aut potius emolumenti, tantum dissidium esset. Facilè autem potuisset, nam etiam decreuit, quòd animæ non emoriantur, cum corpus extinguitur.*

Decretum Papæ, quòd Animæ non emoriantur.

Vorstius in Antibellarmino pag. 543. *Non desunt etiam inter Christianos, qui Infantes vel omnes vel aliquos per mortem penitus aboleri siue extingui, & quasi bestias aboleri putent.* Et ipsemet 16. p. 269. indicat Animam non esse merum Spiritum, vt patet ex verbis eius citatis cap. 17. art. 8.

Infantes omnes aut aliqui extinguuntur sicut bestiæ.

Caluinus in explicat. perfidiæ Gentilis pag. 677. *Quidam* (Protestans) *nullum melius compendium esse dictitabat ad tollenda Sanctorum patrocinia, superstitiosas pro mortuis preces, purgatorij figmentum, & similia, quàm si mortem interitum esse animarum crederemus.*

Animæ intereunt.

Brentius in cap. 20. Lucæ hom. 35. citatus à Reginaldo in Caluinoturcismi lib. 4. cap. 5. *Etsi nulla sit inter nos publica professio, quòd anima simul cum corpore intereat, & quod non sit mortuorum resurrectio; tamen impurissima & profanissima illa vita, quam maxima hominum pars sectatur, perspicuè indicat, quod in animo suo sentiant non esse vitam post hanc vitam; aut saltem, quod de futura vita dubitent.*

Præterea docent animam esse ex traduce. Vorstius in Antibellar. pag. 530. *Lutherus sensit animam esse ex traduce,* Hutterus in analysi Confessionis Augustanæ artic. 2. pag. 157. *Statuimus eam probabiliorem nobis videri sententiam, quæ animas non diuinitùs demum infundi, sed ex traduce per parentes in liberos propagari, statuit.*

Anima hominis ex traduce.

Peucerus apud Schusselburg. li. 2. Theol. Caluin. artic. 6. fol. 4. *Concludo animas oriri ex traduce.*

Schusselburg. ipse tom. 2. Catal. Hęret. pag. 195. *Satis apparet in scriptis Lutheri & Philippi, quod inclinent in hanc sententiam, quæ statuit animas esse ex traduce, & grauissima argumenta ostendunt ex Sacra Scriptura.* Fauet etiam Lobechius Disputar. 4. pag. 70.

Ex traduce.

Paræus lib. 4. de amiss. gratiæ &c. cap. 11. pag. 606. *Foret hæc quidem tutissima via* (profiteri se nescire an anima sit ex traduce) *si per Sophistarum strophas eum tenere liceret.*

Tutissima via.

Reineccius tom. 3. suæ Armaturæ cap. 6. pag. 54. *Colligimus animas cum corporibus à parentibus in sobolem propagari, & non quidem ex semine vt è materia educi: sed de anima parentum, vt facem de face accendi, & vt corpus, ita animam semini inesse: non quidem actu: sed potentia, quæ diuina gubernatione mortua* (nota) *excitatur.*

Anima mortua excitatur.

Dicere autem, quòd anima sit ex traduce, ex ipsorum Protestantium sententia, perinde est, ac dicere eam esse mortalem. Ita enim Paræus loco. citat. pag. 602. *Siue animæ dicantur seminari cum corporibus, siue ex animabus immediatè traduci, sicut lumen de lumine accenditur, animarum immortalitas amplius defendi non potest.* Et Beza in Rom. 5. v. 12. *Quod dogma* (de traduce animæ) *ce.. è statui nullo modo potest, quin animæ humanæ ipsa essentia diuisibilis, ac proinde corruptibilis esse ponatur.*

Si anima ex traduce, est mortalis.

Docent etiam, quòd anima post mortem hominis dormiat & nihil sentiat.

Animæ post mortē nihil sentiunt.

Lutherus in cap. 2. Ionæ tom. 4. fol. 417. *Scriptura dicit mortuos dormire. Ego puto eos sic ineffabili & miro quodam somno esse consopitos, vt minus sentiant aut videant, quàm hi qui alias dormiunt. Et cum excitabuntur, nescient vbi fuerint, aut quomodo sic repentè renati sint.* Et ibid. in cap. 9. Ecclesiastis fol. 36. *Salomon sentire videtur, mortuos sic dormire vt prorsus nihil sciant.* Item: *Describit mortuos, quasi insensata cadauera.* Et fol. 37. *Alius locus, quòd mortui nihil sentiant. Sensit Salomon mortuos omnino dormire, & nihil prorsus sentire.* Et in cap. 25. Genes. tom. 6. fol. 322. *Magnum discrimen est inter sanctos dormientes & Christum regnantem, illi dormiunt, & nesciunt quid agatur.*

Prorsus nihil sentiūt.

Boni Caluinistæ putant animas dormire post mortem.

Caluinus in psicopanichia pag. 388. *Scio nonnullos bonos viros quibus de hoc somno* (animarum) *aliquid in animum instillatū fuerit*

fuerit, vel nimia credendi facilitate, vel ignorantia Scripturæ, qua ad resistendum pro tempore non fuerint satis armati, in quorum offensionem, quoad per eos liceat, nolim incurrere.

Sleidanus lib. 9. historiæ. *Docet Lutherus è Sacris literis mortuorum animas quiescere, & iudicij diem extremum expectare.* Et ait hinc Lutherum euertisse purgatorium. Hoc autem idem est ex sententia Protestantium, ac dicere animam perire. Ita enim Beza epist. 82. *Animam priuare motu & sensu, idem est atque animam perimere.* Idemque habet Caluinus in psicopanichia pag. 391. & Danæus contr. 2. pag. 160. ac Zuinglius in expositione fidei tom. 2 fol. 559. & in Elencho fol. 37. *Lutherus euertit purgatorium ex somno animarum post mortē.*

Castalio apud. Bezā lib. de hæreticis puniendis. pag. 97. *Disputatur de Trinitate, de prædestinatione, de libero arbitrio, de Deo, de Angelis, de statu animarum post hanc vitam, & cæteris huiusmodi rebus, quæ neque ad salutem per fidem obtinendam vsque adeo cognita necessariæ sunt, siquidem sine earum cognitione salui facti sunt Publicani & meretrices, neque si sciantur reddunt hominem meliorem* *Cognitio de statu animæ post hanc vitā nō necessaria ad salutem.*

COLLATIO.

Scriptura disertè docet, quòd Anima non potest occidi, quòd redit ad Deum. Eadem Catholici.

Protestantes dicunt quòd Anima intereat, quòd sit decretum Papæ quod non emoriatur, quòd sit portentum dicere quòd sit immortalis, quòd sit ex traduce, quod post mortem nihil sentiat, quòd omnes aut aliqui infantes extinguantur sicut bestiæ, quòd cognitio de statu Animæ post hanc vitam non sit necessaria ad salutem, nec faciat hominem meliorem.

ARTIC. II. AN ANIMA SIT FORMA corporis humani?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

GEnes. 2. vers. 7. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* *Est forma.*

AFFIRMANT CATHOLICI.

S. Thomas 1. parte q. 76. art. 4. *Anima intellectiua vnitur*

corpori, vt forma substantialis.

NEGANT PROTESTANTES.

Nō est forma corporis

Lutherus loco citato artic. præcedenti: *Permitto, quod Papa condat articulos fidei & suis fidelibus: quales sunt: panem & vinum transsubstantiari in sacramento, animam esse formam substantialem corporis humani &c.*

Non forma corporis.

Polanus in Sylloge thesium parte 2. pag. 518. *Anima humana non est forma corporis, contra Bellarminum.*

Portētum, animam esse formam corporis.

Idem Lutherus in psalm. 22. tomo 3. fol. 348. *Non determinatur secundum Spiritum veritatis, neque per auctoritatem Scripturarum, sed per arundinem Papæ secundum inanes traditiones hominum: Essentiam Dei nec generare, nec generari Animam esse formam corporis substantialem, panem & vinum transsubstantiari in altari, vnā tantum speciem dari laicis pro Sacramento integro, & similia portenta.*

Bucanus loco 8. pag. 89. ait quod *Anima in vno corporis membro duntaxat & loco sedeat*: ac negat quod sit tota in qualibet parte corporis.

COLLATIO.

Scriptura docet, quòd Anima fuit à Deo infusa homini, qui per eam factus est viuens. Idem Catholici.

Protestantes dicunt, quòd Anima humana non est forma corporis, quòd sit portentum dicere quod sit forma corporis, quòd residet in vno duntaxat loco & membro corporis.

ARTIC. III. AN SIT RESVRRECTIO mortuorum?

AFFIRMAT SCRIPTVRA.

1. COr. 15. v. 16. *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit, quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.*

1. Thessalon. 4. v. 14. *Si credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* Neque in hac re necesse est citare plura Scripturæ loca. vide si libet Matth. 22. v. 31. Mar. 12. v. 18. Lucæ 20. v. 27. Io. 11. v. 24. Actor. 23. v. 8. cap. 24. v. 22. Rom. 6. v. 5. Hebr. 11. 35.

AFFIRMANT CATHOLICI.

Catechismus ad Parochos in Exposit. Symboli: *Vt plures à morte excitatos credimus: ita vniuersos ad vitam reuocatum iri credendum est.*

NEGANT PROTESTANTES.

Lutherus lib. de seruo arbitrio tom. 2. fol. 442. & seq. *Vide experientiam, quid excellentissima ingenia inter gentes de vita futura & resurrectione senserint. Nonne quo excellentiores ingenio fuerunt, eò magis ridiculum illis fuit resurrectio & vita æterna — Denique adhuc hodie plerique, quò sunt maiore ingenio, & eruditione, hoc magis rident eum articulum, & fabulam esse putant, idque palam — Atque vtinam eodem fermento & tu & ego liberi essemus, mi Erasme: Tam rarus est in hoc articulo fidelis animus.*

Lutherus non liberà fermento negandi resurrectionem.

Brentius apud Reginaldum in Caluino-Turcismo loco supra citato pag. 751. *Nonnullis* (Protestantibus) *etiam tales voces, quibus significant se non credere mortuorum resurrectionem, tam ebrijs quàm sobrijs, in familiaribus suis colloquijs excidunt.*

Nonnulli Protestantes eam negãt.

Vorstius in Apologetica respons. ad Homium. pag. 41. ita scribit: *Videant qui curiosius hæc inquirere volent, quid inter nostros ipse Caluinus olim hac de re senserit in epist. p. mihi 85. vbi Farillus illum de resurrectione huius & carnis nõ modò addubitasse, sed & planè diuersum ab aliis illo tempore sensisse, satis apertè narrat. Sic tamen, vt eum propterea nullius hæreseos accuset. Imò inter* Lutheranos, *Iacob. Schegkius in Antisimonio sect. 9. pag. 420. palam negauit eadem corpora olim resurrectura. Quem & ipsum à suis humaniter excusatum esse constat, ab ijsdem vero, aut etiam à nostris idcirco quasi hæreticum damnatum fuisse, nusquam apparet.*

Feruadent. l.10. Theoma. Calu. c.21 citat hæc ex epistolis Calu. edit. Geneuæ. 1576. Caluinus negauit resurrectionẽ huius carnis. Schegkius negat eadẽ corpora resurrectura.

Caluinus epi. 104. ita scribit ad Lœlium Zozinum, quem Camerarius in vita Melanthonis perhonorifico titulo ornat. *De resurrectione carnis, video tibi minimè esse satisfactum.*

Non satisfacit Zozino de resurrectione.

Farellus etiam ipse, qui fuit primus minister Ecclesiæ Geneuensis, quem Caluinus Præfat. Epist. ad Titum vocat *integerrimum virum*, & in Consensione de re Sacramentaria *venerandum Collegam*, & Beza in vita Caluini *summum virum*, & in Iconibus plurimum laudat, negauit huius carnis resur-

rectionem. Ita enim ſcribit Caluinus ad ipſum, vti refert Reginaldus in Caluino-turciſmo lib. 3. cap. 22. *Quod tibi res incredibilis videtur huius carnis reſurrectio, nihil mirum. Sufficere ſtatuis, ſi credas nos nouis corporibus aliquando induendos.* En vt primo Apoſtolo Geneuenſi videbatur incredibilis reſurrectio huius carnis, neque id eius coapoſtolo Caluino mirum erat, neque res digna viſa, ob quam Farellum tanquam hæreticum fugeret.

Omnes etiam illi, qui (vt retulimus cap. 2. Art. 17) negant ſanguinem Chriſti reſurrexiſſe, negant fuiſſe perfectam reſurrectionem Chriſti, adeoque negare etiam debent futuram perfectam reſurrectionem aliorum, cum nec reſurrectio aliorum hominum futura ſit perfectior reſurrectione Chriſti, nec poſſet eſſe perfecta reſurrectio hominum, ſi ſanguis, qui eſt pars principalis eorum, non reſurgat: Imo ſi non credimus reſurrectionem ſanguinis, cur credemus reſurrectionem carnis?

COLLATIO.

Scriptura apertè docet, quod ſit futura reſurrectio mortuorum, & addit, quod contrarium dogma tollit Chriſti reſurrectionem & euertit totam fidem Chriſtianam. Eadem dicunt Catholici.

Inter Proteſtantes autem Lutheranos, Lutherus ipſe ait quod quo Gentiles erant excellentiores ingenio, eo magis ridiculam putabant reſurrectionem, quod hodie plerique quo ſunt ingenioſiores & doctiores eò magis rident ac fabulam putant: quod ipſe & Eraſmus non erant liberi ab hoc fermento, & quòd fidelis animus in hac re ſit rarus: Schegkius etiam palam negabat eadem corpora reſurrectura, (quod reipſa eſt negare reſurrectionem, cum reſurrectio non ſit niſi eiuſdem) neque tamen propterea damnatus fuit à reliquis Proteſtantibus, imo humaniter excuſatus. Nonnulli etiam alij Lutherani tam ſobrij quàm ebrij in familiaribus colloquiis dicunt ſe non credere reſurrectionem mortuorum. Et inter Sacramentarios, duo principes Apoſtoli non credebant huius carnis reſurrectionem, quod (vt dixi) non eſt credere vllam reſurrectionem. Zozino non erat ſatisfactum de carnis reſurrectio-

ne. Et plurimi eorum negant resurrectionem sanguinis, quod reuera est negare perfectam resurrectionem.

SVMMA HVIVS CAPITIS DE Anima Hominis.

QVæ in hoc Capite retulimus, ostendunt Scripturam cum Catholicis aliter sentire de Anima Hominis quàm Protestantes. Nam Scriptura ac Catholici docent animam esse formam corporis, esse immortalem, & fore resurrectionem mortuorum. Quæ negantur à Protestantibus.

Ostendunt etiam Protestantes fures agere erga proprias suas animas, dum furantur ab eis immortalitatem & rationẽ formæ corporis, & negant resurrectionem mortuorum.

Atque hactenus ostensum est, quòd Protestantes in plusquam ducentis quinquaginta articulis in omni genere materiæ inter Catholicos & ipsos controuersæ, contradicant expressis Scripturæ verbis ijsque ex professo dictis vt sensum suum exprimeret circa eosdem articulos, eademque etiam multorum horrendorum criminum condemnent; restat vt ex plurimis generalibus capitibus ostendamus, quòd non minus contradicant vero sensui verborum Scripturæ: Quod in sequenti libro faciemus.

FINIS LIBRI PRIMI.



COLLATIONIS DOCTRINÆ SACRÆ SCRIPTVRÆ AC PROTESTANTIVM.

LIBER SECVNDVS.

IN QVO AD OCVLVM OSTENDITVR Protestantes contradicere germano sensui Scripturæ, & modi, quibus eam, quando ipsis aduersatur, deprauare solent, deteguntur.

CAPVT PRIMVM.

QVOD PROTESTANTES CONTRADICANT germano sensui Scripturæ, quia in tot tantisque materijs pugnant cum expressis verbis eiusdem.

Quis sit scopus huius secundi libri.



IN præcedenti libro ostendimus, Protestantes in ducentis quinquaginta articulis inter ipsos ac Catholicos controuersis, pugnare cum expressis Scripturæ verbis: sequitur modò, vt ostendamus, quòd etiam pugnent cum genuino eiusdem sensu: quod ex pluribus generalibus capitibus faciemus, Potissimùm verò ex modis quibus solent Scripturæ sensum deprauare, ne ipsorum cum illo pugna appareat. Inprimis autem illud considerandum oc-

currit, quòd (vt ex superiore libro constat) in illis ducentis quinquaginta articulis, Catholici, non quando data opera verba sua verbis ac phrasi Scripturæ accõmodant, sed quãdo sententiã suam de ijsdẽ articulis quã possunt distinctissimè & clarissimè cõtra Protestantes exprimunt, declarant, ac propugnant, eam sæpissimè efferunt ijsdem ac penè totidem, certè semper similibus & æquiualentibus verbis, ijs quibus Scriptura suam de ijsdem articulis sententiam exprimit, quãdo eam ex professo declarat.

Protestantium autem plurimi, & præcipui, & in plurimis locis, quando sententiam suam de ijsdem articulis apertè patefaciunt, eam proferunt verbis seu propositionibus omnino oppositis ac contradicentibus illis quibus Scriptura vtitur. Quod vnum satis manifestè ostendit, Catholicorum sententiam de illis articulis vnam omnino esse cum scripturæ sententia: Protestantium verò prorsus contrariam atque oppositam. Etenim cum hoc toties & in tot tantisque materijs apud tot tam Catholicos quàm Protestantes accidat, idque tunc cum mentem suam de illis materijs ex proposito clarissimè exprimunt, casui ascribi non potest: quià casus (vti docet Philosophus) in ijs est quæ rarò accidunt. Si autem hæc Catholicorum consensio, & Protestantium oppositio cum Scripturæ verbis, ex ipsa natura sententiarum ipsorum proueniat, perspicuum est, quòd Catholicorum ac Scripturæ sententia, vna, Protestantium verò, diuersa atque opposita sit. 2. *Physic.*

Quocirca in forma sic instituo argumentum. Illorum sententiæ, quæ quando ex professo clarè, distinctè, & prout ab alijs omnibus differunt, significantur & exprimuntur, ex sua natura postulant ijsdem vel æquiualentibus verbis seu propositionibus exprimi, sunt re ipsa vna atque eadem: illorum verò sententiæ, quæ quando ita exprimuntur, ex seipsis requirunt exprimi verbis seu propositionibus contradicentibus aut oppositis, sunt reuera diuersæ atq; oppositæ sẽtẽtiæ: At sẽtẽtiæ Catholicorum & Scripturæ dẽ prædictis articulis sunt prioris generis, Protestantium verò & Scripturæ sententiæ de ijsdem, sunt posterioris: Ergo. Maior est euidens, quo-

niam illa significata, quæ quando significanda sunt distinctè, ac clarè, & prout ab alijs omnibus differunt, ex sua natura postulant eodem omnino seu æquiualenti signo exprimi, nō possunt reipsa distingui: alioquin enim distinctio illa in significatis ipsis requireret distinctionem aliquam in signis, nec signum quod vnum eorum distinctè significat, æquiualeret signo quod alterum ita significat. Econtra verò ea significata, quæ ex sua natura quando distinctè significanda sunt, exigunt significari signis inter se pugnantibus atque oppositis, sunt etiam ipsamet inter se opposita: quoniam oppositio, quæ est inter signa, oritur ex oppositione quæ inuenitur inter significata; quæ cum sibi inuicem opposita sint, requirunt signis oppositis significari. Minor probatur, primùm ratione iam facta, quia (vt dixi) casu euenire non potest, vt in tot tantisque materijs, quando Scriptura & Catholici sententiam suam distinctè explicare volunt, in verbis etiam consentiant; Protestantes autem quando id faciunt, verbis prorsus dissentiant. Ergo hoc per se & ex ipsa natura sententiarum ipsorum oritur. Præterea, facilè probari potest inductione, sed breuitatis gratia vno exemplo contentus ero. Quòd enim Sacramentariorum sententia, circa id quòd Christus post vltimam cœnam manibus suis porrigebat Apostolis, vtrum fuerit verum corpus Christi nec ne, quando distinctè & quatenus differt à Catholica sententia de eadem re, explicanda est, ex se ipsa postulat exprimi propositione quæ est simpliciter negatiua, & ad summum duntaxat secundùm quid affirmatiua, manifestè liquet; tum quià eorum sententia est simpliciter negatiua, & ad summum tantùm secundùm quid affirmatiua: sententia autem simpliciter negatiua ex se postulat exprimi propositione simpliciter negatiua cuiusmodi est hæc: *Hoc non est corpus Christi*: tum etiam quia plurimi & doctissimi Sacramentariorum, frequenter, & multis in locis, quando sententiam suam hac de re distinctissimè, apertissimè, & prout differt à sententia Catholica, voluerunt exprimere, eam significarunt propositione simpliciter negatiua, vti ostendimus libro superiore cap. 10. art. 1. Et simili modo probari potest, quòd Catholicorum sententia
de

de hac ipsa re quandocunque apertè & distinctè proferenda est, ex sua natura postulet exprimi propositione simpliciter affirmatiua: nimirum, quia & est sententia simpliciter affirmatiua, & quia Catholici tali propositione semper eam exprimunt. Quòd autem sententia Scripturæ de eadem re ex sua natura postulet exprimi propositione simpliciter affirmatiua, liquet, quia Scriptura ex professo suam seu Christi mentem hac de re exprimens, quater eam exprimit propositione simpliciter affirmatiua, nunquam autem propositione simpliciter negatiua. Aut igitur Scriptura sententiam suam seu Christi hac de re nunquam explicuit eo modo, quo illa ex sua natura exprimi postulabat, sed semper modo planè contrario, idque etiam tunc, quando ex professo sententiam suam clarissimè & distinctissimè volebat exprimere; aut sententia Scripturæ hac de re ex sua natura postulat exprimi propositione simpliciter affirmatiua: cuiusmodi hæc est, *Hoc est corpus meum*, seu, *Hoc est corpus Christi.* Vna ergo eademque est propositio, qua sententia Scripturæ & Catholicorum hac de re ex sua natura postulat exprimi, nempe huiusmodi propositio simpliciter affirmatiua: *hoc est corpus Christi.* Propositionum verò quibus sententiæ Scripturæ & Sacramentariorum de eadem re ex se ipsis postulant exprimi, quando ex professo distinctè exprimendæ sunt, vna est simpliciter affirmatiua, & altera simpliciter negatiua: quales sunt istæ: *Hoc est corpus Christi*, *Hoc non est corpus Christi*: At propositio simpliciter affirmatiua & simpliciter negatiua de eadem re sunt contradictoriæ: Tales ergo sunt sententiæ Scripturæ & Sacramentariorum circa Eucharistiam.

Primum caput ex multitudine articulorum in quibus contradicunt.

Cæterùm, vt vis huius argumenti adhuc magis appareat, illud in diuersa capita distribuam. Primum sumetur ex multitudine materiarum siue articulorum in quibus Protestantes pugnant cum expressis Scripturæ verbis: qui sunt (vt vidimus) ducenti quinquaginta & amplius. Etsi enim posset cōtingere, vt quis semel & iterum, vel certè rarò pugnet cum expressis verbis cuiusquam, nec tamen menti seu sensui illius repugnet, fieri tamen non potest, vt id toties accidat: quia casu hæc tanta oppositio in verbis non potest tam frequenter

accidere, ergo per se; si autem per se, certè oritur ex oppositione quæ inter sensus & mentes eorum intercedit. Quomodo enim linguæ eorum toties dissonarent, quorum mentes in omnibus consonant? Quomodo idem in omnibus sentientes, toties contraria verba loquerentur? Quomodo ijdem sensus ac sententiæ toties pugnantibus signis exprimerentur?

Secūdū: ex multitudine Protest. qui contradicunt.

Secundum caput sumetur ex conditione & multitudine Protestantium, qui cum expressis Scripturæ verbis confligunt. Esto enim, quòd vnus aliquis vel pauci, ijque ex indoctioribus Protestantium, cum Scripturæ verbis pugnauerit, nec tamen propterea sententia Protestantica Scripturæ sententiæ contradixerit: attamen omnino incredibile est, vt tot & tam celebres Protestantes toties cum expressis Scripturæ verbis confligant, nec tamen sententia eorum sensui Scripturæ repugnet. Nam nec casu nec ex ignorātia accidere potuit, vt tot, talesque Protestantes Scripturæ verbis sese opposuerint: ergo ex ipsa natura sententiæ ipsorum id profectum est. Si autem ex natura sententiæ eorū id proueniat, magno argumento est, quòd illa vero Scripturæ sensui aduersetur.

Tertium caput sumetur ex modo quo Protestantes pugnant cum expressis Scripturæ verbis. Plerunque enim cum ijs pugnant tam apertè, tam manifestè, ac directè, quàm pugnant cum verbis Catholicorum ipsorum, quorum sententiam ex professo impugnant, aut quisquam hæreticorum vnquam cum Scripturæ verbis pugnauit, aut vllus hominum pugnare posset. Aut ergo negent se contradicere sententiæ Concilij Tridentini, Stapletoni, aut Bellarmini, quam ex professo impugnant, aut fateantur se non minus contradicere sententiæ Scripturæ; quandoquidem non minus cū illius verbis, quàm cum verbis Catholicorum pugnent; aut certè dicant, sensuum seu sententiarum contradictionem non ex vlla verborum pugna, sed ex ipsorum præiudicio ac libito colligendam esse. Præterea, aut negent quenquam hæreticorum vnquam sensui Scripturæ repugnasse aut repugnare posse; aut fateantur se ipsos sensui Scripturæ repugnare,

Tertium: ex modo quo contradicunt.

quandoquidem sæpissimè cum expressis Scripturæ verbis tam directè, tamque manifestè pugnent, ac quisquam hæreticorum vel pugnauit vnquam vel pugnare poterit. Accedit, quòd nonnunquam tam multis, tamque varijs loquendi formis sese Scripturę verbis opponant, vt vix quisquam plures excogitare posset, si operam dare vellet, ne quenquam lateret, quòd Scripturæ sensui contradicat.

Quartum caput sumitur ex qualitate verborum Scripturæ quibuscum Protestantes pugnant. Sunt enim expressa, clara, diserta, non ambigua aut obscura, & dicta à Scriptura non obiter, sed ex professo, vt mentem suam siue Dei his de rebus nobis explicaret, vti inductione patet in omnibus materijs supra relatis. Quis autem esse potest verus sensus verborum Scripturę, si is non sit quem huiusmodi verba prę se ferunt? aut quis cogitari potest contradicere genuino sensui Scripturæ, si is non contradicat, qui toties in tot materijs tam manifestè & directè contradicit illi sensui, quem verba expressa & diserta, non ambigua vel obscura, & dicta ex professo vt Scriprura sensum suum nobis declararet, apertè præ se ferunt? Certè non dubito, quin si Scriptura alterius cuiusquam authoris esset, quàm illius cuius authoritatē non audent fateri se aduersari, agnoscerent se sensui illius non minus quā Catholicorum repugnare. Rectè enim S. Augustinus in re simili de Pelagianis scribit: *Hæc si ego dicerē, resisterent isti, meque non rectè dicere non rectè sentire clamarent: nullā quippe in his verbis intelligerent sententiam cuiuslibet hominis qui diceret hæc, nisi istā quam in Apostolo intelligere nolunt.*

Quartum: ex qualitate verborum quibus contradicunt.

Lib. 1. de peccata mer. c. 9.

Quintum caput desumetur ex sensu verborum Scripturæ quibuscum Protestantes pugnant. Sensus enim in quo Protestantes cùm illis pugnant, non est coactus aut violentus, sed obuius, fluens, apertus, quem & talia verba manifestè præ se ferunt, & iuxta quem talia verba vsitatè ab hominibus & dici solent & intelligi. Euidens autem est, quòd verba omnia iuxta huiusmodi sensum accipi debeant, nisi contrarium demōstretur. Hæc enim est regula intelligendi verba, quam ipsi etiam a Protestantes aliquando vrgent, quæ nisi obseruetur

Quintū: ex sensu in quo contradicunt.

a Luther de verbis

cana fol. 384.
Melanthon apud Hosp. 74.
Martyr in locis tit. de Euchar. §. 67.
Perkins in 1. Galat. v. 8.
Pareus li. 5. de Amis. Grat. c. 7. & 10.
Illyricus in claue part 2. tract. 7. col. 282.
Nota.

intellectio omnis verborum planè arbitraria & certa tries; ac proinde nisi Protestantes demonstrent ac conuincāt Scripturæ verba sumenda esse in alio sensu quàm illo quem præ se ferunt, & in quo protestantes illis contradicunt, negare nō poterūt, quin genuino Scripturæ sēsui cōtradicāt. Atquè hic lectores summopere aduertere debent, quòd non incumbit Catholicis probare, vel Scripturæ vel Protestantium verba sumenda esse in suo vsitato & quem manifestè præferunt sensu, sed hoc tanquam regula ac indubitatum principium intelligendi verba supponendum est, nisi contrarium demonstretur: & si quis hoc neget, is non ad disputationem ex verbis seu testimoniis quibuscunque admittendus est, quia primum principium exponendi verba inficiatur. Ac proinde illi qui dicunt Catholicos petere principium quod probare deberent, cum vrgent Scripturæ verba iuxta sensum, quem manifesté prę se ferunt, & in quo ab hominibus talia verba intelligi solent, accipienda esse, ignorant quid in disputatione ex verbis probandum, quid tanquam certissimum supponendum sit. Vnde ipse Kemnitius in examine parte 2. tit. de Missa inquit, *Quæ dementia est, à simplici sententia quæ habet certa & manifesta Scripturæ testimonia discedere, & comminisci peregrinam explicationem?* Idemque docent alij Protestantes prout infra referemus. Sed si Protestantes velint verba siue Scripturæ siue alia quæcunque in alio sensu, quàm manifestè præ se ferunt, intelligenda esse, totum onus probandi illis incumbit, & quia in prædictis articulis controuersis euidenter probare non possunt Scripturæ verba aliter intelligenda esse, quàm sonant ac manifestè præ se ferunt, iure optimo concludimus eos genuino sensui Scripturæ contradicere, huiusmodi argumento: Qui contradicit sensui quem Scripturæ verba manifestè præ se ferunt, & in quo ab hominibus talia verba & dici & intelligi solent, nec euincere potest quòd aliter intelligenda sint, is vero Scripturæ sensui contradicit: At ita faciunt Protestantes: Ergo. Maior (vt dixi) est ipsum principium intelligendi verba, & quod tanquam primum principium supponi debet in omni disputatione de verbis quibuscunque: Minor liquet ex Catholicorum responsionibus ad probationes quas Protestantes obtendunt.

In Perorat. ad lectorē.

Sextum caput desumetur ex circunstantijs quę suffragantur sensui illi vsitato & manifesto in quo Protestantes expressis Scripturę verbis contradicunt. Exempli gratia, de eo quod post vltimam cœnam manibus suis porrigebat Apostolis, Christus simpliciter dixit: *Hoc est corpus meum*. Protestantes autem (vt supra vidimus) de eodem simpliciter dicunt: H*oc non est corpus Christi*: adeòque pugnant cum Scripturę verbis non solum in eo sensu quem manifeste præ se ferunt, sed etiam cui omnes circunstantiæ, finis, temporis, loci, dicentis, & auditorum eorundem suffragantur. Quòd enim verba hæc dicta sint à Christo in hunc finem vt clare exprimeret, quid illud esset quod manibus porrigebat, satis manifestum est: quia hæc sola in hunc finem ab eo dicta sunt vt explicaret quidnam illud esset, quod tunc dabat: alia autem omnia verba vel alia de re, vel si de eadem re, tamen in alios fines ab eo sunt dicta: Quod etiam clarè explicent, quid illud sit: ipsi aliquando Sacramentarij agnoscunt. Ita enim Caluinus in Admonit. vltima ad Vvestphalum pag. 812. *Quin voluerit Christus clarißimè loqui, non inficior*. Et Zuinglius in Explanat artic. 18. *Quid clarius dici potest, quàm: Hoc est corpus meum*? Beza etiam ad Repetit. Saintis pag. 8. *Christus non potuit expreßiùs aut significantiùs de Sacramentis loqui*. Et contra Selneccerum: *Si de verbo quæritur, nullum sanè expressius habemus*. Idemque agnoscunt alij. Suffragatur etiam circunstantia temporis, quia erat vltimum, quo Christus humano modo versaturus erat cum Apostolis, ideoque par erat, vt (si vnquam alias) tunc mentem suam clarissimo modo explicaret, præsertim de re noua, necessaria creditu, per testamentum legata, & quæ nulla alia ratione intelligi potuit, sed tantùm ex Christi verbis cognosci. Clarissimus autem loquendi modus, est, loqui in eo sensu quem verba manifestè præ se ferunt, & quo solent ab hominibus intelligi. Suffragatur locus, qui erat liber & separatus ab alienis, vt inde nulla occasio esset, aliter loquendi quàm intelligeret. Suffragatur ipse loquens, qui cum esset verbum ipsum & sapientia Patris, optimè nouerat quomodo mens eius de re noua, quæque non nisi per eius verba cognosci poterat, verbis explicanda

Sextum: ex circumstātijs

Musculus in locis tit: de cæna. Perkins. de cæna col. 858. Hispin. part. 1. Histor. cap. 2.

esset. Suffragantur denique Christi auditores, qui erant Apostoli quibus concesserat nosse mysteria regni Dei, adeòque ex parte ipsorum nulla occasio erat aliter intelligendi quàm verba eius sonarent.

Septimum: ex materia & Protest. carentia verborũ oppositorum.

Septimum caput sumitur ex natura seu conditione materię prædictorum articulorum, in quibus Protestantes cum expressis Scripturæ verbis pugnant, & simul ex Protestantium carentia expressorum verborum Scripturæ quæ oppositum sensum vel specie tenus videantur directè indicare. Materia enim prædictorum articulorum partim est nota lumine naturæ talis esse, prout expressa Scripturæ verba docent, quibuscum Protestantes pugnant, nempe: Quòd Deus non vult, non facit, non mandat iniquitatem: non ad eam tentat vel prædestinat homines, non iustificat impium manentem impium, quòd bona opera sunt necessaria ad salutẽ, & similia. Partim est nota experientia: vt quòd homo habet liberum arbitrium in bonis & malis, & cooperatur suæ conuersioni, quod fides est actus hominis, & id genus alia. Partim est res noua & antea inaudita, neque vllo modo à ratione perceptibilis, cuiusmodi est Eucharistia, & alia huiusmodi.

Qualibus Scripturę verbis Protestantes careant.

In omni autem genere materiæ, & penè etiam in omnibus articulis supradictis, Protestantes carent expressis Scripturæ verbis, quæ & ex professo dicta sint ad materiam aliquam explicãdam, & vel specie tenus videantur apertè & directè, citra omnem expositionem vel ratiocinationem eorum, pronunciare, rem ita se habere prout ipsi volunt. Cum igitur in omni genere huiusmodi materiæ controuersæ, & in omnibus supradictis articulis, Catholici proferant expressa Scripturæ verba, quæ & ex professo dicta sint ad rem illam explicandam, ac directè absque omni eorum expositione aut ratiocinatione clarè iuxta eorum obuium & vsitatum sensum pronuncient rem ita se habere sicut ipsi docent, eisque in illo sensu, & lumen rationis & experientia etiam suffragentur in ijs rebus quæ sub ipsis cadunt: Protestantes autem vix in vllo genere materiæ proferre possint opposita Scripturæ verba, quæ & expressa sint, & ex professo dicta ad rem ali-

Qualia Catholici proferant.

quam explicandam, & directè citra omnem Protestantium expositionem aut ratiocinationem vel etiam videantur pronunciare rem ita esse prout ipsi volunt: sed in omnibus aut in plerisque articulis controuersis suas tantùm consequentias ac ratiunculas, easque ex altero saltem humano principio deductas ac contextas opponant, idque etiam in rebus fidei ad quas humana ratio omnino non attingit: amentia est non solum contra doctrinam Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Ecclesiæ, sed etiam contra expressissima Scripturæ verba in omnibus supradictis articulis, & contra lumen etiam rationis & experientiam in permultis illorum, paucorum, nouorum ab inuicem dissentientium hominum consequentias & ratiunculas attendere aut audire. Exempli gratia: cum Eucharistia quà res fidei est, nimirum qua Sacramentum à Christo institutum & munus ab ipso Ecclesiæ datum est, (siue sit tantùm sigillum gratiæ, vt volunt Protestantes, siue verum corpus Christi, vt Catholici credunt) sit res noua nunquam antea audita, nec sub sensum vel rationem sed tantùm sub fidem cadat, ac talis sit, qualem Christus voluit eam esse: amentia est colligere quid Eucharistia sit, aut quid Christus voluerit eam esse, ex quorumcunque, maximè paucorum nouorum, & inter se dissentientium hominum consequentijs aut ratiunculis, eisque ex altero saltem humano principio contextis, potius quàm ex expressis Christi ipsius verbis ex professo loquentis vt clarè exprimeret quid ipse voluerit Eucharistiam esse. Quis enim sanæ mentis sibi persuaserit, aut quòd huiusmodi homines per suas ratiunculas humanas melius percipiant, quid res aliqua, quæ sub rationem non cadit, sit, quàm Christus ipse qui eam instituit: aut quòd rectiùs perceperint quæ fuerit voluntas Christi eam instituentis, quàm Christus ipse: aut quòd ipsi clarius exprimant Christi mentem per suas consequentias & ratiunculas humanas eius verbis directè oppositas, quàm ipsemet per sua expressa verba ex proposito dicta vt mentem suam clarè exprimeret: aut demum quòd Christus clariùs exprimat quid Eucharistia sit, per principium humanum nunquam à se traditum, & ratiocinationem humanam nunquam à se factam, eamque etiam

Quid Protest. opponunt contra expressa verba Scripturæ.

In rebus fidei, amentia est sequi potius ratiunculas hominum, quã expressa verba Dei.

directè oppositam suis verbis, quàm per suamet expressissima verba à se ipso dicta, & ex proposito dicta vt mentem suã clarissimè exprimeret? An cuiquam credibile est, quòd homines pauci, noui, & ab inuicem discordes vel melius intelligant res supernaturales fidei, quàm Deus ipse: aut eas melius, veriùs, certiùs, clarius explicent per suas ratiocinationes humanas ex altero saltem principio humano contextas, & directè oppositas expressis Dei verbis, quàm Deus ipse per expressa sua verba ab ipso ex professo dicta vt ipsemet eas res explicaret? Quid est hominum verbum Dei verbo, & homines Deo ipsi præferre, si hoc nõ sit? Aut estne sapiens quispiam, qui docet homines res nouas, necessariò ab ipsis cognoscendas, neque nisi per eius doctrinam cognoscibiles, idque semel in vita, ac instante morte, solummodò per contrarium: nempe dicendo quòd sunt ea quæ non sunt, nunquam autem dicendo, quòd sunt ea quæ reuera sunt. Et putabimus nos, quòd Christus Sapientia Patris semel tantùm in vita & instante morte docuerit nos mysterium Eucharistiæ, quæ erat tunc res noua, nunquam antea audita, nobisque necessariò credenda, nec tamen nisi per eius doctrinam cognoscibilis, tantummodò per contrarium illius quod reuera est? nempe dicendo, quòd sit corpus suum datum, traditũ, pro nobis, quod est verum illius corpus, nunquam autem, quod non sit corpus eius vel tantùm figura illius, prout Protestantes asserunt? An (vt rectè inquit Augustinus) *Scriptura Dei aliter nobiscum, quàm more nostro fuerat locutura*? Non certè, nisi nollet à nobis intelligi. Et erat sapientia Dei nos aliter quàm more nostro, imo more planè contrario, edoctura mysterium Eucharistiæ? Quis autem dixerit morem nostrum esse, doceri res nouas, easque non nisi per doctrinam magistri intelligibiles, quasque magister semel tantùm in vita & instante morte docet, quando amplius interrogari non potest, non per expressa eiusdem verba ex professo ab illo dicta vt res illas explicaret, sed per plane oppositam ratiocinationem, non ab ipso sed ab alijs contextam, cuiusque alterum saltem principium ipse nunquam approbauit?

Protest. voluerunt meliùs intelligi mentem Dei per suas ratiunculas eius verbis oppositas, quàm per eius expressa verba.

Nemo sapiens docet, res nouas solùm per contrarium, & instante morte.

Lib. 33. cont. Faustum. c. 7.

Non est mos hominum docere res nouas per cõtrarium.

Ex his, lector, clarè & ad oculum, vt opinor, vides, quòd si

si vlli vnquam hæretici contradixerunt vero sensui Scripturæ, id faciunt Protestantes: tum quia & toties, & in tot tantisque materijs, & tam directè pugnant cum Scripturæ verbis, ac vlli vnquam fecerunt: tum quia pugnant cum Scripturæ verbis tam expressis, tam perspicuis, tam ex professo dictis vt sensum Scripturæ exprimerent, ac vlla fuerunt Scripturæ verba quibus hæretici vnquam contradixerunt: tum etiam quia pugnant cum ijsdem in sensu tam manifesto, tam obuio, ac fluenti, & quem verba tam apertè præ se ferunt, & cui etiam nonnunquam tam multæ circunstantiæ, lumen rationis & experientia suffragantur, ac vlli sensui verborum quorumcunque: tum demum, quia pugnãt cum expressis Scripturæ verbis, in rebus quæ ex solis Dei verbis cognosci possunt, & tamen ipsi proferre nequeant vlla Dei verba, quæ per se ipsa & citra omnem humanam expositionem seu ratiocinationem, vel specie tenus videantur directè indicare res ita se habere prout Protestantes volunt. Vides etiam, quàm ingens in his articulis discrimen sit inter Catholicæ fidei & Protestanticæ fundamenta. Nam cum fundamentum Protestanticæ doctrinæ non sit vllum Dei verbum, quod directè (citra omnem eorum expositionem aut ratiocinationem, siue clarè siue obscure) neget, quòd (exempli gratia) Eucharistia sit corpus Christi: neque etiam aliquod Dei verbum, quod ex professo ab ipso dictum sit vt declararet quid sit Eucharistia, sed partim quidẽ verbũ aliquod Dei, vel dictũ ab eo de alia re, vel dictũ in alium finẽ quàm vt doceret quid Eucharistia sit, partim etiã sit principium aliquod humanum à Deo nunquam approbatum, & ratiocinatio humana ab ipsismet formata; fundamentum Catholicæ fidei sunt verba Dei clara, eaque dicta à Deo ex professo vt intelligeremus quid Eucharistia sit, & in sensu quem ipsa apertè præ se ferũt, & in quo talia verba ab hominibus intelligi solent, & cui omnes circũstantiæ manifestè suffragãtur, nec vlla alia Dei verba directè repugnant, neque etiam vlla vel indirectè, nisi per vim principij humani & ratiocinationis humanæ contra eum sensum inflecti aut torqueri possunt. Hæc & huiusmodi Dei verba (vt cum S. Augustino loquar) *sunt causæ nostræ documẽ-*

Aut Protest. contradicunt sensui scripturæ, aut nulli.

Discrimen inter fundamentum Catholicæ fidei & Protest.

Lib. de vnitat. c. 19. in psal. 21.

ta, hæc fundamenta. hæc firmamenta. Quicquid contradicunt, homines dicunt; hæc autem Deus dicit. Audiamus tamen parumper, quid sit quod homines contra Deum dicunt.

4. Instit. c. 17. §. 25. Excipiunt (inquit Caluinus) *se verbum habere, quo palam facta est Dei voluntas.* Iustissima sanè exceptio, prætertim in re fidei, & quæ non nisi per Dei verbum cognosci potest, & contra eos, qui tantopere verbum Dei iactitant. Nam si verbum habeamus, etiam sensum Dei nos habere manifestũ est, nisi ipsi contrarium demõstrent. Vnde rectè Tertul. *Hæc* Cont. Praxeam c. 13. *aut nega scripta, aut quis es, vt non putes accipiẽda quẽadmodũ scripta sunt? Nempe* (inquit Caluinus) *si illis conceditur, donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod lucem verbo afferat.* Rursus Loco cit. §. 20. *Nos sedula meditatione adhibita sensum amplectimur, quem Spiritus Dei suggerit.* Et iterum: *Reuerentia verborum Christi non satis iustus prætextus est, cur omnes quas contra obijcimus rationes ita respuant.* En iterum, lector, discrimen inter fundamenta Catholicæ & Caluinisticæ fidei. Illa (fatente aduersario) nititur expressis & perspicuis Dei verbis: Ista, suo dono interpretationis, suis meditationibus, sui spiritus suggestionibus, ac rationibus: quas (vt vides) Caluinus audet expresso Dei verbo opponere, imo præponere. Petimus autem nos, vt cum habeamus verbum, quo palam facta est Dei voluntas, ipse proferat verbum, quo palam factùm est, quod Caluinistæ donum interpretationis sortiti fuerint, potius quàm Catholici quàm Lutherani, quàm alij omnes vbiuis gentium Christiani. Si autem huiusmodi verbum proferre non potest, furor planè est & amentia in Dei rebus relinquere expressum Dei verbum eiusque perspicuum sensum, quem præter Sacramentarios Christiani vbique omnes amplectuntur, ac dono interpretationis vel conficto vel saltem incerto adhærescere. Addo etiam, quòd ipsimet donum infallibilis interpretationis ex Ecclesia profligant, cum eam errori obnoxiam esse asserunt. Quorsum ergo illud hic obtendunt?

Caluinus opponit suũ donum interpretationis expresso verbo Dei.

Serm. 14. de verbis Apost. c. Præterea velle interpretari ea verba, quæ ex se ipsis clarissima sunt, *non aliud est, quàm* (vt inquit S. Augustinus) *conari tenebras aperto lumini offundere.* Verba autem cœnæ, (vt & per se patet & aduersarij fatentur) clarissima sunt. Neque pro-

ſligamus donum interpretationis ex Eccleſia, quæ verba hæc nunquam niſi in ſenſu, quem præ ſe ferunt, intellexit: ſed donum interpretationis negamus conuenire hæreticis, & eorum expoſitionem nouellam, hęreticam, verbis Chriſti directè oppoſitam, & ab Eccleſia damnatam, non interpretationem ſed deprauationem eſſe aſſerimus. Deinde nullius interpretationem reſpuimus quę vllam verbo lucem afferat: negamus autem Caluini interpretationem eiuſmodi eſſe, imo lucem verbi clariſſimam extinguit, ac denſiſſimas tenebras offundit. Quæ enim denſiores tenebræ offundi poſſunt, quàm in verbis ex ſe clariſſimis, quibus nouum dogma traditur, nouum ſacramentum inſtituitur, nouum teſtamentum conditur, quæque in loco libero ad ſolos diſcipulos à magiſtro veritatis prope finem vitę ſuę dicuntur, *Eſt*, per, *Non eſt: & Corpus datum pro vobis*, per *figuram ſolam*, *ſeu Symbolum* exponere? Atqui ita audiuimus quid Dei verbo opponat Caluinus, modò audiamus, quo pacto eiuſdem verbi authoritatem imminuat.

Fateor, inquit, *illos habere verbum.* Magni certè facienda confeſſio, præſertim ab illo profecta, qui clamare ſolet, *nos nihil armorum in Scriptura reperire.* At præterea etiam fatendũ erat, quod res eſt, ſe huiuſcemodi verbum non habere: nimirum, quod directè neget Euchariſtiam eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: Inde enim clariùs conſtitiſſet, vtrum Catholici an Sacramentarij meliora arma in Scriptura reperiant: ſed addit: *Quale olim Anthropomorphitæ, cum Deum corporeum facerent.* Imo verò quale tu vel quiſquam Chriſtianorum habet, cum Deum incarnatum, Deum paſſum, reſurgentem, & ad cœlos aſcendentem facit: auſim addere, & clarius, ſi verba ipſa & circunſtantiæ prædictæ expendantur; ita vt iuſtiùs poſſit Arianus aut quilibet hæreticus qui præfata myſteria negaret, Anthropomorphitarum tibi exemplum obijcere, quàm tu in hoc myſterio illud nobis obijcis. Anthropomorphitæ nuſquam in tota Scriptura habebant verbum expreſſum, quo directè dicitur: *Deus eſt corporeus*: Nos habemus verbum expreſſiſſimum, quo Chriſtus diſertiſſimè dixit de eo quod manibus porrigebat Apoſtolis: *Hoc eſt*

In Actor. 9. v. 21.

Diſcrimina inter Anthropomorphitas ac Catholicos.

corpus meum. Anthropomorphitæ nunquam habebant
1. verbum expressum, quod ex professo dictum est in hunc finem, vt Scriptura exprimeret quid Deus esset: Nos
2. habemus verbum expressum, in hunc finem, & hunc solum finem dictum, vt Scriptura exprimeret quid Eucharistia sit. Anthropomorphitæ nusquam habebant verbum, quòd
3. vllæ aut vllius momenti circunstantiæ arguebant, accipiendum esse prout sonabat: Nos habemus verbum, cui (vt vidimus) omnes circunstantiæ suffragantur intelligendum esse in sensu quem præ se fert. Anthropomorphitæ habebant
4. verbum, sed de re quæ ipso lumine rationis notissima erat, quòd aliter se haberet, quàm verbum præ se ferebat: Nos habemus verbum de re noua, nunquam alias audita, quæque non omnino per lumen rationis, sed per solum Dei verbum cognosci potest quid sit. Demum illi habebant verbum de re quam Scriptura alias manifestè negat, cum docet Deum
5. esse Spiritum, nec vlli rei corporeæ similem: Nos habemus verbum de re quam Scriptura nusquam directè negat, nec
Deuter. 4. illius negatio colligi potest ex Scriptura, nisi adiuncto prin-
Actor. 7. cipio humano fallaci ac falso, & facta ratiocinatione vitio-
Ioan. 4. sa. Tot igitur, tantàque sunt discrimina inter verbum, quo nos facimus Eucharistiam corpus Christi, & verbum quo Anthropomorphitæ faciebant Deum corporeum, quot, quantaque vix reperiri poterunt inter verbum quod pro suo dogmate Anthropomorphitæ allegabant, & verbum quodcunque quo quodvis aliud Christianæ fidei mysterium comprobatur. Atque hactenus de primo argumento, desumpto ex Protestantium pugna in ducentis quinquaginta articulis cum expressis Scripturæ verbis, eisque ex professo dictis vt res de quibus loquuntur nobis explicarent, & in eorum obuio ac fluenti sensu, quemque ipsa manifestè præ se ferunt & in quo talia verba solent ab hominibus intelligi; quod argumentum, tanquam fundamentum quoddam reliquorum omnium consequentium argumentorum, illis omnibus inferetur.

CAPVT SECVNDVM

Quod Protestantes fateantur se contradicere sensui eorum verborum quæ Ecclesia Catholica à multis sæculis & nonnulli ipsorum credunt esse verba Dei.

SEcundum argumentum, quo probabimus Protestantes contradicere ipsi sensui Scripturæ sacræ, desumemus ex eorũ confessione, qua agnoscunt se cõtradicere sensui eorũ verborũ, quorum aliqua (vt alias omnes probationes omittam) plerique ipsorum, omnia verò Ecclesia Catholica à multis sæculis censuit esse partem Scripturæ sacrę. Lutherus enim ac sui fatentur primarium dogma Protestanticum de iustificatione per fidem tantum, reuera contradicere epistolæ Iacobi, vbi dicitur: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Nam sic scribit Lutherus præfat. in illam epistolam: E*go nullius Apostoli scriptum censeo, ob hanc causam: primò quia directè contra sanctum Paulum & omnem aliã scripturam operibus iustificationem tribuit.* Et tom. 6. in cap. 22. Genes. fol. 282. *Malè concludit Iacobus. Non sequitur vt Iacobus delirat: Igitur fructus iustificant. Facessant igitur è medio aduersarij cum suo* Iacobo. Melancthon de Sacris concionibus tom. 2. fol. 23. *Quod si aliqua expositione mitigari non possunt, sicut illa Iacobi citat. Videtis &c, istiusmodi simpliciter non sunt recipienda.* Magdeburgenses Centuria 1. lib. 2. cap. 4. col. 54. *Epistola* Iacobi *ab analogia doctrinæ Apostolicæ non mediocriter aberrat, dum iustificationem non fidei soli sed operibus ascribit.* Similia habent Centur. 2. cap. 4. col. 71. Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 15. fol. 50. *Iacobus contra Paulum operibus tribuit iustitiam.* Et tom. 8. Catal. hæret. pag. 500. ait de Iacobo: E*x diametro cum Paulo & reliqua sancta Scriptura pugnat: operibus humanis tribuendo iustitiam coram Deo.* Idem fatentur Pomeranus & Vitus Theodorus apud Coccium tom. 1. lib. 6. art. 23. & Pappus apud Gretzerum lib. 1. de verbo Dei cap. 18. col. 378. & indicat Hunnius de Iustificat. pag. 219. Vnde Danæus in Enchyridion Augustini cap. 67. pag. 847.

Ista hæresis non recipit quasdam scripturas. variæ præsumptiones nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur. Tertull. Præscript. c. 17.

Protest. fatentur se contradicere epistolæ S. Iacobi.

Lutherus ait S. Iacobum delirare.

Torquet hodie multos, ita vt epistolam Iacobi quidam expuxerint, alij straminearn appellauerint. Et Paræus lib. 4. de Iustificat. ca. 18. *Lutherus, non aliter quam reiectione totius epistolæ* (Iacobum cum Paulo) *componere potuit.* Et Beza in Iacobi 2. v. 14. *A nonnullis ob eam causam hæc epistola prorsus repudiatur, tanquam sanæ doctrinæ repugnet.* Eodem etiam inclinant Sacramentarij. Nam ita Musculus in locis tit. de Iustificat. to. 1. pag. 504. & sequ. *Obijciunt nobis locum Iacobi. At ille quisquis fuit, etiamsi diuersa à sententia Pauli diceret, veritati tamen præiudicare non posset.* Et addit, quòd *impertinenter exemplum Abrahæ subijcit: quod confundit vocabulum fidei, & diuersam ab Apostolica doctrina ponit sententiam*, & tandem concludit, quòd nisi dixerint Iacobum per *Iustificari*, intelligere, *Declarari iustum, non poterunt tueri Iacobum istum, quin contrarius sit Apostolo, ideoque reprobandus.* Et Confess. Heluet. cap. 15. inquit: *Idem ille* (Iacobus) *dixit, non contradicens Apostolo, reijciendus alioquin.* Epistolam autem Iacobi canonicam & sacram Scripturam esse docent, plerunque omnes Sacramentarij: ita vt eam in suis confessionibus fidei Gallica, Anglica, Belgica in canonem Scripturæ sacræ retulerint. Sic ergo in forma argumentor. Quod contradicit epistolæ Iacobi, contradicit canonicæ Scripturæ: Præcipuum Protestantium dogma de iustificatione per fidem tantùm reuera contradicit epistolæ Iacobi: Ergo contradicit canonicæ Scripturæ. Maior est non tantùm Catholicorum, sed etiam Sacramentariorum, & minor Lutheranorum Protestantium. *In ijs ergo quæ singula vera dicunt, prius inter se ipsi consentiant, & consequenter fiet vt à nobis nulla ex parte dissentiant*, vt de Pelagianis ait S. Augustinus.

1. *Lib. de Peccat. mer. c. 34.*

Similiter omnes Protestantes agnoscunt doctrinam suam de non orando pro mortuis repugnare illis verbis 2. Machabæorum 12. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* Vnde Caluinus in Antidot. Concilij Tridentini sess. 4. pa. 265. *Ex secundo Machabæorum, & purgatorium probabitur & Sanctorum intercessio: ex Tobia satisfactiones, Exorcismi, & quid non? Ab Ecclesiastico non pauca mutuabuntur. Vnde enim fæcem melius haurirent.* Ita apertè fatetur

sua dogmata contradicere libris Machabæorum, Tobiæ, & Ecclesiastici. Et nihilominus libros Machabæorũ à plurimis sæculis habitos esse pro Scriptura canonica ab Ecclesia, testis est locupletissimus Sanctus Augustinus, (quem optimum antiquitatis testem vocant Protestantes) qui lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 36. ita scribit de illis: *Quos non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Et similia scribit etiam libr. 1. contra Gaudentium cap. 23. & alibi. Præterea multi Protestantes, vt Hyperius, Zanchius, Lubbertus, Hospinianus, Rainoldus, Fildus & alij fatentur Concilium Carthaginense (cui interfuit & subscripsit S. Augustinus) recensuisse libros Machabæorum in Catalogo sacrarum Scripturarum. Vt autem alia omnia argumenta ex Scriptura & Patribus desumpta pro infallibilitate Ecclesiæ omittam, Protestantes ipsi nonnunquam fatentur Ecclesiam posse discernere veras Scripturas ab adulterinis, nosque debere illius iudicio acquiescere. Ita enim Lutherus lib. de Captiuit. Babylonica to. 2. fol. 84. *Hoc sanè habet Ecclesia, quod potest discernere verbum Dei à verbis hominum, sicut Augustinus confitetur se Euangelio credidisse motum authoritate Ecclesiæ.* Confessio Virtembergensis cap. de Ecclesia. *Ecclesia habet ius iudicandi de omnibus doctrinis.* Et cap. de Conciliis: *Habet certam promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernatur à Spiritu sancto.* Melancthon Respons. ad Acta Ratisbon. to. 3. pag. 732. *Agnoscimus hanc authoritatem competere veræ Ecclesiæ testificandi de Scripturis Apostolicis, seu discernendi Apostolorum scripta à supposititijs.* Caluinus de vera Ecclesiæ Reformat. pag. 323. *Quin proprium Ecclesiæ officium sit Scripturas veras à suppositities discernere, non nego.* Petrus Martyr in præfat. epistol. 1. ad Corinthios: *Facilè dabimus antiquam Ecclesiam tanto spiritu fuisse præditam, vt eius ductu & auspicijs facile agnouerint inter illa quæ sibi proponebantur, quænam legitima & genuina verba Dei essent, & hac spirituali facultate canonem Scripturarum ab apocryphis libris discreuerunt:* Et in locis Classe 1. cap. 6. ss. 8. *Ecclesiæ functionem esse agnoscimus, vt, cum sit prædita diuino spiritu, synceros & germanos libros diuinarum literarum ab adulterinis & apocryphis discernat.* Iuellus in Defens. Apologiæ pag. 204. *Habuit Ecclesia Dei spiritum sapientiæ, quo*

Caluin. 4. Instit. l. 14. §. 26.
Lib. 2. de doctrina Christ. c. 8.
lib. 2. Retract. c. 4.
In Apol. Protest. tract. 1. sect. 3.
Protest. fatentur Ecclesiã posse discernere veras Scripturas.
Potest discernere.
Habet ius iudicandi.
Habet authoritatẽ.
Est propriũ officium Ecclesię.
Est eius functio.
Habuit Spiritum sapientiæ.

veras Scripturas à falsis discerneret. Fulco Respons. ad Pseudo-Catholicum pag. 5. *Potest quidem Ecclesia Christi, vera scripta ab adulterinis discernere.* Perkinsus de sermone Domini to. 2. col. 252. *Ecclesia de rebus summi ponderis iudicandi donum habet. Illa de libris Scripturæ, qui canonici qui non sint, de spiritibus hominum, eorumque doctrinis iudicare, & propterea quis hominum cœtus, vera Ecclesia, quis non, vtique iudicare potest.* VVitakerus Controu. 1. quæst. 3. cap. 1. pag. 315. *Non negamus ad Ecclesiam pertinere, vt Scripturas approbet, agnoscat, recipiat, promulget, commendet suis omnibus, & hoc testimonium esse verum, atque ab omnibus suscipi oportere dicimus.* Et cap. 2. pag. 316. *Ecclesiæ officium est, vt veras, germanas, ac genuinas Scripturas, à falsis, supposititijs, ac adulterinis diiudicet ac discernat.* Cap. 5. pag. 322. *Non nego, traditionem Ecclesiasticam esse argumentum, quo conuinci posit qui libri canonici sint, qui canonici non sint.* Cap. 6. pag. 323. *Habet* (Ecclesia) *Spiritum Dei, quo edocta vocem sponsi sui audit & eius doctrinam agnoscit.* Cap. 7. pag. 324. *Ecclesiæ quidem authoritate cogi possumus, vt canonicam scripturam agnoscamus.* Et cap. 9. pag. 326. *Nos fatemur cum Irenæo, Ecclesiæ authoritatem esse firmam, ac compendiariam doctrinæ canonicæ demonstrationem à posteriori.* Et lib. 1. de Scriptura cap. 1. sect. 9. pag. 19. ait, quòd Ecclesiæ testimonium de Scripturis *suscipi debet, quia verum est: quique non suscipit, reus sacrilegij est.*

Habet donum iudicandi.

Testimoniũ eius debet suscipi ab omnibus.

Traditio eius conuincit.

Eius authoritas cogit.

Est firma demonstratio.

Ex quibus Protestantium confessionibus de authoritate Ecclesiæ, in discernenda ac dijudicanda Scriptura sacra, sic argumentari possumus. Pertinet ad Ecclesiam, imo est eius functio & proprium officium, discernere veras Scripturas à supposititijs, habet hoc quòd posset discernere verbum Dei à verbis hominum, est edocta à Spiritu Dei, prædita diuino spiritu, habet donum iudicandi, & spiritum sapientiæ quo posset id discernere, eius traditione conuinci potest qui libri sint canonici qui non sint, eius authoritate cogi possumus vt Scripturam canonicam agnoscamus, eius authoritas est firma demonstratio doctrinæ canonicæ, eius testimonium verum est & ab omnibus suscipiendum, & qui illud non suscipit reus est sacrilegij. At Ecclesia ante multa sæcula censuit libros

Macha-

Machabæorum esse canonicos. Ergo. Maior est ipsa confessio Protestantium iam relata, & minor nititur tum citato testimonio Sancti Augustini, tum etiam confessione aliorum Protestantium quos nominauimus, quorum verba hac de re legi possunt in Apologia Protestantium pro Rom. Ecclesia tract. 1. sect. 3. subdiuisione. 12. Et quomodocunque Protestantes eludunt argumentum ex hoc capite desumptum, id saltem fateri debent, quòd in eo Catholici ipsis superiores sunt, quia nullum testimonium ab ipsis contra Catholicos allatum cogit eos reijcere vllum omnino librum, quem vllus antiquus Pater testatur olim habitum fuisse ab Ecclesia pro canonico, prout testimonium ex Iacobo à Catholicis productum cogit Lutheranos repudiare eius epistolam, quam cæteri Protestantes canonicam esse fatentur; & aliud testimonium ex libris Machabæorum desumptum cogit omnes Protestantes reijcere eos libros, quos S. Augustinus & alij testantur fuisse olim ab Ecclesia inter canonicos recensitos. Sit ergo hoc secundum nostrum argumentum.

Qui non solùm in multis maximisque articulis pugnant cum expressis Scripturæ verbis, ijsque ex professo dictis vt Scripturæ sensum de illis articulis cognosceremus, verùm etiam coguntur reijcere nonnullas Scripturæ partes, quarum aliquas plerique ipsorum, omnes vero Ecclesia Catholica ante multa sæcula censuit esse partes Scripturæ sacræ, ij contradicunt vero sensui Scripturæ. Ita autem Protestantes faciunt. Ergo.

CAPVT TERTIVM.

Quod Protestantes cogantur vim inferre ipsi textui S. Scripturæ quam agnoscunt.

IN superiori capite vidimus, quòd Protestantes nonnullam Scripturæ partem omnino reijciant, eò quòd ipsis aduersetur: modò videbimus quòd etiam illam partem, quam relinquunt, pessimè tractent, quando ipsis repugnat, nonnulla verba addendo, detrahendo, mutando, in dubium vocando, perperam transferendo, inuertendo &c. Atque hinc tertium argumentorum nostrorum caput mutuabimur. No-

Quas Protest. deprauationes Scripturæ Author attingat.

tet autem hic Lector, quòd cum Protestantes duplicem ob finem aut verba aut sensum Scripturæ corrumpant, nimirum vt vel videatur pro ipsis facere, vel ne videatur ipsos damnare, ego in hoc & sequentibus capitibus referam duntaxat modos, quibus Scripturam corrumpunt, ne videatur ipsos damnare: quia hi modi aut soli aut magis quàm alij præsenti instituto meo inseruiunt, quod est ostendere Protestantes vero sensui Scripturæ contradicere. Ex ijs autem quæ de his eorum modis corrumpendi Scripturam dicam, & quinam illi alij sint, & quàm innumeri, sint omnes modi quibus Scripturam solent corrumpere, non difficulter poterit intelligi. Notet etiam, quod non sit animus omnia exẽpla corruptionis Protestantium in quouis genere afferre, sed quot videbuntur sufficere ad ostendendum eos solere ita Scripturam corrumpere. Vt enim olim notauit Tertullianus lib. Præscript. cap. 38. *Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ.* Et c. 17. *Ista hæresis, si quas Scripturas recipit, adiectionibus & detrectationibus ad dispositionem instituti sui interuertit.*

Quia verba Apostoli Rom. 11. v. 32. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur*: probant Deum velle misereri ommium: Beza ibidem bis addit textui pronomen (*illos*) hoc modo: *Conclusit enim Deus omnes illos in contumacia, vt omnium illorum misereretur*: ne videatur Apostolus loqui de omnibus hominibus, sed tantùm de omnibus electis.

Addunt.

Quia illa verba Rom. 2. v. 27. *Et iudicabit id quod ex natura est præputium legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem præuaricator legis es*, probant aliquos de facto legem seruare; Beza addit particulam (*Si*) hoc modo: *Si legem seruet*, atque ita ex dicto absoluto facit conditionale; eumque sequuntur Geneuenses in Biblijs gallicis anno 1562. 1568. 1605 & 1610.

Addunt.

Quia verba illa ad Philemonem vers. 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*, probant bona opera esse voluntaria & libera à necessitate: Geneuenses in biblijs Gallicis impressis

Addunt.

1605. 1610. addunt particulam, *comme*, id est, *quasi*, ac faciunt Apostolum ita loqui: *sed quasi voluntarium*.

Quia verba illa ad Titum 3. v. 5. *Secundùm suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, &c. probant baptismum concurrere ad salutem nostram efficiendam, ijdem Geneuenses in biblijs gallicis anno 1562. 1568. 1605. & 1610. auferunt verba illa: *Saluos nos fecit*, eaque ponunt in præcedente versu, vbi non tam manifestè faciunt contra ipsos.

Quia verba illa secundæ Petri 1. ver. decimo. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationē & electionē faciatis*, probant bona opera esse necessaria ad salutem, & parere certitudinem illius; Lutherus in suis Biblijs German. & in Comment. eiusdem Epistolæ to. 5. fol. 487. expungit illa verba *per bona opera*, Eumque sequuntur Protestantes Angli in suis nuperis Biblijs Regijs, item Beza ac Tremellius: licet (vt ait Caluinus in hunc locum:) *Nonnulli codices habent, Bonis operibus. sed hoc de sensu nihil mutat, quia subaudiendum est etiamsi non exprimatur.* Scioppius etiam in suo Ecclesiastico cap. 12. ait, quod Lutherus in suis Biblijs omiserit ea verba Marci 11. *Quod si non dimiseritis, nec pater vester qui in cœlo est, dimittet vobis peccata vestra.* Quæ docent opera nostra necessaria esse ad remissionem. *Detrahūt.*

Quia verbum *Est* in verbis institutionis Eucharistiæ, probat illam esse corpus & sanguinem Christi; Tigurini in suis Biblijs illud mutarunt in *Significat*, vti se vidisse & legisse testatur Schusselburg. lib. 2. theol. Caluin. cap. 6. fol. 44. Quinimo Zuinglius lib. de vera & falsa Religione cap. de Eucharist. to. 2. fol. 210. ita ausus est scribere: *Sic ergo habet Lucas, quo ex Euangelistis contenti erimus: Hoc significat corpus meum, quod pro vobis datur.* Vt enim ipse scribit lib. de Cœna to. 2. fol. 274. *Si Est substantiuè ponitur, omnino fatendum erit veram veræ carnis Christi substantiam in cœna præsentem esse.* Et Respons. ad Billican. fol. 251. *Si, Est, substantiuè accipias, iam vicerunt Pontificij.* Honesta scilicet excusatio corrumpendi sacri textus. Nam si violandus est sacer textus, hæresin tuendi gratia violandus est. Quæ corruptela Scripturę, tanta tamque manifesta est, *Mutant.*

vt iure dixerit Schusselburg. loco cit. fol. 43. *Hæc deprauatio verborum Filij Dei, vel sola omnes à Caluinistarum consortio & impietate deterrere debebat.*

Quia verba *Benedictionis* & *Benedicimus*, in illis verbis Apostoli 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus* &c. indicant potum in calice consecrari: Zuinglius de Cœna to. 2. fol. 294. ait: *Benedictionis & benedicendi vocabulis hoc loco vti non debebant: Ferè enim pro consecrandi verbo hæc accipi consueuerunt.* Et in 1. Cor. 5. to. 4. pag. 470. inquit: *Verba ergo sic habent: Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio sanguinis Christi est?* De qua corruptione Scripturę ita scribit Illyricus in hunc locum: *Aliqui hunc textum corrumpunt, vertentes: Poculum gratiarum actionis quo gratias agimus, & sic corrupto textu in suis liturgijs abutuntur pro verbis institutionis aut sacræ cœnæ, sacrilegium duplicantes.* Caluinus etiam in Matth. 26. v. 26. non solum exponit verbum εὐλογήσας, *Benedixit*, per, *Gratias egit*, sed etiam in ipso textu Matth. vertit: *Quum egisset gratias.* Et tamen (vt ipse ibidem fatetur) *Marcus & Matthæus Benedicendi verbo vtuntur.* Cur ergo ille eodem vti noluit in textu Matthæi?

Mutant.

Quia verba illa Actor. 2. v. 27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, probant animam Christi descendisse ad inferos: Beza in sua versione anno 1557. ita mutat: *Quoniam non derelinques cadauer meum in sepulcro.* Et ad defens. Castell. pag. 460. sic scribit: *Animam meam, in contextu sum interpretatus cadauer meum, in annotatione verò, vitam meam: sed & possumus Animam meam loco pronominis Me accipere. Quæ explicatio*, inquit, *simplicissima est.* Et addit: *Quòd autem annotaui ex veteri versione* (Animam meam) *natum esse errorem, non temerè feci; cum hunc præcipuè locum à Papistis torqueri ad suum limbum constituendum videamus, & veteres etiam inde descensum illum animæ Christi ad inferos excogitarint.* Ac si diceret, se ideo mutasse linguam S. Spiritus, quia ipsi aduersabatur. Simile huic est, quod Caluinus scribit concione 1. in Iob. *Hanc vocem, Perfectum, interpretati sunt tum Græci, tum Latini: verùm quia posterioribus sæculis nomen perfectionis malè fuit explicatum, præstat vti voce integritatis. Multi enim imperiti existimant cum*

Mutant.

quis vocatur Perfectus, inde consequi in nobis reperiri posse perfectionem, dum in hac vita versamur.

Similiter, quia idem probamus ex illis verbis Actor. 2. v. 31. *Prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno &c.* Geneuenses in suis Biblijs anno 1562. 1567. 1568. 1605. ex *inferno* fecerunt *sepulchro.* Eosque sequitur Tremellius in sua versione Latina recognita à Iunio, & edita Hanouiæ 1603. *Mutant.*

Quia verba illa Psal. 5. vers. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, probant Deum omnino non velle iniquitatem, Geneuenses in suis Biblijs anno 1568. pro, *Non volens iniquitatem*, habent, *non amas iniquitatem.* Et anno 1588. & 1610. *Non delectaris iniquitate*, vt ita tueantur suum errorem, quòd Deus velit iniquitatem propter finem, aliquē licet eam non amet, nec ea delectetur. Idemque facit Piscator apud Vorstium in Parasceue cap. 3. itemque Tremellius ac Iunius in sua iam dicta versione. *Mutant.*

Quia verba illa Ezechielis 33. vers. 11. *Viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortem impij, sed vt conuertatur à via sua & viuat*, probant Deum omnino nolle mortem impij: Musculus in locis tit. de Veritate Dei pag. 452. vertit illud: *Nolo mortem impij.* in hunc modum. *Non delector morte impij.* Idemque facit Tremellius in hunc locum, Piscator in Thesibus l. 2. pag. 187. & alij. Vt scilicet Deus videatur velle mortem impij, licet ea non delectetur, sicut ægrotus (prout ipsi dicunt) vult medicinam licet ea non delectetur. *Mutant.*

Quia verba Apostoli 2. Thessalon. 2. vers. 15. *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*, probant etiam traditiones non scriptas tenendas esse, non secus ac scriptas: Beza in sua versione anno 1598. (quam editionem semper intelligo nisi aliud explicem) particulam disiunctiuam, *Siue*, mutat in coniunctiuam, *Tum*, hoc modo: *Retinete traditiones, quas edocti estis tum per sermonem, tum per epistolam nostram.* Quem sequitur Auctor Respons. ad Theses Vadimontanas pag. 647. & alij. Alia autem editio Bezæ apud Tremellium ita habet: *Retinete traditam doctrinam, quam edocti estis, & per sermonem, & per epistolam.* Vbi pro, *Siue*, habet, *Mutant.*

Et: ac pro, *Traditiones*, *Traditam doctrinam*. Sicut Tremellius ibidem pro *Traditiones*, habet *Mandata*. Et Geneuenses Edit. anno 1568. & 1605. pro eisdem habent *Enseignements*, hoc est, *instructiones*.

Quia illud 1. Timoth. 2. v. 4. *Qui omnes homines, vult saluos fieri*, probat Deum velle omnes omnino homines saluari. Beza ibidem mutat *omnes* in *quosuis*: vt Deus solum videatur velle quoduis genus hominum saluari. Similiter ibidem v. 6. Vbi Scriptura dicit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Beza habet, *pro quibusuis*. *Mutant.*

Quia illud 1. Timoth. 4. vers. 10. *Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium*, ostendit Christum redemisse omnes homines: Beza ibidem pro, *saluator*, ponit, *Conseruator*. Quòd, (inquit) *Seruatoris nomen nonnullos torsit, propterea quod fere respicit vitam æternam in Christo partam: itaque vt homonymiam vitarem, malui conseruatorem dicere*. Ac si diceret, quia vox, qua Scriptura vtitur, probat Christum peperisse salutẽ æternam omnibus, ideo loco illius substituam aliam. Artificium dignum nouo Euangelista ad tuendum nouum Euangelium. Ac Bezam in hoc sequitur Tremellius. *Mutant.*

Quia illa verba Colossens. 1. vers. 10. *Vt ambuletis dignè Deo*. Et 1. Thessalon. 2. vers. 12. *Testificati sumus vt ambularetis dignè Deo*. Et 3. Epist. Ioan. v. 6. *Quos benefaciens deduces dignè Deo*, probant actus fidelium posse esse dignos Deo, Beza in his omnibus locis, pro, *Dignè Deo*, habet *Conuenit Deo*, seu, *Conuenienter Deo*. Tremell. 1. Coloss. 10. pro, *Digne Deo*, vertit, *Iustum est*. 1. Thessalon. 2. v. 12. *Conuenit Deo*. *Mutant.*

Quia verba illa Christi Lucæ 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, faciunt pro iustificatione per opera; Beza ibidem pro, *Quoniam* (Græcè ὅτι) habet *Nam*. Idque ait se fecisse, *vt facilius intelligatur, in his verbis non ostendi causam remissionis peccatorum*. Vbi indicat genuina Scripturæ verba ostendere dilectionem causam esse remissionis peccatorum. Bezam imitatur Illyricus in hunc locum. *Mutant.*

Quia verba Lucæ 1. vers. 6. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela*, iuuant ad probandum opera iustificare, Beza ibidem

liceat fateatur δικαιώματα, (quo verbo Græco Lucas vtitur] ad verbum verti Iustificationes, tamen ait se hanc interpretationem reiecisse, *vt hanc occasionem calumniandæ iustificationis ex fide* (Sola) *præciderem*. Et pro *iustificationibus*, vertit, *ritibus*. Ita, translationem, quæ est ad ipsum verbum seu literam Spiritus Sancti, reijcit, quia obest ipsius dogmati. Eumque sequuntur Angli Protestantes in suis Biblijs Regijs. Tremellius pro *Iustificationibus*, vertit, *Rectitudine*. *Male vertunt.*

Quia verba illa Philippens. 2. vers. 12. *Cum metu & tremore vestram salutẽ operamini*, probãt nos causas esse salutis nostræ, Geneuenses in suis Biblijs 1605. 1610. 1562. 1568. & aliis illud, *Operamini*, vertunt *Employez vous*, hoc est, *Adhibete studium*, vt Scriptura videatur indicare solum conatum nostrum operandi salutem, non operationem ipsam illius.

Quia verba illa Iacobi 5. vers. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, probant omnia peccata esse confitenda hominibus, Geneuenses in Biblijs anno 1605. 1610. & alijs ita vertunt: *Confessez vos fautes l'vn enuers l'autre*, ac si Apostolus iuberet solum confiteri peccata quæ in inuicem facimus. *Male vertunt.*

Quia verba Actor. 23. vers. 11. *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait, &c.* probant Christum loco præsentem fuisse Paulo, Geneuenses in suis Biblijs editis anno 1560. 1562. 1568. 1605. pro, *Assistens*, habent, *se presenta*: ne videatur Christus loco præsens fuisse. Tremellius pro, *Adstans*, habet, *visus est*. *Male vertunt.*

Quia illa Hebr. 4. vers. 14. *Habentes ergo* Pontificem *magnum qui penetrauit Cœlos, Iesum* &c. probant Christum penetrasse Cœlos; Caluinus ibidem pro *penetrauit*, habet, *Ingressus est*, Beza, *Transiuit*, Tremellius, *Ascendit in Cœlum*. *Male vertunt.*

Quia pronomẽ demonstratiuum, *Hic*, in illis verbis Christi, *Hic est sanguis meus*, probat, quòd illud non refertur ad vinum seu poculum, sed ad sanguinem: Beza in Matth. 26. v. 28. contra omnium latinorum codicum & omnium Patrum, imò Caluini & Tremellij exemplum, vertit: *Hoc est sanguis meus*: *Nam alioquin*, inquit, *nullum erit huius propositionis subiectum præter ipsum sanguinem, qui Christi esse dicatur*; vel (vt loquitur in suo Cyclope pag. 268. & alibi) *Qui dicit: hic est san-* *Male vertunt.*

guis meus, nihil nisi sanguinem demonstrat. Sic etiam Piscator l. 2. Thes. p. 450. Ac si diceret, mutanda sunt verba Scripturæ, ne fateamur Eucharistiam esse ipsum sanguinem Christi. Et tamen idem Beza Hebr. 9. v. 20. eadem græca verba vertit: *Hic est sanguis*, quia scilicet ibi non probant realem præsentiam. Musculus etiam in locis tit. de Cœna Dom. pag. 360. ait, quòd *τοῦτο à Matthæo & Marco positum non rectè vertitur in masculino Hic, nisi subintelligas, calix.* Et tamen ibidem inquit: *Matthæus & Marcus dixisse Dominum scribunt: Hic est sanguis meus noui testamenti.*

Quia illa verba Græca Lucæ 22. v. 20. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: id est, Hoc est poculum nouum testamentum in meo sanguine, illud, quod pro vobis effunditur, inuictè probant, quod verbum *Effunditur* refertur ad vocem *Poculum*, ac probat fuisse poculum sanguinis Christi; Beza ibidem (& alij post ipsum) non refert, participium ἐκχυνόμενον, *effusum* ad vocem *poculum*, vt Lucas facit; sed ad vocem Sanguine, ac dicit, *aut manifestum* *In dubium vocant.* *est sollœcophanes, cum dicendum fuerit τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, aut potius in contextum irrepserunt. Cum* (inquit) *hæc verba, si constructionem spectes, necessario ad poculum pertineant.* Et ad Repetit. Saintis cap. 8. pag. 18. *Meæ coniecturæ eo inclinant, vt potius quàm Sollœcophanes sit à Luca admissum, vel hanc particulã τὸ ὑπὲρ &c ex alijs Euangelistis insertam esse in Lucæ contextum contendam, vel casum perperam à librarijs, quamuis consentiant exemplaria, mutatum.* Paulò verò aliter Zuinglius in Respons. ad Confess. Lutheri to. 2. fol. 511. ait, quòd sit *Enallage nominatiui pro datiuo.* Bucanus loco 48. p. 688: *Equidem si constructionem verborum spectes apud Lucam, τὸ ἐκχυνόμενον ad poculum referendum erit.* Piscator in refutat. Sophismatum Hunnij pag. 648: non vult τὸ ἐκχυνόμενον referri ad poculum, & addit: *Fieri potest, vt ista clausula irrepserit ex Mathæo.*

Quia verba illa Matth. 10. v. 2. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus* Simon, *qui dicitur* Petrus, probant primatum Petri, Beza ibidem ait: *Quid si vocabulum hoc* [*Primus*] *In dubium vocant.* *ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire.* Et nihilominus subdit: *Reperimus ita scriptum in omnibus exemplaribus.*

bus. Contra fidem ergo omnium exēplarium dubitationem inijcit de vocabulo, quod fauet Primatui Petri:

Quia verba illa 1. Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*, probant nullam omnino fidem efficacem esse ad iustificandum sine charitate; Beza ibidem πᾶσαν omnem vertit *totam*: idque ait se fecisse, *ne hoc cuiquam imponeret*. *Male vertunt.*

Quia verba illa Danielis 4: *Peccata tua eleemosynis redime*, ipsis aduersantur, Gesnerus in compendio Doctrinæ cœlestis loco 23. pag. 495. ait: *Hæc versio est vitiosa*. Et tamen Petrus Martyr in hunc locum ait, quòd *Caldæus sermo, quo hæc epistola est scripta, ad verbum habet: Peccata tua in iustitia redime*: & quòd *vulgata lectio sumpta est ex Græco textu*. *Male vertunt.*

Quia pronomen *Hoc* seu *Hic* in verbis cœnæ sumptum adiectiuè, iuuat ad probandum Eucharistiam esse corpus & sanguinem Christi; Danæus lib. de Euchar. cap. 1. p. 543. inquit: *Quid si ipse excipiam, verba Christi natiua fuisse duo duntaxat hæc: Hu besçariest caro mea, omnem istam de pronomine (Hoc) probationem vno verbo inanem reddidero*. At si nec omnino probes tuam exceptionem de verbis à Christo ipso prolatis, nec omnino negare aut excipere audeas de verbis ab Euangelistis conscriptis, nonne exceptionem tuam temerariam & impiam esse constat? *In dubium vocant.*

Quia verba Apostoli Hebr. 2. v. 9. *Eum autem, qui modicò quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*, probāt Christum fuisse gloria coronatum quia passus est mortem; Beza ibidem sic verba inuertit: *Sed Iesum illum videmus gloria & honore coronatum, qui parumper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpessionem*: vt videatur Apostolus non dicere, quare Christus sit gloria coronatus, sed quare sit Angelis minoratus. Et tamen Beza ibidem addit: *Ne quis miretur mutatam esse à me verborum collocationem*. *Inuertunt.*

Quia verba Apostoli 1. Corinth. 4. vers. 17. *Tu quidem benè gratias agis*, diserte approbant orationem in lingua peregrina, Zuinglius, Caluinus, & Beza ibidem ea omnino transiliunt in suis commentationibus. Imo Caluinus 3. Institut. *Omittunt.*

cap. 20. §. 33. citans hæc verba, omittit vocabulum *Benè*. Et similiter Caluinus & Beza transiliunt illa verba Lucæ 22. vers. 32. *Ego rogaui pro te, &c.* Quibus Petri primatus confirmatur.

Sic ergo tertio loco argumentor. Qui præter prędictam pugnam cũ expressis Scripturæ verbis, cogũtur etiã violentas manus inferre ipsi sacro textui, ei addendo aut detrahendo verba, nec non mutando, in dubium vocando, perperam transferendo, omittendo, & verborum ordinem inuertendo, ij censendi sunt vero & germano sensui Scripturæ contradicere. Ita vero faciunt Protestantes: ergo.

CAPVT QVARTVM.

Quod Protestantes eneruent omnem vim testimoniorum Scripturæ, imò ea irrideant ac contemnant.

QVartum argumenti genus inde sumetur, quòd Protestantes, quando expressa Scripturæ verba ipsis aduersantia nec negare nec mutare audent (prout in superioribus capitibus ostendimus eos quandoque facere) vim tamen omnem eorundem alijs vijs eneruent, eaque irrideant ac contemnant.

Protestant. negant literã Scripturæ vrgeri contra ipsos.

Primus autem modus quo literam seu expressa Scripturæ testimonia eludunt, est quòd in quocunque genere materiæ, siue ea sit præcepti siue dogmatis, siue non posset intelligi nisi per verbum Dei siue posset; & in quibuscunque locis, siue ibi ex professo agatur de illa materia siue non; in quacunque (inquam) materia siue in quibuscunque locis litera Scripturę contra ipsos facit, clamant non esse hærendum literæ, non esse eam vrgendam. Zuinglius in Matth. 19. to. 4. p 104. *Verba Christi: quòd Deus coniunxit homo non separet, sic arida sunt vt videantur coniuges nulla ex causa separari posse*: Hic quia litera contra ipsos facit, addit: S*ed nolumus Iudaico more sic literæ hærere superstitiosè*: Et in Marci 1. ibidem pag. 143. *Non verbis aut literæ nudæ mordicus hærendum, sed litera ad spiritus* (Protestantici) *regulam exponenda & dirigenda est.* Similiter, quia in materia Eucharistiæ litera seu verba consecrationis illis aduersantur: Caluinus 4. Institut. cap. 17. §. 20. ait, *Christi ver-*

ba non subiici communi regulæ, nec debere ad grammaticam exigi. & §. 23. *Vetant boni magistri, vt literati appareant, vel tantillum à litera discedere.* *Quæ*, inquit, *absurditatum monstra fanaticis hominibus elicere non licebit, si illis permittitur singulos apices stabiliendis suis placitis obiicere?* Et vocat *stultam peruicaciam hostiliter de verbis* (Christi) *litigare.* Nosque appellat *syllabarum aucupes, morosos & præfractos literæ exactores, stultos & ridiculos litteræ magistros*, quòd in materia Eucharistiæ Scripturæ literæ adhæreamus, eamque cōtra ipsos vrgeamus; Ac si vellet scommatibus & dicteriis nos ab expresso verbo Dei deterrere. Zanch. etiam l. 1. epist. p. 34. inquit: *Nimis importunè & vsque ad rauim conclamatum τὸ ῥητὸν τὸ ῥητόν.* Et Kekermannus l. 1. System. theol. p. 169. *Importunè vrgent τὸ ῥητὸν seu verba Scripturæ.* Hæc & huiusmodi illi, quando litera Scripturæ ipsis aduersatur. Interim tamen ipsimet, vbicunque litera scripturæ pro ipsis videtur facere, eam vehementissimè vrgent; vt quia Paulus quandoque Eucharistiam vocat panem, contendunt eam omnino esse panem materialem. Caluinus in Matth. 26. v. 28. *Papistæ negant ostēdi panem, sed eorum delirium refutat Paulus, affirmans panem quem frangimus esse communicationem corporis Christi:* Similia habet 4. Institut. cap. 17. §. 15 & alij. Et nihilominus nusquam Scriptura directe dicit, Eucharistia est panis: quater autem directissimè dicit, est corpus Christi: neque vnquam restringit significationem literæ *panis*, quando per eam Eucharistiam denotat, ad significandum proprium panem: plurimis autem & clarissimis epithetis restringit literam *corpus* ad significandum proprium corpus Christi, nempe addendo, quod sit corpus datum, traditum, fractum pro nobis. Ad hæc, Scriptura ipsa Ioan. 6. explicat quòd panis nomine (quando per illud Eucharistiam significat) intelligat ipsam carnem Christi: ita vt in vna eademque materia, litera quę dicitur de Eucharistia in propositione identica, dicente: Hoc est Hoc, & quæ sæpius & arctissimè restringitur ad propriam significationem, neque vsquam in Scriptura explicatur aliter intelligi, non erit vrgenda contra Sacramentarios, quià ipsis aduersatur: alia verò litera, quæ nec sic prædicatur de Eucharistia, neque vllo mo-

Discrimina inter literā quam Protestant. vrgent, & quam Catholici.

do ad propriam significationem restringitur, imo quam Scriptura ipsa docet figuratè intelligi, vrgenda est, quia ipsis fauere videtur: adeoque litera prout fauet aut non fauet Sacramentarijs, vrgenda vel omittenda est, quantumcunque ratio aliud consulat. Sed de hac re satis iam diximus in primo capite huius libri.

Dicunt esse petitionem principij vrgere literã in eius manifesto sensu.

Cæterùm si obtinere non possunt, ne litera contra ipsos vrgeatur, aliam rationem ineunt illius authoritatẽ eludendi: Etenim illius obuium ac manifestum sensum in controuersiam vocant, ac deinde clamant, esse petitionem principij agere contra ipsos ex sensu controuerso. Ita faciunt Sacramentarij, quando contra ipsos vrgemus verba consecrationis, vt videre licet in Zuinglio in Exegesi to. 2. fol. 338. & ad Epistolam Amici fol. 322. & apud Hospin. part. 2. Histor. fol. 74. & sequ. Lamberto ibidem fol. 80, & ipso Hospiniano fol. 49: Caluino in Admonit. vltima contra VVestphalum pag. 805: Beza contra eundem pag. 232: Petro Martyre in 1. Corinth. 11. fol. 158: Lauathero in Histor. Sacramentaria fol. 16. Iuello artic. 5. sect. 5. pag. 242. & alijs: Quinimo aliquando eousque progrediuntur, vt dicant, quod sit manifestus abusus, ineptia, vanitas, & stultitia ex his verbis Cœnæ argumentum sumere. Author Orthodoxi Consensus apud Schusselburg. lib. 4. theol. Caluin. art. 20. pag. 125: *Manifestus est abusus verborum cœnæ in probando eo quod ex verbis in quæstione vel controuersia est.* Humfredus ad Rationem 2. Campiani pag. 118. *Sed erit ineptus, qui ex hoc loco* (verborum cœnæ) *disputat, de quo controuertitur.* Et Caluinus in Admonit. cit. pag. 821. *Desinant inane obtendere præiudicium ex verbis, de quorum sensu & intelligentia lis inter nos pendet:* Et in Gratulatione ad Præcentorem pag. 379. *Nos excipimus, stultè pro notissimo obtrudi, de quo ambigitur.* At quod vnquam argumentum ex Scripturæ verbis desumptum legitimum erit, si illud quod ex expressis Christi verbis, quæ & clara sunt, & ex professo dicta vt explicaret quid Eucharistia sit (quæ quid sit non nisi per eius verba cognosci potuit) & quæ sola ab ipso in hunc finem dicta sunt, sit petitio principij, vanum, stultum, & ineptum argumentum, tantummodò quia libuit paucis no-

uis & inter se discordibus hæreticis huiusmodi verborũ sensum in dubiũ vocare? Sed de hac etiã re satis supra actum est. Tertiò, si non audent asserere, quod locus ipsis contrarius alium sensum habeat, quàm illum quem manifestè præsefert, saltem comminiscuntur varios sensus, ac dicunt dubium esse in quo sensu accipiendus sit, ac proinde nihil certi ex eo colligi: Sic Kemnitius in Examin. parte 2. titulo de Baptismo pag. 69. vbi commentus esset multas expositiones vocis *Baptismus*, Actorum 19. vnde nos probamus Baptismum Christi alium esse à baptismo Ioannis, tandem ita concludit: *Ex locis obscuris, ambiguis, & controuersis nihil potest probari*. Scilicet si illi loci dicendi sint obscuri, ambigui, aut controuersi, de quibus libuit nouis hæreticis varios sensus confingere. Dent ipsi hanc libertatem alijs hæreticis, & videbunt quantum aduersus eos argumentis ex quibuscunque Scripturæ verbis petitis, proficient.

Fingunt varios sensus literæ.

Quartò, si nihil horum iuuat, contendunt sensum Scripturæ de re aliqua colligendum esse potius ex illis verbis, quæ vel de re alia, vel in alium finem dicuntur, quam ex illis ipsis quæ ex professo dicta sunt vt sciremus quid res illa sit. Zuinglius lib. de vera & falsa Relig. cap. de Eucharistia pag. 267. in 8. *In his anxiis verborum (cœnæ) excussionibus nemo se offendi patiatur. Non enim iis nitimur, sed hoc vno verbo, Caro non prodest quicquam*, Et respons. ad Billican. fol. 264. *Disputatio ista non nititur his verbis: Hoc est &c. videri nolimus nostram sententiam his elementis fulcisse. Id enim nefas.*

Volunt sensum Scripturæ colligendũ potius ex alieno quã ex proprio loco.

Bullingerus apud Schusselburg. lib. cit. *Nos cupimus ab aduersariis nostris, ne posthac, vt antea fecerunt, verba cœnæ dominicæ de quibus controuertitur, veluti suæ sententiæ fundamenta ponant.* Melanchon in Epist. ad Fredericum Electorem apud Martyrem in dialogo col. 112. *In hac controuersia (Eucharistiæ) optimum est retinere verba Pauli: Panis quem frangimus, κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος.* Et Martyr ipse contra Gardinerum col. 440. *Friuolũ est, quod addit, in mysterio Eucharistiæ ad instituẽtis Domini verba confugiendum esse.* Caluinus etiã de ratione Concordiæ pag. 866. *In verbo essentiali (est) insistere, non est rationi consentaneum.* Vides, vt in ipsa quæstione, quid Eucha-

Nefas fulcire sententiã verbis Christi.

ristia sit, dicant quòd ut friuolum & alienum à ratione, confugere ad verba institutionis, in illis insistere ac fundamentū ponere, cum tamen verba Institutionis ex professo dicta sint, eaque sola ex omnibus Scripturæ verbis ex professo dicta, vt sciremus quid Eucharistia sit: sed volunt, vt ad alia verba cōfugiamus, in quibus aut sermo non est de Eucharistia, aut saltem non de illius substantia. Hoc satis aperte indicat id quod ipsi aliquando palam fatentur, nempe quod fidem suā non ex Scriptura sed aliunde collegerint. Zuinglius in Exegesi tom. 2. fol. 347. *Nos putamus fidem ex verbis hauriri non posse, sed fide magistra quæ proponuntur verba intelligi.* Author Exegeseos: *Non oportet ad verba, sed ad mentem Christi respici, & secundùm illam iudicare*: Ac si mens Christi aliunde quàm ex verbis eius colligenda sit. Et Author Orthodoxi Consensus apud Schusselburg. lib. 1. theol. Caluin. art. 23. fol. 123. *Non oportet simpliciter intueri verba Christi, sed aliud quippiam cogitare, & interioribus oculis ea aspicere tanquam mysteria.* Martyr etiam apud eundem ibidem ait *non verborum Christi struem, sed consilium spectandum esse.* Et Victorinus ibidem folio 107. *In certamine de cœna Domini sinistro oculo respiciendum esse ad verba Christi, dextro vero naturas Christi, & antiquitatis Scripta.* Quid autem hoc aliud est, quàm reipsa Enthusiastē agere, fidemque non ex Dei verbis, sed aliùnde haurire? Ita enim loquitur Suencfeldius Enthusiastarum princeps apud Schusselburg. art. 23. cit. fol. 117. *Remoue ex oculis: Accipite & comedite. Hoc est &c. & porro considera, quænam sit natura corporis humani, comestionis, ac sacramentorum, & veterum typorum: sic veritatem inuenies certissimam*: Quid autem aliud facit Caluinus 4. Instit. cap. 17. §. 19. cum inquit: *Istas duas exceptiones nunquam patiamur nobis eripi; ne quid cælesti Christi gloriæ derogetur, ne quid eius corpori affingatur humanæ naturæ minus consentaneum.*

Protest. nō habent fidē suam ex verbis Dei.

Quintò, nonnunquam irrident ipsum genus arguendi ex expressis Scripturæ verbis, atque exemplis. P. Martyr apud Schusselburg. lib. 4. theol. Caluin. art. 20. vocat argumentum, quod sumimus ex verbis consecrationis, *quinquuerbiam probationem.* Et in Dialogo col. 130. ita inquit: *Mihi semper*

Irrident probationes ex Scriptura.

visi estis minus quàm par est sapere, cum pro dogmate æquè absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro tuendo quicquam habetis, nisi Christi τὸ ῥητὸν, hoc est corpus meum. Caluinus 1. Institut. cap. 2. ff. 3. ait eos insanire, *qui imagines Dei & Sanctorum exemplo Chcrubin defendere conantur.* Idemque argumentum Beza 2. parte Respons. ad Acta. Colloquij Montisbel pag. 31. vocat *rancidum argumentum.* VVitakerus ad Rationem 3. Campiani pag. 43. numerat hoc argumentũ inter sophismata: *Vngere ægros Iacobus iubet, ergo nobis ægri perungendi sunt.* Zuinglius de Peccato originali to. 2. fol. 122. clamat: *Quàm stultus videretur, qui propter verba* (Scripturæ) *contenderet nos aqua baptismali à peccatis ablui?* Oecolampadius etiam (vti refert Saintes) queritur verba institutionis sibi *tanquam Helenam obijci.* Eademq; Caluinus appellat *Aiacis clypeum & vnicum Papistarum azylum.* Neque id negat Beza in respons. ad eius repetit. cap. 10. pag. 44.

Non satis habere verba Christi.

Stultum, contendere propter verba Christi.

Demum aliquando blasphemias euomunt in ipsa sacrosancta Scripturæ verba, ac profitentur se nec Deo ipsi credituros esse. Petrus Martyr lib. contra Gardinerum parte 1. col. 423. vocat verba consecrationis, *quinqueuerbiam oratiunculam.* Et parte 4. col. 1095. *Quinqueuerbiam orationem*: Zuinglius Respons. ad Billicanum to. 2. fol. 264. *Paupertina Elementa.* Burensis apud Schusselburg. in præfat. to. 3. catal. Hæret. *Quatuor impotentia verba*: Sheldonus de Miraculis Antichristi pag. 82. Ironicè, *quinque omnipotentia verba.* Et Hospinianus parte 2. Histor. fol. 63. *quinque magica verba*: Gratianus etiam Antiiesuita t. 6. Doctrinæ Iesuiticæ p. 158. ita loquitur: *Adesse Gregorio, est corpus Christi è cælo elicere virtute quinque verbica seu magica.* Et Volanus l. 2. cont. Scargam p. 1047. *Fingentes nouum vobis ex pane Christum, & flatu sacrifici quinqueuerbio creatum.* Præterea Zuinglius in Matth. 19. (vt iam retulimus) vocat Christi verba de indissolubilitate matrimonij *arida verba*, & lib. de vera & falsa Relig. cap. de Euchar. to. 2. ait verba Consecrationis esse *nimis sicca pro quorundam captu*, vbi etiam inquit: *Quid putas hoc commentum argutum, scilicet, quod solis verbis* (Christi) *constat?* Poach etiam apud Schusselburg. to. 4. Catal. Hæret. pag. 305. ita scribit:

Blasphemant ipsa verba Scripturæ.

Dicunt quod lex Dei continetur mendacio.

Necesse est, legem cum sit neque Christus neque in Christo, errore, mendacio, & morte contineri. Et Scriptura vt Lutherus in disputationibus suis ait: Non contra, sed pro Christo intelligenda est; ideo ad eum referenda, vel pro vera Scriptura non habenda. Lutherus, cum valdè vrgeretur testimonijs Scripturæ de operibus & lege, ita docet suos respondere to. 3. in 3. Galat. fol. 345. & sequ. *Simpliciter eis ita respondendum est: Hic Christus est, illic Scripturæ testimonia de lege & operibus. Christus autem Dominus est Scripturæ — Tu vrges seruum, hoc est, Scripturam; hunc seruum relinquo tibi: Ego vrgeo Dominum, qui Rex est Scripturæ.* Paulo tamen apertius loquitur in Germanica editione Tomo 1. VVittemberg. vnde hæc eius verba refert Scioppius in suo Ecclesiastico c. 2. p. 9. *Tametsi Papistæ ingentem cumulum locorum Scripturæ afferant, in quibus bona opera præcipiuntur: ego tamen nihil curo omnia dicta Scripturæ, si etiam ijs adhuc plura afferrentur. Tu Papista valde quidem fastidis & ferocem te facis cum Scriptura, quæ tamen Christo & Domino subest. Itaque nihil ea re moueor. Age sane famulo nitere quantum voles: at ego nitor Christo vero magistro, Domino, & imperatore Scripturæ. Huic ego assentiar, & scio eum nihil mihi mentiturum, neque me in errorem inducturum esse. Illi honorem habere & credere malo, quàm vt omnibus dictis Scripturæ vel latum vnguem à sententia me patiar dimoueri.* Vides vt palam profiteatur, quòd non curat omnia dicta Scripturæ, nihil eis mouetur, quòd nec illis omnibus vult latum vnguem discedere à sua sententia. Et in Colloquijs Islebiensibus. c. de verbo Dei fol. 22. inquit: *A nobis quidem* (Scriptura) *contemnitur, adulteratur, irridetur.* Et to. 1. disput. de Fide fol. 387. *Quòd si aduersarij Scripturam vrserint contra Christum, vrgemus Christum contra Scripturam: Nos Dominum habemus, illi seruos,* Quod planè est fateri Scripturam sibi aduersari. Imò Zuinglius in suo Elencho to. 2. fol. 10. ait quod cum *Paulus scribebat, Euangelistarum commentarij & Apostolorum Epistolæ non erant in authoritate: quod Paulus suis Epistolis non tantum tribuebat, vt quicquid in illis contineretur, Sacrosanctum esset.* Idem innuit Caluinus in Acto. 17. v. 11. vbi inquit, quod *Thessalonicenses non disceptauerint an recipienda esset Dei veritas: tantum Pauli doctrinam exigebant*

Lutherus relinquit nobis Scripturam.

Lutherus non curat omnia dicta Script.

Nihil eis mouetur.

Non vult propterea discedere à sententia.

Fatetur nos habere Scripturã.

Paulus nõ putabat suas Epist. esse diuinas.

ad

ad amussim Scripturæ. In quibus verbis plane statuit discrimen inter veritatem Dei & doctrinam Pauli. Demum Zuinglius apud Schussel. lib. 1. [illegible] 4. theol. Caluin. art. 9. pag. 344. diabolicam suam infidelitatem his verbis profitetur: *Etiamsi Deus cum omnibus Angelis beatis descenderet de Cœlo, & iuraret in cœna Domini corpus & sanguinem Christi omnibus eam accipientibus præberi, attamen nec possem nec vellem id credere, nisi meis oculis & manibus Christum coram viderem & palparem*. Idemque indicat in Respons. ad Billicanum to. 2. fol. 263. Quid quæso huiusmodi homines differunt à Libertinis, de quibus ita scribit Caluinus in Instructione contra ipsos cap. 9. *Iam diximus, istos initio apertè ridere solitos fuisse, si quis Scripturas allegaret, nec dissimulasse quin eas pro fabulis haberent: interim tamen non desinebant eis uti, si quis esset locus quem in sensum suum torquere possent: Cum autem animaduerterunt bonos omnes tale sacrilegium detestari, sese hoc amictu induerunt, sub quo nunc delitescunt: nempe quod non profitentur se Sacrosanctas Scripturas reijcere, sed eas admittere fingentes, detorquent & in allegorias commutant*. An non enim Protestantes rident, si quis verba consecrationis allegat, quando ea vocant *quinque verbiam oratiunculam, paupertina elementa, impotentia & magica verba*? Et cum animaduertunt bonos omnes tale sacrilegium detestari, nõne eadem detorquent, & in allegorias seu figuras commutant?

Protestant. imitantur libertinos.

Quare sic quarto loco argumentor: Qui non solum in tot tantisque rebus expressis Scripturæ verbis aduersantur, verum etiam in multis magnisque materijs coguntur Scripturæ literam deserere, eiusque manifestum sensum in dubiũ vocare, ac dicere esse petitionem principij ex eo arguere, varios sensus comminisci, vt locum aliquem tanquam ambiguum repudient, ac contendere sensum Scripturæ de re aliqua colligendum esse potius ex locis alienis quam ex proprijs, qui denique rident ipsum genus arguendi ex expressis Dei verbis, eademque apertè blasphemant, ij censendi sunt non tantùm verbis sed etiam sensui Scripturæ repugnare, imò Scripturam & Deum ipsum contemnere. At ita faciunt Protestantes, ergo.

CAPVT QVINTVM.

Quod dicant verba Scripturæ quæ ipsis aduersantur, non esse dicta ab auctoribus eorundem ex certa scientia.

QVinto loco probabimus Protestantes repugnare vero sensui Scripturæ, quia aliquando negant illius verba dicta esse vel à Christo, vel à Deo, vel ab Apostolis, ex certa eorundem scientia, sed tantùm ex coniectura, vt quibusdam exemplis ostendemus.

Si enim ex illo Ezechielis 3. v. 6. & sequ. *Non enim ad populũ profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domũ Israel: neq; ad populos multos profũdi sermonis & ignotæ linguæ quorũ non possis audire sermones: & si ad illos mittereris, ipsi audirent te*, probemus aliquos conuerti posse qui de facto non conuertuntur, respondent Contra-Remonstrantes in Collatione Hagæ pag. 255. *Hoc dicitur, non respectu eius quod Deus certò præuiderit in his vel illis; sed respectu eius quod pro omni externa specie poterat iudicari secundùm hominem*: Scilicet, Deus non certò præuidit quòd alij populi audituri essent Prophetam si ad eos missus fuisset (quod tamen ipse disertè dicit,) sed more hominum ex externa specie coniecturam faciebat.

Deus non certo præuidit quod dicit.

Similiter, si idem probemus ex illo Matth. 11. v. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Respondet Caluinus in hunc locum. *Non disputat quid præuiderit Deus futurum de ijs vel illis, sed quid facturi fuerint alteri quatenus ex reipsa percipi poterat*. Et in v. 33 *Supra admonuimus Christum humano more loqui, non autem ex cœlesti adyto proferre, quid præuiderit futurum, si Sodomitis Prophetam aliquem misisset*. Idemque habent Contra-Remonstrantes loco cit. Itaque Christus nõ præuidit Tyrios aut Sodomitas pœnitentiam acturos, si Deus ad eos prophetam misisset: & tamen illud disertè affirmat.

Christus non præuidit quod dicit.

Si probemus, quòd quis posset excidere è gratia, quia 2. Petri 1. v. 9. dicitur: *Cui non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*, respondet Zanchius in summa prælectionis tom. 7. col. 276.

Scriptura loquitur ex iudicio charitatis.

Hic locus iuxta iudicium charitatis intelligendus est. Similiter respondet tomo 8. in Thesibus col. 700. & Piscator in Thesibus lib. 2. p. 195. Scilicet Scriptura ex charitate & non ex certa scientia iudicat, quòd talis acceperit purgationem veterum suorum delictorum.

Si ex illo 1. Timoth. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, probemus quòd Deus reuera vult omnes saluari: respondet Perkinsus de prædestinat. to. 1. col 139. *Loquitur hoc in loco Paulus secundùm iudicium charitatis Christianorum, non secundum iudicium occultæ & infallibilis certitudinis.* Similiter respondet Piscator in Thesibus l. 2. p. 195. ad Hebr. 6. v. 5. & c. 10. v. 29. vbi dicitur quosdam reprobos fuisse sanctificatos sanguine Christi.

Paulus loquitur ex Charitate non ex infallibili certitudine.

Quintò itaque probo Protestantes contradicere sensui Scripturæ hoc pacto: Qui non solum pugnant cum expressis verbis Scripturæ vti vidimus, verùm etiam in multis magnisque mysterijs fidei coguntur dicere Apostolum, Christum, Deum ipsum non certò præuidisse quæ dixerunt, & Spiritum S. non ex certa scientia, sed ex coniecturis & humano more locutum esse, ij iudicandi sunt sensui Scripturæ contradicere. Ita autem faciunt Protestantes ergo.

CAPVT SEXTVM.

Quod Protestantes dicant grauissima pronunciata Scripturæ non esse dicta ex propria sententia.

SExtum argumentum erit; quià Protestantes coguntur dicere Scripturam non loqui ex propria sentētia & iuxta veritatem, sed secundum errorem aliorum; idque in multis ac maximis rebus: nempe de fide, de bonis operibus, de Sacramentis, de ipso medio salutis adipiscendæ, & similibus.

Si enim probemus malos posse habere fidem, quia Iacobus cap. 2. v. 18. ait ad talem: *Tu fidem habes.* Et v. sequ. *Tu credis, quòd Deus vnus est, Benè facis,* respondet Caluinus ibidem in v. 14. *Meminerimus eum non ex proprio animi sensu loqui, quoties hic fidem nominat.*

Si probemus obseruationem mandatorum necessariam

esse ad salutem, quia Christus Matth.19.v.17. ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: respondet Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 12. pag. 812. *Dominus ad opera legis eum remittit, non quòd sentiat hanc salutis viam esse possibilem; sed vt hypocrisin eius confundat.* Et Brentius apud eundem ibid. lib. 4. cap. 2. pag. 965. & apud Gerlachium to. 2. disput. 13. pag. 503. inquit: *Christus sic respondit, vt potius ei indicauerit viam ad æternam damnationem. Quæ responsio* (ait Paræus loco cit. pag. 967.) *non minus vera est, quàm illa Apostoli sententia: Euacuati estis à Christo, qui per legem iustificamini.*

Christus non sentit vt loquitur.

Si probemus iustitiam esse necessariam ad salutem, quia Matth.5.v.20. dicitur: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: respondit Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 2. pag. 964. *Non quod hæc* (iustitia interna) *discipulis vel vlli hominum esset possibilis: vel quòd vellet Christus ex hac via regnum Cælorum quærere. — Sed vt agnita legis ἀκρίβεια, sua autem ἀδυναμία, inuiam legis viam declinarent, & vitam in Euangelio quærerent.*

Christus non vult quod dicit.

Imo Ochinus apud Schusselburg. lib.1. theol. Caluin. artic.23. fol.125. in dubium vocat num Christus dixerit ea verba quæ voluit dicere, ait enim: *Respondemus: fieri posse, vt cum Christus dixerit: Hoc est corpus meum, dicere voluerit: Hic panis significat corpus meum.*

Voluit aliter dicere quã dixit.

Sæpe etiam aiunt, quòd Scriptura loquitur per concessionem: nam ita Caluinus in Iacobi 2. vers. 14. cit. *Quod ipse fidem appellat, concessio est.* Et 3. Institut. cap.17. §.11. *Quod fidem nominat Apostolus, inanem opinionem procul à veritate fidei dissitam, concessionis est.* Beza in locum Iacobi cit. *Illam Iacobus per concessionem, ne de verbis litigare videatur, fidem vocat*: Sic etiam Illyricus ibidem, & alij.

Iacobus loquitur per concessionẽ.

Kemnitius in Locis parte 2. tit. de Argumentis pag. 94. ait quòd in illis dictis: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Qui fecerit hæc, viuet in eis, Fac hoc & viues: Factores legis iustificabuntur, Proposui vobis vitam & mortem: *Christus & Paulus per concessionem respondent.*

Item Christus & Paulus.

Si probemus sacramenta nouę legis præstare sacramentis veteris, quia Apostolus in Epist. ad Hebræos multis illa istis

præfert: respondet Caluinus 4. Institut. cap. 14. §. 25. *Hoc maximè obseruare conuenit, in his omnibus locis Paulum non simpliciter, sed per contentionem loqui. — Meminerimus ergo hic de cæremonijs, non in sua vera & natiua significatione acceptis, sed ad falsam prauamque interpretationem detortis, non de legitimo eorum vsu, sed de superstitionis abusu disputari.* *Per contentionem.*

Si probemus, quòd possumus nos mundare à peccato, quia 2. Corinth. 7. v. 1. dicitur: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* respondet Caluinus 2. Institut. cap. 5. §. ij. *Per concessionem ad nos transfertur, quod in Deum competit.* *Per concessionem.*

Si probemus esse aliquos quibus redditur vita æterna secundum patientiam boni operis, quia Romanor 2. v. 7. dicitur: *Reddet vnicuique secundum opera eius: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam*: Respondet Beza in illum locum. *In hac δικαιοκρισίας descriptione, dicitur istud ab Apostolo per concessionem.* *Per concessionem.*

Si probemus esse aliquos qui seruant legem, quia dicitur Rom. 2. v. 26. *Si ergo præputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur?* respondet Beza ibidem: *Hæc ab Apostolo dicuntur per concessionem, vt paulo ante quoque annotauimus. v. 9.* *Per concessionem.*

Nonnunquam etiam coguntur dicere Scripturam loqui ad mentem, captum, seu errorem aliorum, non pro rei natura. Caluinus enim 3. Institut. cap. 18. §. 9. ita respondet ad illud Matth. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi serua mādata. *Quasi verò non constet Christum ijs responsa sua attemperasse, quibuscum negotium sibi esse videbat.* Et Polanus in Disput. priuat. 38. pag. 103. *Locus iste in quo Christus mandat vt seruentur præcepta legis, est intelligendus κατ' τι, nempe ex hypothesi Adolescentis.* *Christus attemperat sua responsa alijs.*

Lutherus in Galat. 2. tom. 5. fol. 317. inquit. *Per nimium zelum & indignationem spiritus, Paulus ipsam Gratiam appellat legem: cum tamen reuera aliud nihil sit, nisi summa & infinita libertas in Christo.* *Paulus per indignationem vocat Gratiam legem.*

Beza in Dialogo contra Heshusiū vol. 1. Theol. pag. 285 & 305. scribit, quòd *Apostolus in tota illa tractatione* (de veteri- *Loquitur ex hypothesi aduersariorum.*

bus sacramentis) *ex aduersariorum hypothesi, cæremonias seorsum à Christo & per se considerat.* Similiter Tilenus in Syntagmate cap. 57. pag. 666. Author vero Gratiani Antiiesuitæ in to. 6. doctrinæ Iesuiticæ parte 2. pag. 3. ita loquitur: *Iuxta impiam hanc hypothesim, Scriptura contemptim de Sacramentis loquitur, & circuncisionem, alibi præputium, alibi concisionem, alibi inutilem, mannam quoque minime viuificum panem vocat.*

Loquitur iuxta impiam hypothesin.

Si probemus legis obseruationem necessariam esse ad vitã, quia Christus ait Lucæ 10. vers. 28. *Hoc fac & viues*, respõdet Caluinus ibidem in vers. 26. *Christum de acquirenda salute prout rogatus fuerat, hic loqui: neque enim plane, (sicut alibi) docet quomodo ad vitam perueniãt homines — Christus in hoc responso sese accommodauit ad legisperitum, & rationem interrogationis habuit.*

Christus nõ docet plane.

Si probemus Eucharistiam esse nobiliorem cibum quàm fuit manna, quia Christus inquit Ioan. 6. v. 27. *Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Respondet Caluinus 4. Institut. cap. 14. §. 25. *Christus sermonem accommodat crassæ eorum* (Capharnaïtarum) *opinioni.* Idemque habet in Ioan. 6. v. 50.

Accommodat sermonem crassæ opinioni aliorum.

Si probemus Eucharistiam esse maioris virtutis, quàm fuit manna, quia Christus dicit Ioannis 6. v. 58. *Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* respondet Caluinus 2. Institut. cap. 10. §. 6. *Dominus, qui sermonem habebat ad auditores qui tantum ventris alimento quærebant saturari, verum animæ cibum non curabant, ad eorum captum orationem aliquantum attemperat, præsertim verò comparationem mannæ & corporis sui pro eorum sensu statuit.* Et in 1. Corinth. 10. v. 3. *Christus auditorum sensui accommodat orationem suam. Videmus Dominum illic non pro rei natura, sed potius ex sensu auditorum loqui.*

Non loquitur pro natura rei.

Si probemus Christum aliquid addidisse ad rigorem legis, quià ait Matth. 5. v. 21. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides &c: Ego autem dico vobis, quià omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* &c. respondet Caluinus in hunc locum: *Adducit quidem Christus legis verba, sed se ad communem vulgi captum accommodat.*

Accommodat se captui vulgi.

Brentius homilia in Dom. Quasi modo p. 503. *Quod Ioãnes dicit: Præcepta Dei non esse grauia, primum intelligitur ciuiliter, quia multò facilius est ciuilem honestatem exercere, quàm scelera designare.*

Si hortemur ad agendum pœnitentiam in cilicio & cinere, qui à Christus ait Matth. 11. v. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent*: respondet Caluinus in eum locum: *Pænitentia ab externis signis describitur, quorum tunc solemnis erat vsus in Ecclesia Dei, non quòd in hanc partem insistat Christus, sed quia se ad vulgi captum inflectit.*

Inflectit se ad captum vulgi.

Si probemus propter donationem omnium bonorum pauperibus nos habituros vitam æternam, quià Christus ait Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* respondet Beza ibidem; *Hæc Christi verba, non in quo posita sit per se vita æterna, declarant: sed huc spectant, vt istum falsæ suæ iustitiæ spe deceptũ redarguant.* Et Caluinus in v. 20. *Responsio Christi ad hominis ingenium directa fuit.* Gerlachius to. 2. disput. 13. pag. 502. inquit *Accommodauit Dominus locis allegatis* (Matth. 19. si vis vitam ingredi serua mãdata, & Lucæ 10. Hoc fac & viues) *respõsionẽ suã iis, qui eũ interrogabãt, fascinatis nimirũ opinione iustitiæ legalis & opinionibus* Pharisaicis. Et p. 504. *Christus erroribus illis respõsionẽ accõmodare facile potuit.* Illyricus etiã in Claue Scripturæ part. 2. tract. 1. col. 32. ita scribit: *Aliter Christus monstrat viã ad Regnum cælorum Pharisæo ac leguleio ac illi iuueni de præstita legi tumenti: aliter* Nicodemo *de sua disciplina ac longo tempore comparatis bonis habitibus, ac naturæ ac liberi arbitrij bonitate tumenti: ac iterum aliter ad miseros peccatores cum sua conscientia ac ira Dei ac peccatis luctantes.*

Dirigit responsum ad ingenium hominum.

Accommodat sermonem fascinatis hominibus.

Erroribus aliorum.

Aliter monstrat viam ad cælos alijs & alijs.

Author Responsionis ad Theses Valentianas pag. 800. ita loquitur: *Vt concedamus, in sacris literis sæpe nouo testamento iustificationem, detractam veteri, attribui: tamen nemo non videt hoc dictum esse ab Apostolis ex hypothesi Iudæorum, qui (vt etiam* Papistæ *solent) de veteri testamento vt de lege disserebant, quæ iustitiam ex operibus conferret*: Et pag. 813. *In eo fallitur Gregorius, qui existimet ex disputatione Pauli consequi præputium legem ser-*

Scriptura loquitur ex hypothesi Iudæorum.

uare posse, quod quidem hypotheticè assumpsit Apostolus: minimè quidem tanquam in rerum natura esset aut etiam esse posset, verùm vt ostenderet suam gloriationem de lege, circumcisione, reliquisque cæremonijs omnibus admodum esse inanem.

Simile etiam huic est, quòd sæpius dicant Scripturam mimeticè seu ad imitationem aliorum loqui: prout referemus capite sequenti.

Nec contenti tot tantasque Scripturæ sententias hoc modo elusisse, tradunt regulam generalem ita eas eludendi: Sic enim scribit Caluinus in 1. Corinth. 10. v. 3. *Scripturæ mos est, cum de Sacramentis aut alijs rebus disserit, interdum pro captu auditorum loqui: atque ita non rei naturam respicit, sed quid perperam sentiant auditores.* Et in Ioan. 6. v. 32. *Respondeo Christum pro captu eorum loqui, quibuscum negotium habet: Neque hoc Scripturæ insolens est.* Et lib. de Prædestinat. pag. 713. *Scriptura cum de Sacramentis disserit, bifariam loqui solet; Si cum Hypocritis agit, ex peruerso eorum sensu veritatem à signis separat, &c.* Et Petrus Martyr in locis Classe 2. cap. 16. §. 14. *In sacris literis, quandoque tractatur de rebus prout est earum natura, interdum vero quatenus de illis existimant homines cum quibus agitur: Paulus de Sacramento veterum ita scribit vt fuit eius natura, & vt à Deo concessum erat: Christus verò iudicium & ingenium respicit illorum hominum qui ad se venerant;* Idque repetit in 1. Corinth. 10 fol. 126. Polanus etiam in disput. priuat. 32. pag. 57. *Deus sæpe loquitur ex opinione illorum cum quibus loquitur: Sic dicuntur iusti in Scriptura qui reuera non sunt iusti, sed ex opinione duntaxat vel sua ipsorum vel aliorum.*

Scriptura interdum non respicit naturam rei sed errorem aliorum. Loquitur ex peruerso sensu aliorum & veritatem à signis separat. Christus nō loquitur de Sacramento vt fuit eius natura. Deus sæpe loquitur ex opinione aliorum.

Demum dicunt, quòd Scriptura multis in rebus loquitur more humano: Nam si probemus, quòd Eleemosynæ rependatur merces, quia dicitur Lucæ 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Caluinus ibidem respondet: *Christus humano more loquitur.*

Si probemus, quòd aliqui sunt verè iusti, quia Matth. 1. v. 19. dicitur: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus*, respondet Illyricus in hunc locum: *Iustus hic dicitur more communi, id est, probus & probitatis studiosus.*

Scriptura loquitur more humano. More communi.

Si pro-

Si probemus Deum quibusdam dare sufficientia media salutis, qui tamen non saluantur, quià dicit Isaiæ 5. v. 4. *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* respondet Paræus lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. ij. pag. 130. *Loquitur non vt Deus, sed humano more vt vinitor.* *More humano.*

Si probemus Dominum mercatum esse etiam eos qui ipsum abnegant, quià ita apertè dicitur 2. Petri 2. v. 1. respondet Grossius Professor Basileensis in Apologia pro disputat. Inaugurali pag. 457. *Dominus dicitur mercatus tales, tum iuxta consuetudinem S. Scripturæ, quæ quotquot baptizati sunt & Christo nomen dederunt, iuxta iudicium charitatis redemptos, sanctos, & à peccatis mundatos dicit, licet non omnes sint tales coram Deo: tum etiam sui ipsorum opinione & gloriatione: Nam quos reuera Dominus mercatus est, illi cum non abnegant.* *More humano, non vt sunt reuera.*

Zuinglius in expositione fidei to. 2. fo. 558. sic scribit: *Non merentur opera, cum autem operibus mercedem* (Scriptura) *promittit, humano more loquitur — Cum homines ijs dent qui sunt benè meriti, & quæ dantur, merita appellentur, iam Deus sua quoque dona mercedem aut præmium appellat.* Idemque habet Bullingerus in Roman. 2. pag. 16. Et Reineccius to. 4. Armaturæ c. 7. inquit, quòd ea verba Angeli, Tobiæ 12. *Ego obtuli orationẽ tuam Domino, dicuntur humano more: Etenim opus non est, vt Angeli preces nostras Domino offerant, quia non Deus de longè.* Hæc & huiusmodi alia multa Protestantes: cuiusmodi effugia si admittantur, nihil omnino ex Scriptura certò probari poterit. *More humano non vero.*

Ex omnibus autem in hoc capite recitatis, sic formò sextum argumentum: Qui non solum in ducentis quinquaginta articulis expressis Scripturæ verbis in manifesto eorum sensu contradicunt: verùm etiam in multis maximisque sententijs coguntur dicere, quòd Scriptura non loquitur ex proprio sensu, non ita sentit vt loquitur: non ita vult vt loquitur: quòd loquitur per concessionem & contentionem, iuxta mentem, captum, errorem, crassam opinionem auditorum, & humano more, non pro rei natura, ij cen-

sendi sunt vero sensui Scripturæ contradicere. Protestantes sic faciunt: ergo.

CAPVT SEPTIMVM.

Quod grauissima Scripturæ pronuntiata cogantur asserere esse dicta ironicè, mimeticè, hyperbolicè, per fictionem.

SEptimum argumenti genus inde desumemus, quòd multa Scripturæ pronuntiata, eaque de rebus grauissimis, nimirum de fide, de bonis operibus, de Sacramentis, de redẽptione peccatorum, de medio acquirendi salutem æternam & similibus, Protestantes cogantur asserere non esse serio & accuratè dicta; sed ironicè, mimeticè hyperbolicè, per fictionem & amplificationem.

Mandata dicuntur fieri, ironicè.

Si quis enim probet præcepta Dei posse fieri, quia Leuitici 18. Rom. 10. & Galat. 3. dicitur: *Qui fecerit ea, viuet in illis:* respondet Lutherus in Galat. 3. to. 5. fol. 347. *Istam particulam intelligo esse ironiam.*

Ironice.

Si quis idem probet, quia Christus ait Lucę 10. v. 26. *Hoc fac, & viues*: respondet idem Lutherus loco citat. *Accipio istum locum in genere, vt hoc dictum Christi: Hoc fac & viues, vt sit quædam ironia & irrisio: Ia Thue es nur.* Et Poach apud Schusselburg. to. 4. Catalog. hæret. pag. 301. *Etsi legisperitus de vita æterna interroget, tamen si responsio Christi legaliter, hoc est, sine fide* (speciali Protestantium) *intelligitur, sine ironia, vita, non potest exponi de vita æterna.* Et pag. 302. *Non nego responsum Christi de vita æterna intelligi posse, non legaliter, sed alio modo: videlicet aut per Euangelium, aut ironicè.* Item: *Potest illud dictum & similia tribus modis exponi. Primò per ironiam, vt Lutherus facit Genes. 9. & Galat. 3. Secundò legaliter &c.* Et Gerlachius to. 2. disput. 13. pag. 506. *Subest tacita ironia Christi.*

Dicuntur seruanda ironice.

Si probemus mandata necessariò esse seruanda, quià Christus ait Matthæi 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 2. pag. 907. ait: *Lutheri ironia* (de hoc loco) *defendi potest.* Et pag. 969. *Serium quidem fuit colloquium, ironiam tamen adspersam fuisse à Domino, nihil im-*

pedit. Gerlachius etiam to. 2. disput. 13. cit. *Serium fuit colloquium, & tamen ironia occultè subest.*

Si probemus malum hominem posse habere fidem, quia Iacobus cap. 2. ita loquitur ad talem: *Tu fidem habes. Tu credis quoniam Deus vnus est: Benè facis*: respondet Caluinus ibidem in v. 18. *Multum in ea fallitur* (Erasmus) *quod ipse ironiam in his verbis non agnoscit: locutio est ironica.* Et Beza ibidem: *Quod sequitur: Tu fidem habes, ironicè dictum est.*

Malus dicitur habere fidem ironice.

Si probemus bona opera mundare à peccato, quià Christus inquit Lucæ 11. v. 41. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*: respondet Vallada in Apologia contra Episcopum Luzonensem cap. 22. pag. 300. *Christus longè abest à docendo, quòd per eleemosynam redimantur peccata, vt è contra irrideat & reprehendat Pharisæos, quod habuerint hanc opinionem*: Et Apologia Confess. Augustanæ cap. de Respons. ad argumenta: *Sunt nonnulli qui ironiam esse interpretantur: Hæc interpretatio non est absurda, neque quicquam habet quod pugnet cum alijs Scripturis.* Petrus Martyr in Rom. ij. pag. 518. *Hæc verba: Date Eleemosynam &c. tribus modis exponi possunt. Primus modus est, vt statuamus orationem esse ironicam.* Idq; repetit in locis Classe 3. cap. 4. §. 34. Aretius etiam in locis parte 1. fol. 90. inquit: *Alij sententiam hanc Christi ironicè maluerunt accipere.*

Eleemosyna dicitur mundare ironice.

Si probemus peccata eleemosynis esse redimenda, quià dicitur Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* Schusselburg. to. 8. Catal. hæret. pag. 524. ait: *Sunt qui locum ironicè intelligant*, Neque ipse id reprehendit.

Eleemosyna dicitur redimere peccata ironice.

Si quis probet posse seruari mandata, quia Lucæ 18. v. 22. homini dicenti se omnia mandata seruasse, Christus non contradicit, sed inquit: *Adhuc vnum tibi deest: Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus*: respondet Beza in hunc locum: *Imo omnia: cum ne vnum quidem præceptum posset quisquam, ita vt præscribit lex, obseruare. Loquitur ergo Christus sancta quadam ironiâ.*

Mandata dicuntur seruari ironice.

Si probemus peccatorem habere liberum arbitrium seu potestatem se conuertendi, quia Deus ait Oseæ 5. v. vltimo: *Vadens reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis fa-*

Dicimur habere potestatem nos conuertendi ironice.

cium meam: respondet VVitakerus ad Rationem 9. Campiani pag. 43: *Quæ quidem ironicè & mimeticè dixit*: Vides in quot quantisque rebus, Christum, & Deum ipsum, quando contra ipsos loquuntur, velint ironicè loqui: quod est reuera Christum & Deum ipsum irrisores facere, imò ipsos irridere. Sed præterea videamus, quomodo dicant Deum mimeticè loqui.

Fides dicitur opus mimeticè. Si quis probet fidem esse opus, quià Christus ait Ioan. 6. v. 29: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum*: respondet Beza in eum locum: *Fortasse hoc dicendi genus petitum est è medio, & per mimesim explicandum, velut si quis ad medicum accedens ab eo petat, quanta accepta pecunia velit sibi remedium afferre, & medicus his verbis respondeat: Omnis pecunia, quam à te peto, hæc est, vt mihi confidas & tibi persuadeas me nihil aliud quam salutem tuam quærere: Si medicus (inquam) ita respondeat, quis ex hoc responso eliciat pecuniam esse istam confidentiam, quam medicus ab ægroto flagitat vt sanis consilijs obsequatur. Sunt ergo planè ridiculi (vt alios parologismos omittam) qui ex hoc loco eliciunt fidem esse opus.* Et Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 16. pag. 270. *Fides impropriè opus appellatur: Christus enim fidem in se vocat opus Dei ex ore interrogantium Iudæorum: Quid faciamus vt operemur opera Dei? respondet mimeticè: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.* VVitakerus etiam lib. 8. contra Duræum sect. 88. *Fidem Christus opus dixit, vel mimeticè, vel quià opus est Spiritus sancti.*

Si probemus fidem de qua loquitur Iacobus cap. 2. esse iustificantem fidem, quia ibidem v. 24. ait: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* hoc est, homo iustificatur ex fide, sed non tantùm ex fide: respondet Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 18. pag. 1157. *Antithesin (& non ex fide tantùm) addit per mimesim hypocritarum: Iustificamur ex fide tantum: Falsum (inquit) hoc esse videtis.*

Fides dicitur iustificare mimeticè.

Caro Christi dicitur cibus mimeticè. Si probemus carnem Christi verè comedi, quià ipse Ioannis 6. ait: *Caro mea verè est cibus*: respondet Zuinglius in Exegesi to. 2. fol. 333. *Mimesim Iudæorum pulchrè seruat, qui nihil aliud quàm nudum hominem eum aut existimabant aut saltem existimare videri volebant. His velut opprobrans errorem, dicit: Carnem suam verè esse cibum.* Idemque habet in Ioannis 6. to. 4. pag.

308. Et fol. 334. καθ' ἰθολογίαν & mimesim, quæ alleoseos species sunt, hoc est per imitationem, qua iuxta sermonem ac opinionem hostium suorum loquebatur, carnis verbo vtitur & spiritum intelligit, hoc est, diuinitatem suam, quoties carni vitam tribuit.

Si probemus esse duo testamenta, quia dicitur Galat. 4. *Hæc enim duo sunt testamenta, vnum quidem &c.* respondet Zuinglius in Elencho to. 2. fol. 31: *Vnum testamentum vocat Paulus, non quod testamentum verè esset, sed per æthologiam aut mimesim istorum qui sic vocabant.* Et addit: *Qui vmbras, vt crassum est hominum ingenium, tenacius amplexi sunt, quàm par est, lucem maluerunt amittere quàm tenebras: ei furioso non perinde dissimiles, qui grauiter querebatur quòd amici laborauissent, vt sibi restitueretur. Ad horum ergo morem dicit Paulus duo esse testamenta:* Vide, vt dicat Apostolum loqui more hominis furiosi. Idem Zuing. in Ioan. 6. t. 4. p. 305. Cum Christus fidē vocat opus, ait quod *ludit in dictione opus, vocat autem fidē opus, quòd ipsi ad opera respiciebant: Sic in epistola ad Rom. & Gal. vocat Gratiam, legem spiritus, per imitationem.* Et ibidem pag. 311. inquit: *Cum tribuit vitam carni, καθ' ἠθολογίαν & mimesim, hoc est, per imitationem & hostium suorum consuetudinem ac morem loquitur Christus, carnis vocabulo vtens, spiritum intelligit, hoc est, diuinitatem suam, quoties carni vitam tribuit.* In Matth. 19. pag. 107. in illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Perstat Dominus in mimesi, & ad mentem adolescentis orationem suam attemperat, qui Pharisaico more putabat legis operibus iustificationem & vitam æternam acquiri posse.* Et in Iacobi 2. p. 549. ait, quòd cum Iacobus fidem sine operibus vocat fidem, *per mimesim loquitur, eos imitatus qui de mortua fide; quæ tamen fides non est, tanquam de viua & vera gloriabantur.*

Illyricus in Claue Scripturæ tractat. 4. col. 332. scribit, quòd *per mimesim Euangelium vocatur lex fidei Romanos 3. & fides opus Ioannis 6. & similiter (inquit) dicitur: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*

Si probemus ea quæ habentur in libro Sapientiæ, dicta esse à Salomone, quia oratio ad Deum quæ habetur cap. 9. non potest vlli alteri conuenire: respondet VVitakerus controuers. 1. qu. 1. cap. 12. *Id mimeticè per imitationem fieri potuit à*

Dicuntur duo testamenta mimetice.

Caro Christi dicitur viuificare mimetice.

Mandata dicuntur seruanda mimetice.

Fides sine operibus dicitur fides mimetice.

Euangeliū dicitur lex mimetice.

Auctor Sapientiæ loquitur ad Deum mimetice.

Scriptore, quisquis fuerit: Similiter respondet Rainoldus in prælectione 20. & 21. Ac si mimeses, quæ fundantur in falso, idque in oratione ad Deum ipsum, admittendę essent in Scriptura. Quid hoc aliud esset, quam Scripturam imitari alios in falsitate, idque cum ad Deum ipsum loquitur. Sed iam de hyperbolis Protestantium pauca videamus.

Fides dicitur transferre montes hyperbolice.

Si probemus eum qui habet fidē posse trāsferre mōtes, quia Christus ait Matthæi 17. v. 20. *Si habueritis fidem sicut granum Sinapis, dicetis monti huic transi hinc illuc, & transibit:* respondet Caluinus ibidem in v. 19. *Certum quidem est hyperbolicam esse loquendi formam, cum fide pronuntiat transferri arbores & montes.* Idem ait Illyricus in hunc locum.

Eleemosyna dicitur liberare à peccato hyperbolicè.

Si probemus Eleemosynam liberare á peccato, qui à dicitur Tobiæ 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat:* respondet Vallada in Apologia supra citata pag. 304. *Hic modus loquendi Tobiæ est hyperbolicus.* Et Apologia Confessionis Augustanæ cap. de respons. ad argumenta: *Non dicemus hyperbolem esse; etsi sic accipi debet, ne detrahat de laudibus Christi, cuius propria sunt officia liberare à morte & à peccato.*

Vita dicitur dari precāti hyperbolice.

Si probemus hominem suis precibus posse procurare vitam alteri, quia dicitur prima Ioannis 5. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem:* respondet Caluinus ibidem: *Si de homine intelligas quod det fratri vitam, hyperbolica erit locutio.*

Deus dicitur promittere pręmia operibus hyperbolice.

Si probemus Deum promisisse præmia bonis operibus: respondet Zuinglius lib. de Prouidentia cap. 6. tom. 1. fol. 371. *Ista sunt hyperbolæ & hyperochæ: si vis ad vitam ingredi serua mādata: Qui fecerit voluntatem Patris mei, &c. & quæcunque alia promissa nostris operibus facta sunt.* Hæc illi de hyperbolis Scripturæ in rebus grauissimis: & tamen Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 15. pag. 246. inquit: *Hyperbolen ego Scripturæ sacræ tribuere non audeo, cum dicat aliquid supra veritatem, & videatur species mendacij.* Idemque habet in Galat. 1. lect. 9.

Si probemus fidem posse esse sine charitate, quia Apostolus ait 1. Corinth. 13. vers. 2. *Si habuero omnem fidem, ita vt mō-*

tes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, respondet Petrus Martyr in illum locum: *Apostolus ad exaggerandã dignitatem charitatis per fictionem loquitur — Quis autem à Paulo hic non intelligit hyperbolicè agi?* Et in Rom. 11. pag. 532. *Cum Apostolus omnibus modis eueheret charitatem, amplificationem adhibere voluit à fictione.* Lutherus vero Postilla in Dom. Quinquagesimæ fol. 205. ait, quòd *Paulus posuit exemplum impossibile.*

Fides dicitur esse sine charitate, per fictionem.

Per impossibile.

Si probemus fidem posse esse sine operibus, quia Iacobus ait cap. 2, vers. 18. *Ostende mihi fidem tuam sine operibus*: respondet Caluinus ibidem: *Quod fidem sine operibus ostendere iubet, ab impossibili argumentatur.* Et in vers. 17. *Satis liquet, Apostolum ab impossibili ratiocinari.*

Fides dicitur esse sine operibus, per impossibile.

Si probemus viduas nubentes contra fidem datam, esse damnatas, *quia primam fidem irritam fecerunt*, vt loquitur Apostolus 1. ad Timoth. 5. v. 12. respondet Caluinus 4. Instit. c. 13. §. 18. *Apostolus amplificandi causa subiungit eas primam fidem violare ac irritam facere.*

Viduæ dicuntur primam fidem irritam facere per amplificationem.

In forma igitur sic propono septimum argumentum: Qui non solum in tot tantisque articulis talibus Scripturæ verbis, in tali sensu qualem diximus, contradicunt: sed etiam in multis magnisque materijs controuersis coguntur dicere Scripturam loqui ironice, mimeticè, hyperbolicè, per fictionē, per amplificationem, & per impossibile, ij censendi sunt genuino sensui Scripturæ contradicere: Sic autem faciunt Protestantes: Ergo.

CAPVT OCTAVVM.

Quod Protestantes cogantur vniuersalissima eaque grauissima Scripturæ pronuntiata mutare in particularia.

OCtauum argumentum, quo probabimus Protestantes contradicere germano sensui Scripturæ, inde desumetur, quod in plurimis, ijsque grauissimis controuersijs, nempe de Deo, de Christo, de Ecclesia, de Sacramentis, de fide &

similibus cogantur vniuersalissima Scripturæ dicta efficere particularia.

De Deo. *Omnes i. aliqui.* Si enim probemus Deum habere voluntatem miserendi omnium, quia dicitur Rom. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitatem: Vt omnium misereatur* respondet Beza in eũ locum: *Est vniuersalis particula restringenda*: nempe (vt inquit lib. de Prædest. contra Castel. pag. 360.) *Vt omnium, videlicet, qui crediderint.* Sic etiam respondet in Colloq. Montisbel. pa. 421. & in Respons. ad illud Colloq. pag. 216. & 223. Similiter respondet Caluinus 3. Institut. cap. 24. §. 17. Zanchius vero lib. de natura Dei cap. 2. tom. 2. col. 562. ait hunc locum, nec non illum: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, & similes, pertinere tantùm ad electos.* *Omnes i. aliqui.* Si probemus Deum misereri omniũ, quia Sap. 11. v. 24 dicitur: *Misereris omnium &c.* respondet Petrus Martyr in Rom. 9. pag. 416. *Sed facile patet de vniuersitate electorum hæc esse exponenda.* *Omnes i. aliqui.* Si probemus Deum habere voluntatem saluandi omnes, quia dicitur 1. ad Timoth. 2. vers. 4. *Omnes homines vult saluos fieri*: respondet Bucerus in Matth. 6 pag. 169. *Quod ait, cunctos: perinde est ac si dixisset, ex cunctis aliquot.* Et apud Zanchium lib. de Perseuerantia tom. 7. col. 343. *Locus 1. Timoth. 2. Vult omnes &c. & 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio &c. non potest intelligi nisi Synecdochicè pro multis, hoc est, electis.* Et pag. 344. *Certum est, locos qui salutem vniuersaliter promittunt, ad electos tantum pertinere.* Beza in Ioannis 6. v. 40. *Accipiendum est non pro vniuersali, sed pro indefinito enunciato.* Idque repetit lib. Quæst. & respons. volum. 1. pag. 684. Caluinus in hunc locum ait: *De hominum generibus, non singulis personis sermo est.* Idemque habet lib. de Prouidentia pag. 737. Perkinsus in serie Causarum cap. 52. tom. 1. col. 105. *Sciendum est, enunciatum istud, non generale, sed indefinitum esse, ideoque non de singulis hominibus intelligendum esse.* Similiter Martyr in Romanos 9. Piscator lib. 2. thesium & alij. Cæterùm iure Iacob. Andreæ in Colloq. Montisbel. pag. 418. inquit: *Impietas est, ab hac vniuersali promissione quenquam excludere.* *Nõ aliqui, sed omnes, soli electi.* Si idem probemus ex illis verbis 2. Petri 3. vers. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: respondet Beza in Colloq. Montisbel. pag. 422. & 2. parte Respons. ad Acta illius Colloquij pag. 231.

pag. 231. *Liquet Petrum solos fideles alloqui.* Zanchius lib. 5. de Natura Dei cap. 2. col. 564. *De electis tantùm intelligitur.* Et Bucerus in Matth. 6. pag. 169. *De ijs solis intelligendum est, quos, in hoc vt conuertantur & viuant, delegit.* At Iac. Andreæ in Colloq. cit. pag. cit. *Est hæc Petri sententia tam aperta, vt falsam hanc interpretationem nullo modo admittere possit.*

Si probemus Deum vocare omnes, quia Christus clamat Matth. 11. vers. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos,* respondet Beza lib. quæst. & respons. vol. 1. pag. 699. *At certe vniuersalis est vocatio & promissio. Indefinitam intellige, (& quidem certarum, de quibus diximus, circunstantiarum respectu) & rectius senseris. Nam alioquin vide, quàm necessarijs rationibus illa vniuersalis vocatio refutetur; Ergo ne vocatio quidem vniuersalis, sed duntaxat indefinita statui potest ac debet.* Vnde Iac. Andreæ in Colloq. Montisbel. pag. 421. *Horrendum auditu est, tam apertam vniuersalem particularem fingere.* *Omnes i. aliqui.*

Si probemus Deum odisse etiam fideles operantes iniquitatem, quia Psalmo 5. vers. 7. habetur: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*, excipiēt illud non intelligi de fidelibus, vt liquet ex ijs quæ retulimus lib. 1. cap. 1. artic. 9. *Omnes i. aliqui.*

Si probemus omnia possibilia esse apud Deum, quia sic dicitur Matt. 19. vers. 26. Beza contra Heshusiū vol. 1. theol. inquit. *Habet aliquam exceptionem tuum illud dictum: omnia esse Deo possibilia.* Hæc de Deo.

De Christo, si probemus eum esse mortuum pro omnibus, quia dicitur 2. Corinth. 5. v. 15. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus*: respondet Beza in illum locum. *Cum hic agatur de Ecclesia siue de solis electis vniuersaliter consideratis, necesse est τὸ καθ᾽ ὅλον ad id de quo agitur restringere.* Et Contrà Remonstrantes in collatione Hagæ pag. 131. *Illud, (Omnibus) quo dicitur Christus pro omnibus mortuus, explicatur non extendendum vniuersaliter ad omnes & singulos quosque nemine excepto, sed restringendum solummodo ad fideles.* Si probemus Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, quia ita habetur 1. Ioan. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*: respondet Zanchius *De Christo* *Omnes i. aliqui.* *Totus mūdus i. aliqui.*

in Summa Prælectionum to.7. col. 264. *Cum ait Christum esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi, non cogimur nomine mundi* (omittit Totius) *omnes homines in vniuersum intelligere.* Item: *Christus est ἱλασμὸς tantum pro peccatis electorum totius mundi.* Caluinus in hunc locum: *Neque enim aliud fuit consilium* Ioannis, *quàm toti Ecclesiæ commune facere hoc bonum,* Ergo *sub omnibus, reprobos non comprehendit.* Et Beza ibidem. *Mundi nomine* (omittit totius) *omnes omnium ætatum, ordinum, locorum, electi intelliguntur.* Si probemus Christum esse saluatorem omnium hominum, quia dicitur 1. ad Timoth. 4. v. 10. *Qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium.* Author respons. ad theses Vademontanas pag. 482. ait, quod *hoc ad solos pertinet electos.* Si probemus Christum vocare omnes peccatores, quia ait Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.* Piscator in thesibus lib. 2. pag. 193. inquit: *Quibus verbis promittit se refocillaturum, non omnes qui peccatis onusti sunt.* Et pag. 198, *Hæc promissio non facta est omnibus hominibus, sed solis ijs qui ad Christum veniunt.* Et Beza in Colloqu. Montisbel. pag. 421. *Matth. 11. compellantur omnes qui laborent & onerati sint, id est, sub peccatorum onere fatiscunt: quod certè ijs solis conuenit qui se peccatores agnoscunt, & ad eum confugiunt à quo subleuari posse sperant.*

Omnes 1. aliqui.

Omnes 1. aliqui.

De Ecclesia.

De Ecclesia: si probemus quòd non erret circa vllam veritatem fidei, quia dicitur Ioannis 16. v. 13. *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* VVitakerus controuers. 2. qu. 4. cap. 2. pag. 488. ita exponit: *Id est, omnem veritatem necessariam.* Et pag. 486. inquit: *Respondeo Christum & Spiritum S. docere Ecclesiam omnem veritatem simpliciter necessariam, sed sæpe relinquere errorem aliquem.* Similia habet Rainoldus thesi 2. Bucanus loco 41. & alij. Danæus verò Controuers. 4. pag. 632. Promissionem hãc Christi limitat ad solos Apostolos, dicens: *Propriè & verè hæc Christi promissio ad duodecim illos pertinet, quos tunc alloquebatur. Ergo est personale beneficium, quod ad alios quàm duodecim illos Apostolos extendi non debet.* Idem facit Molinæus in suo scuto pag. 51.

Omnes 1. aliqui.

Si probemus malos esse in Ecclesia quæ est corpus Christi, quia dicitur Rom. 10. v. 17. *Vnus panis, vnum corpus mul-*

Omnes 1. aliqui.

ti sumus, omnes qui de vno pane participamus: respondet Beza in dialogo contra Heshusium pag. 280. *Illud οἱ πάντες μετέχομεν, non potest ad impios vsque protendere.*

De Sacramentis: si probemus baptismum necessarium esse omnibus, quia dicitur Ioannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Paræus lib. 6. de Amiss. Gratiæ cap. 1. pag. 894. inquit: *Propositio est limitanda.* Et Sadeel ad Articulum 11. abiurat. pag. 428. excipit infantes. Si probemus, quod baptismus prosit etiam reprobis, quia Apostolus Galat. 3. v. 27. inquit: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Beza in eũ locum ait. *Additur (Quicunque) vt tollatur gentium, status, & sexus discrimen.* Et in 2. parte Resp. ad Acta Mõtisb. p. 62. *Vniuersaliter intelligi de singulis baptizatis, nulla prorsus rationis specie possunt.* Zuing. in Elench. t. 2. fo. 13. *Synecdochicè dictum est: Omnes eandem escam spiritalem comedisse, cum ij modò ederint qui spirituales erant.* Si probemus vinculum Matrimonij durare toto tempore vitæ coniugum, quia dicitur 1. Corinth. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus viuit.* respondet Petrus Martyr in hunc locum; *Cum scribit mulierem astrictam viro quamdiu vixerit, exceptio est addenda quam Christus habet, nisi adulterium incurrerit.* Beza vero in lib. de diuortiis vol. 2. Theol. pag. 87. ait *Apostolum respexisse quod ordinarium est, & ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidit, quasi præsupponentem inter fideles quibus scribebat, vix alia ratione quam morte, matrimonia dissoluenda.* Si probemus omnes ægrotos vngendos esse oleo, quia Iacobus ait cap. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini*, respondet Tylenus in Syntagmate cap. 58. pag. 677. *Quasi vero quæ indefinitè & communiter dicuntur, accipienda sint vniuersè.*

De Sacramentis. Quis 1. aliquis. Quicunque 1. aliqui. Vide August. lib. 5. de Baptismo cap. 25. Omnes 1. aliqui. Quanto tempore 1. aliquanto. Quis 1. aliquis.

De Fide si probemus, quod sit necessaria omnibus, quia dicitur Ioan. 3. v. 36. *Qui non credit, manet in morte.* Caluinus 4. Institut. cap. 16. §. 31. inquit *Christum illic non de generali reatu loqui, quo impliciti omnes posteri Adæ, sed tantum minari Euangelij contemptoribus, qui oblatam sibi gratiam superbè & contumaciter respuunt.* Si idem probemus ex illis verbis Marci vlt. v. 16.

De Fide. Qui 1. aliquis.

Qui non crediderit, condemnabitur, respondet Zuinglius lib. de Peccato originali to. 2. fol. 118. *Hoc nullatenus absolutè est intelligendum, sed de his qui audito Euangelio, credere noluerunt.* Si probemus nullam fidem valere sine charitate, quia dicitur primo Corint. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero, nihil sum*: respondet Caluinus ibidem. *Fides, de qua loquitur, est particularis.* Et Beza etiam ibidem: *Quod attinet ad πᾶσαν, non significat hoc in loco vniuersalem complexum specierum, sed istius speciei quandam perfectionem declarat, idest, totum potius quam omnem significat.*

Omnes i. aliqua.

De bonis operibus. Nunquam i. aliquando non.

De bonis operibus: si probemus quod Charitas nunquam excidit in Cœlo, quia dicitur 1. Corinth. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidet*: respondet Caluinus in illum locum. *Quid si excipiam charitatis perpetuitatem, cuius hic meminit Apostolus, post diē extremum fore, nihil pertinere ad tempus intermedium?* Et in cap. 1. Zachariæ vers. 12. *Officia charitatis scimus restringi ad cursum præsentis vitæ.* Si probemus Apostolum consulere omnibus cœlibatum, ex illis verbis suis 1. Corinth. 7. vers. 7. *Volo omnes homines esse sicut meipsum*: respondet Bullingerus in eum locum: *Vellem quidem omnes, qui scilicet castitatem simulant, Obserua* (inquit) *sinecdochen, & ab vxoribus discedunt, esse sicut ego sum*: Ita vt Apostolus solùm voluerit illos qui castitatem simulant & discedunt ab vxoribus, esse sicut seipsum. Si probemus continentiam dari omnibus petentibus eam, ex illa vniuersali promissione Christi Ioan. 16. v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: respondet Danæus controuers. 5. pa. 1038: *Illa generalis Christi promissio non legitimat (vt ita loquar) aut ratas facit coram Deo omnes petitiones nostras, & vota omnia, sed ea duntaxat quæ secundùm Dei expressam & patefactam voluntatem à nobis petuntur, non autem alia.* Et Perkinsus in Casibus Conscientiæ lib. 2. cap. 15: *Christi promissio de ijs quæ ad salutem necessaria, non de hisce donis specialibus intelligenda*: Sic etiam Martyr lib. de votis col 1437: Riuettus in Controuersijs tractat. 1. sect. 67. & alij. Si probemus orandum pro omnibus hominibus, quia dicitur 1. ad Timoth. 2. v. 1. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*: respondet Rainol-

Omnes i. aliqui.

Quid i. aliquid.

Omnes i. aliqui.

dus in Apologia thesium pag. 245. *Vbi iubemur precari pro omnibus: Vox (omnium) non singula generum designat, sed genera singulorum.*

De Peccatis: si probemus fidelem committentem graue peccatum fieri filium diaboli, quia dicitur 1. Ioan. 3. v. 8. *Omnis qui facit peccatum, ex diabolo est*: Respondet Scharpius de Iustificat. Controuers. 13. pag. 203: *Illi tantùm Diabolo inseruire eiusque filij esse dicuntur, in quibus peccatum regnat, & qui peccatum plena voluntate committunt: At fideles non ita peccant:* Eosdem fideles excipit Paræus de Iustificat. lib. 2. cap. 7. & lib. 4. cap. 17. Si probemus Dauidem quando homicidium perpetrabat, non habuisse in se vitam, quia dicitur 1. Ioan. 3. v. 15. *Omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem*: Protestantes ab hac sententia fideles electos excipiunt, vt patet ex ijs quæ retulimus lib. 1. cap. 15. art. 5. & 6. Si probemus omnes fornicatores non habere hæreditatē in Regno Christi, quia ita disertè dicitur Ephes. 5. v. 6. Scharpius de Iustificat. controu. 5. pag. 86. excipit fideles. Si probemus omnibus fidelibus timendum esse ne cadant, quia dicitur Romanor 11. v. 10. *Qui stat, videat ne cadat*: respondet Caluinus 3. Instit. cap. 2. §. 22. *Neque enim singulos homines admonet.*

De lege Dei: si probemus fideles posse seruare omnia præcepta, quia dicitur de Zacharia & Elizabeth, Lucæ 1. v. 6. *Incedebant in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Caluinus in eum locum inquit: *Respondeo Elogia ista, quibus tam magnificè ornantur serui Dei, cum exceptione sumenda esse.* Si probemus Iosiam seruasse totam legem Dei, quia 4. Reg. 23. dicitur: *Reuersus ad Dominum in omni corde suo, iuxta omnem legem Moysi*: respondet Hunnius in tractat. de Iustificat. pag. 170: *Quod additur (Iuxta omnem legem Moysis) respicit potissimum reformationem illam in cultu secundùm legem Moysis susceptam.*

De Peccatis. Omnis i. aliquis.

Omnis i. aliquis.

Omnis i. aliquis.

Qui i. aliquis.

De lege Dei. Omnia i. aliqua.

Omnia i. aliqua.

Vides Lector, quoties & in quot, quantisque materijs cōtrouersis vniuersalissimas Scripturæ propositiones, earumq; particulas vniuersales, tum affirmatiuas, vt *omnis, omnes, omnia, totus, qui, quis, quid, quicunque, quanto tempore*, tum negatiuas, vt *non aliqui, nunquam*, Protestantes, quando ijs aduer-

ſantur, ſubito in particulares tranſmutent: Quo iure, & quã verè id faciunt, tu iudica. Certè Iacobus Andreæ in Colloquio Montisbel. pag. 419. pronunciat: *Quòd manifeſta impietas eſt & doctrina abominanda, contra expreſſam literam ex promiſsione vniuerſali particularem facere.* Et pag. 421: *Horrendum auditu eſt, tam apertam vniuerſalem vocationem particularem fingere*: Ego autem ſic octauo loco in forma argumentor: Qui præter prædictam pugnam cum expreſſis Scripturæ verbis, coguntur in tot tantiſque materijs, tot taleſque vniuerſales propoſitiones Scripturæ mutare in particulares, ij cenſendi ſunt vero ſenſui Scripturæ contradicere. Ita autem faciunt Proteſtantes, Ergo: Eoque fortius hoc argumentum eos ſtringit, quòd ipſimet ita ſcribant: *Quotiescunque in Scriptura vniuerſale extat axioma, nulla diſtinctione id limitandum eſt, niſi illa certis & claris Scripturæ verbis nitatur, aliâs nullum non dogma diſtinctionum ſubtilitate eludi poſſet.* Ita Gerlachius to. 2. diſput. 24.

CAPVT NONVM.

Quod plurima & grauiſsima illimitata Scripturæ pronuntiata cogantur limitare.

NOnum argumentum ad probandum quòd Proteſtantes contradicant germano Scripturæ ſenſui, inde colligemus, quòd plurima illimitata Scripturæ pronuntiata de rebus grauiſſimis, nempe de Deo, de Chriſto, de Eccleſia & ſimilibus, coguntur limitare ac reſtringere.

Proteſtant. limitant pronũtiata Scripturæ de Deo.

Si enim probemus Deum non omnino tẽtare ad malum, quia Iacobi 1. v. 13. dicitur: *Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*: reſpondet Petrus Martyr in locis Claſſe 1. cap. 15. §. 9: *Iacobus, quando negat Deum tentare, non id prorſus inficiatur; ſed ea ratione, qua illi ſui temporis carnales Chriſtiani eum tentare aſſeuerabant, quaſi illi dum peccabant, culpa debuiſſent carere.* Caluinus in illum locum: *De tentationibus internis hic tractat, quæ nihil aliud ſunt quàm inordinati appetitus, qui nos ad peccandum incitant: Illarum authorem meritò Deum eſſe negat.* Si probemus Deum non omnino velle iniquitatem, hoc eſt, neque propter ipſammet, neque propter aliud, quia Pſal. 5.

v. 5. sine limitatione dicitur: *Non volens iniquitatem tu es*, dictum hoc limitant varijs modis: vt quod Deus nolit iniquitatem propter se: vel nolit verbo: vel non approbet, seu ea delectetur, vt patet ex ijs quæ retulimus lib. 1. cap. 1. artic. 1. Si probemus Deum ex seipso nolle mortem cuiusquam, quia Ezechiel. 33. v. 11. dicit: *Nolo mortem impij*. & cap. 18. v. 32. *nolo mortem morientis*, respondet Zanchius lib. 3. de Natura Dei cap. 4. qu. 4. to. 2. col. 264. *Si vrgeas verbum: Nolo mortem peccatoris, & Deum de suo beneplacito loqui, dico locum illum de solis electis intelligendum esse.* Beza parte 2. Respons. ad Acta Colloq. Montisbel. pag. 196. *Restrictio de conuersione, ostendit hoc intelligendum de ijs solis quibus datur conuersionis gratia; quæ certè est electorum propria.* Aliter restringit Lutherus lib. de seruo arbitrio to. 2. fol. 450. *Multa* (inquit) *vult Deus quæ verbo suo non ostendit sese velle: Sic non vult mortem peccatoris, verbo scilicet, vult autem illam voluntate illa imperscrutabili.* Piscator in thesibus lib. 2. pag. 187. *Propheta hic loquitur de improbo, non omni, sed eò tantùm qui conuertitur.*

Si probemus Deum velle conuersionem omnium peccatorum, quia sine limitatione dicitur Ezechielis 33. v. 11. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur & viuat.* respondet Caluinus lib. de Prædestinat. pag. 706. *Vitam Deus velle dicitur, qualiter & pœnitentiam, hanc autem vult quia verbo suo omnes ad eam inuitat: cæterum id cum arcano ipsius consilio non pugnat, quo non nisi electos suos conuertere decreuit.* Piscator in thesibus lib. 2. p. 236. ait, quòd *loquitur ibi Deus de impio qui conuertitur.* Si probemus Christum etiam quatenus Deus est, velle congregare eos qui nolunt congregari, quia absolutè dicit Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?* respondet Perkinsus de Prædestinat. to. 1. col. 157. *Dico Christum hic dici voluisse, non qua Deus est, sed vt minister circuncisionis.* Sic etiam Beza de Prædest. volum. 3. Theol. pag. 410. & parte 2. respons. ad acta Montisbel: pag. 169. Lutherus de seruo arbitrio to. 2. f. 451. & postilla in festo S. Stephani fol. 86. Bucanus loco 36. & alij. Si probemus Deum vocare etiam reprobos, quia sine limitatione dicitur Apocalyps. 3. v. 20. *Ego sto ad ostium, &*

pulso: respondet Perkinsus loco iam citato. *Hi ad quorum ostium stat Christus, sunt fideles & conuersi.* Si probemus Deum, etiam interna vocatione, vocare reprobos, quia sine limitatione dicitur Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos &c.* Isayæ 65. v. 2. *Expandi manus meas toto die ad populum incredulum.* Et cap. 5. v. 4. *Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ & non feci ei?* Et Prouerb. 1. v. 24. *Vocaui & renuistis.* Contrà Remonstrantes in Collatione Hagæ pag. 245. 246. & 251. hæc omnia limitant ad vocationem externam. Et Paræus lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 11. ad sola media externa: quo etiam modo Protestantes restringere solent illa verba Matth. 22. v. 14. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Si probemus reprobos resistere Spiritui S. etiam in ipsis loquenti, quia sine limitatione dicitur Actor. 7. v. 51: *Vos semper Spiritui S. restitistis.* Id limitant ad solam locutionem externam. Caluinus in hunc locum: *Resistere Spiritui S. dicuntur, qui eum in Prophetis loquentem contumaciter reijciunt, neque enim de arcanis reuelationibus hic agitur, quas Deus cuique intus inspirat, sed de externo ministerio.*

De Christo. Si probemus Christum non docuisse Apostolos omnia dogmata fidei, quia ipse ait Ioan. 16. v. 12. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: id limitant ad ritus seu disciplinam Ecclesiasticam. Beza in hunc locum: *Hæc de illis intelligenda sunt, quæ ad ipsius Apostolicæ functionis & Ecclesiarum constitutionis executionem pertinebant.* Si probemus Christum esse mediatorem omnium hominum, quia sine limitatione dicitur 1. ad Timoth. 2. v. 6: *Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*: Id limitant ad electos & fideles. Beza Epistola 28. *Falsum est, Christum etiam esse infidelium mediatorem.*

Hunnius de Iustificat. pag. 179. Illud Hebræos 5. v. 9. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis*, limitat ad obedientiam fidei.

De Traditionibus. Si probemus non scriptas traditiones fidei tenendas esse, quia sine limitatione dicitur 2. Thessalon. 2. v. 15: *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostrã.* Id limi-

Id limitant ad traditiones de ritibus. VVitakerus controu. 1. qu.6.cap.10. p.381. *Alij putant Paulum loqui de externis quibusdam rebus ac ritibus non valde magni momenti.* Et Academia Nemausiensis in Respons. ad Tournonios pag. 554. *Traditionis vocabulo in Apostolorum scriptis, intelligitur vel doctrinæ applicatio & ὀρθοτομία, vel rituum & disciplinæ constitutio.*

Si probemus Christum commisisse omnes suas oues Petro, quia sine limitatione dicit ei Ioan. 21. vers. 17. *Pasce oues meas*, respondet VVitakerus Controuers. 4. quæst. 2. cap. 4. pag. 573. *Christus oues Petro indefinitè commendauit, non has aut illas, sed nunc has nunc illas oues pascere.* Et Beza ibidem in vers. 15. *Siccine profanandum verbum Dei? certè non adiecit Christus πάντας neque πᾶσας, & notum est discrimen inter indefinitas & vniuersales enunciationes.* Quasi vero Protestantes non perinde limitarent propositiones vniuersales ac indefinitas, prout patet ex capite præcedenti. Adde quod, Caluinus in 1. Ioan. 3. vers. 3. ait: *Indefinita oratio tantumdem valet ac vniuersalis.* De S. Petro. De Ecclesia.

Si probemus Ecclesiam esse columnam omnis veritatis fidei, quia sine limitatione dicitur 1. ad Tim. 3. v. 15. *Columna & firmamentum veritatis*, respondet VVitakerus Controuers. 2. quæst. 4. cap. 2. pag. 485. *Veritas non simpliciter omnis, sed necessaria tantùm hoc in loco intelligitur.* Et Vorst. in Antibell. pag. 143. *Apostolus agit non de quauis veritate aliquatenus ad religionē pertinente, sed tantum de veritate salutari siue ad salutem scitu necessaria, idque conditionaliter, quandiu scilicet ipsa perseuerat esse vera Christi Ecclesia.* Si probemus Ecclesiam esse omni tempore infallibilem in fide, quia loco iam citato: sine limitatione ad vllum tempus, dicitur *columna & firmamentū veritatis*: respondet Petrus Martyr in locis Classe 4. ca. 4. §. 21. *Fateor, est quidem columna veritatis, sed non semper, verùm quando nititur verbo Dei.* Confess. Heluetica capite 17. *Non errat illa, quandiu innititur Petræ Christo & fundamento Prophetarum & Apostolorum*: Danæus Controuers. quarta pagina 717. *Locus Pauli agit de Ecclesia visibili, quæ quandiu est vera, in his terris est custos doctrinæ cœlestis*: Sic etiam

Vorstius loco iam citato. Bullingerus Decade 4. sermone 5. fol. 225 *Ecclesia non errat quando audit vocem sponsi & Pastoris sui.* Et Herbrandus in Compendio loco de Ecclesia pa. 499. ait quòd non errat, *quandiu retinet & sequitur verbũ Dei.* Si probemus Ecclesiam simpliciter in omnibus audiendam, quia Christus sine limitatione ait Matth. 18. vers. 19. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*; respondet VVitakerus lib. 1. de Scriptura cap. 12. sect. 1. pag. 143. *Ecclesiæ vocem audiri ipse Dei filius iussit, non tamen nisi Scripturas sonantem.* Sic etiam Controuers. 1. quæst. 3. cap. 3. & Controuers. 2. quæst. 4. cap. 2. Herbrandus in Compendio loco citato pag. 492. ait Ecclesiam esse audiendam *quandiu sonat doctrinam cælestem & incorruptam.* Molinæus vero in suo scuto pag. 84. hoc limitat ad lites inter particulares, non ad controuersias religionis. Idem facit Fieldus lib. 4. de Ecclesia cap. 4. & Hunnius in Colloq. Ratisbon. Sess. 6. Si probemus Ecclesiã docentem non posse errare, quia dicitur Isaię 59. vers. 21. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, &c.* respondet VVitakerus li. 1. de Scriptura cap. 11. sect. vltima pa. 133. *Non hæc docenti Ecclesiæ, sed toti Ecclesiæ, hoc est, electis promissio facta est.* Si probemus Ecclesiam militantem fore perpetuam, quia in Scriptura promittitur Christi Regnum fore perpetuum, respondet Danæus Controuers. 4. pag. 718. *Locos illos omnes & illis similes proprie pertinere ad Ecclesiam, quã Deus in Cœlis, non in his terris, colliget.* Si probemus Ecclesiam visibilem esse semper veram Ecclesiam, quia dicitur 1. ad Timoth. 3. vers. 15. *Columna & firmamentum veritatis*, respondet Danæus loco iam citato pag. 721. *Intelligat Ecclesiam visibilem tunc demum & tamdiu dici & esse veram Ecclesiam, quandiu in ea vox cælestis & Euangelicæ veritatis sonat.* Si probemus Ecclesiam esse semper visibilem, quia dicitur Isaiæ 61. vers. 9. *Fœdus perpetuum feriam eis, & scient in gentibus semen eorum & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus*, respondet Mortonus in Apologia parte 1. lib. 1. cap. 13. *Fœdus quidem perpetuum est, sed hic tam admirabilis eius successus non ita perpetuo vni-*

uersalis, sed ferè Apostolicæ ætati proprius. Si probemus Ecclesiam visibilem non errare, quia Matth. 16. v. 18. dicitur, quòd portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam: respōdet Molin. in suo scuto p. 49. quòd id non intelligitur *de Ecclesia vniuersali visibili, sed de Ecclesia electorū.* Sic etiam Auth. resp. ad theses Vadem. p. 487. Si probemus Ecclesiam cuiusuis tēporis esse audiendam, quia Christus sine limitatione ad vllum tempus iubet audire Ecclesiam Matt. 18. v. 17. Herbrandus in Compend. theol. loco de Ecclesia p. 494. id limitat ad Ecclesiam temporis Christi, dicens: *Non vniuersale est mandatum de Ecclesia omnium temporum, sed loquitur Christus de sua Ecclesiola pro conditione illorum temporum, quæ magistratu politico pio & qui membrum esset Ecclesiæ, tum carebat.*

Si probemus nulli licere prædicare nisi mittatur, quia absolutè dicitur Rom. 10. v. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* excipiunt vbi Ecclesia nondum extructa est, vel Pastores non rectè docent, vel omnia sunt confusa, vt liquet ex eis quæ retulimus l. 1. c. 6. art. 8.

Si probemus nulli licere inire matrimonium post diuortium, quia absque limitatione dicitur 1. Cor. 7. v. 11. *Iis qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus: Vxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, respondet Caluinus in hūc locum: *Hoc non est intelligendum de ijs quæ ob adulterium repudiatæ fuerint.* Alij alios casus excipiunt, vt ostendimus l. 1. c. 11. art. 6. Similiter limitant illud Matt. 19. v. 9. *Qui dimissam duxerit, mœchatur.* Nā ita Beza in Luc. 16. v. 18. *Loquitur Dominus de repudijs apud Iudæos vsitatis, inter quæ non potest numerari repudium ob adulterium.* Idem habet in 1. Corinth. 7. v. 11. Bucerus in Matth. 8. & alij.

Si probemus ab omnibus confitenda esse omnia peccata hominibus, quià Iacobus cap. 5. v. 16. absolutè ait. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, respondet Caluinus 3. Instit. cap. 4. §. 12. *Eiusmodi confessionem liberam esse oportet, vt non ab omnibus exigatur, sed ijs tantùm commendetur, qui ea se opus habere intelligent: Deinde ne ij ipsi qui illa vtuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata, vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur, sed quoad interesse sua putabant.* Confessio Heluetica ca.

14 limitat Iacobi verba ad ea sola peccata quæ committuntur in proximum.

De Fide. Si probemus omnes qui non credunt condemnandos, quià absolutè dicitur Marci vltimo v. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur:* respondet Zuinglius libro de Baptismo tom. 2. fol. 93. *Quis hominum tam stupidus, hebes, & cæcus est, qui non intelligat hæc Christi verba de ijs tantummodo dici qui audito Euangelio vel credunt, vel non credunt?* Musculus in locis tit. de Baptismo p. 337. *Non sunt eiusmodi sententiæ de fide ad infantes accommodandæ, quales sunt, Sine fide impossibile, &c.*

De bonis operibus. Si probemus Eleemosynam liberare à peccato tam præterito & præsenti, quàm futuro, quià Tobiæ 4. v. 11. dicitur: *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat.* Id restringunt ad peccata futura. Apologia Confess. Augustanæ capit. de Respons. ad Argumenta. *Concedimus* Eleemosynas *mereri multa beneficia Dei, & liberare, non à præsenti peccato, sed à futuro peccato, hoc est, mereri vt defendamur in periculis peccatorum & mortis.* Si probemus Eleemosynam purgare internè, seu purgare animam, quià sine limitatione dicitur: Lucæ 11. v. 41. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Id limitant ad mundationem externam. Petrus Martyr in Rom. 11. pag. 518. *Tertius modus* (exponendi hunc locum) *est magis, vt mihi videtur, appositus, Christus enim hortatur eos, vt animum, qui intus esset, purgarent. Id autem fit per fidem, Deinde quod ad externa attinet, addit: Date eleemosynam, & ita omnia erunt vobis munda.* Perkinsus de Casibus conscientiæ lib. 3. cap. 4. col. 1626. limitat illud dictum Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, &c.* ad illum solum hominem cui Christus loquebatur, & inquit: *verba illa mandatum personale & particulare complectuntur.*

De Peccato. Si probemus conceptum concupiscentiæ seu actum inuoluntarium illius non esse peccatum coram Deo, quià Iacobus ait, cap. 1. v. 15. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*, respondet Caluinus ibidem: *Neque enim disputat Iacobus quando incipiat nasci peccatum, ita vt peccatum sit ac reputetur coram Deo, sed quando emergat.* Illyricus in Claue Scripturæ parte

2. tractat. 6. colum. 545. inquit: *Sub pœna amissionis vitæ æternæ tenentur omnes bene operari & peccata vitare, legalis sententia est, & per Euangelion aut remissionem peccatorum corrigi, restringique potest, ac debet.* Itaque omnia præcepta de bene operando aut vitando peccata restringunt ad legem.

De lege. Si probemus obseruationem mandatorum esse absolutè necessariam ad vitam, quià Christus absolutè ait Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Limitant hæc verba ad certum modum ingrediendi, nempè (vt loquuntur) per legem, aut per bona opera, seu merita. Caluinus in hunc locum: *Colligemus legale hoc esse Christi responsum.* Et in Antidoto Concilij sess. 6. cap. 9. pag. 280. *Certè quisquis vitam æternam vult promereri, regulam habet sibi à lege præscriptam: Hæc fac & viues.*

Si probamus hominem cum gratia Dei posse se internè conuertere à malo ad bonum, quià absolutè dicitur Zachariæ 1. v. 3. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, id limitant ad conuersionem externam. Petrus Martyr in Rom. 11. pagina 525. *Non locutus est Propheta de interna iustificatione, verùm de exteriori conuersione ad bona opera.*

De Iustificatione. Si probemus nos non esse infallibiliter certos de remissione peccati seu pœnæ æternæ, quià absolutè dicitur Ioelis 2. v. 14. *Quis scit, si conuertatur* (Deus) *& ignoscat?* Idemque habetur Ionæ 3. v. 9. Kemnitius in locis parte 2. tit. de Argumentis pag. 97. hæc limitat ad remissionem pœnarum temporalium, dicens: *Tota Prophetæ concio eò tendit, vt agat de remissione temporalium pœnarum.* Similiter limitat multa alia scripturæ loca, in quibus remissio tribuitur operibus, ad solam remissionem pœnarum temporalium. Illud etiam Tobiæ 4. *Eleemosyna à morte liberat*, limitat ad mortem temporalem. Et pag. 99. Promissiones factas bonis operibus limitat ad quædam bona vel in hac vita, vel in futura, non vult autem eas extendi ad ipsam vitam æternam: Demum pagina centesima secunda, Vbicumque aliquis in scriptura petit, vt Deus se iudicet secundùm iustitiam suam, aut secundùm ipsam sibi retribuat, id limitat ad iustitiam causæ seu controuersiæ

quam habet cum aduersariis, non vult autem extendi ad iustitiam ipsi inhærentem.

De Beatitudine. Si probemus beatitudinem æternam dari ob rectè facta, quia Iacobus inquit cap. 1. v. 15. *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit*, id limitant ad beatitudinem huius vitæ. Schusselburg. tomo 8. Catalog. Hæreticor. pagina 497. ita respondet ad hunc locum: *Beatum esse, in sacris literis non vbique pro salute æterna accipitur, sed pro beatitudine in hac vita.*

De Magistratu. Si probemus conscientias nostras obligari particularibus iustis legibus Principum, quia dicitur Rom. 13. v. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, & versu 5. *Subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*: limitant hæc ad potestatem magistratus in genere. Danæus Controu. 5. pag. 1127. *Parere magistratui in genere, est de conscientia, sed huic vel illi magistratus legi obsequi omnino & in omnibus, non obligamur propter conscientiam.* Et pagin. 1132. *Mens Pauli in omnibus illis versiculis est hæc: vt eos damnet, qui magistratus in vniuersum authoritatem vel abolendam, vel aspernandam esse à piis docent.* Et Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. vltima. *Magistratui quoad genus parendum est propter conscientiam, quia generali præcepto iubemur magistratui parere: particulares tamen magistratuum leges nullum habent in conscientias dominatum.*

In forma igitur sic instituo nonum argumentum. Qui non solùm in tot tantisquè materiis, talibus Scripturæ verbis, & in tali sensu, qualem diximus, contradicunt: sed etiam tantum sibi arrogant, vt plurima maximaque Scripturæ illimitata pronuntiata audeant limitare, ij iudicandi sunt vero ac legitimo sensui scripturæ contradicere, Sic autem Protestantes agunt, ergo.

CAPVT DECIMVM.

Quod Protestantes cogantur multa absoluta Scripturæ dicta mutare in conditionalia.

DEcimum argumentum, quod conficiemus ad probandum Protestantes contradicere genuino sensui Scripturæ, erit, quia coguntur multa ac magna Scripturæ absoluta enunciata vertere in conditionalia.

Si enim probemus Deum absolutè nolle mortem peccatoris, sed potius eius vitam ac conuersionem, quia absolutè ait Ezechielis 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris sed magis vt conuertatur, & viuat* respondet Caluinus li. de Prædestinat. pag. 706. *Cum prophetica concio ad pœnitentiam hortetur, nihil mirum si Deum pronuntiet velle omnes saluos fieri, sed tales loquendi formas conditionales esse, ostendit mutua inter minas & promissiones relatio. — Ita promissiones quæ omnes ad salutem inuitant, non simpliciter nec præcisè quid in arcano suo consilio statuerit Deus, sed quid omnibus ad fidem & pœnitentiam adductis facere paratus sit, demonstrant.* *De Deo.*

Si probemus quòd portæ inferi nunquam præualebunt aduersus Ecclesiam, quia Matth. 16. v. 16. absolutè dicitur: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Besnagus libro de visibili & inuisibili statu Ecclesiæ cap. 8. pag. 130. & alij addunt conditionem, *modò non discedat ab officio suo & obedientia verbi Dei.* Si probemus Ecclesiam esse simpliciter infallibilem, quia 1. Timoth. 3. absolutè dicitur: *Columna & firmamentum veritatis*, respondet Vallada in Apologia contra Episcopum Luçonensem cap. 20. pag. 113. *Ecclesia visibilis non potest esse columna fidei, nisi quatenus fundata est super doctrinam Apostolorum* Et Vorstius in Antibellarm. pag. 143. *Apostolus agit conditionaliter, quandiu scilicet Ecclesia ipsa perseuerat esse vera Christi Ecclesia:* Academia Nemausiensis in Respons. ad Iesuitas Tournonios pag. 546. *Ipsa demum esto verax & fidelis Ecclesia, si ex αὐτοπίςῳ & indubitata veritate verum à falso dijudicarit.* Si probemus Ecclesiam esse simpliciter audiendam, quia Matth. 18. v. 17. dicitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Vitus in sua via ad Ecclesiam pa. 78. ait: *Sensus est,* *De Ecclesia.*

quod oporteat nos obedienter audire Ecclesiam, eique parere non simpliciter in omnibus, sed conditionaliter, quamdiu loquitur consentanea verbo Dei. Et author respons. ad theses Vademont. impress. Rupellæ. 1585. pag. 688. *Facilis est atque obuia responsio: Quandiu Ecclesia verbum Dei docet, audienda est, cum verò se à verbo Dei seiungit, nulla est eius auctoritas.* Cum Bellarminus afferret multos Scripturæ locos ad probandum quòd Ecclesia non possit deficere, respondet Vorstius lib. citat. pag. 139. *Quod in ijs tantùm conditionales quædam promissiones nobis proponantur, quibus æterna salus ac securitas aduersus Sathanam ac mortem &c. omnibus ac singulis fidelibus (nempe quatenus & quandiu tales fuerint, siue quatenus in vera fide perseuerauerint) ab ipso Deo promittitur.*

De lege. Si probemus quòd sint aliqui factores legis sicut sunt auditores; quia Paulus Rom. 2. v. 13. absolutè inquit: *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, respondet Caluinus in illum locum: *Hoc tantum valet præsens sententia: si ex lege iustitia quæritur, impleri legem oportere, quia in operum perfectione posita est legis iustitia.* Petrus Martyr ibidem pag. 55. *Quod dicit, hunc habet sensum*: Si *quis ex iustitia legis deberet iustificari apud Deum, oporteret vt is legem faceret*, & alibi: *Paulus eo loco nihil aliud voluit, nisi si iustitia petenda sit ex lege, non satis esse eam aut habere aut audire, sed oportere factis aut operibus eam præstare.* Et Pareus lib. 4. de Iustificat. cap. 14. p. 1102. *Dicit quidem Apostolus. Factores legis iustificabuntur: sed intelligit conditionaliter, si qui sunt.* Illyricus in sua claue parte 2. tract. 4. col. 409: ita scribit: *Roman. 2. Cum gentes ea quæ legis sunt fecerint: id est, si facerent.* Ibidem: *Hoc fac & viues, pro si feceris, viues.* Si probemus esse aliquos qui diligunt proximum & implent legem, quia Rom. 13. v. 8. dicitur: *Qui diligit proximum, legem impleuit*, respondet Caluinus in eum locum: N*on tradit Paulus quid faciant vel non faciant homines, sed sub conditione loquitur, quam nullibi adimpletam reperias.* Similiter si probes posse impleri legem, quia Galat. 6. v. 2. dicitur: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Caluinus inquit ibidem: *Quia nemo præstat omni ex parte quod requirit Paulus, ideo à perfectione absumus omnes.*

Si probemus cælibatum absolutè bonum esse, quia 1. Corinth. 7. v. 1. dicitur absolutè, *Bonum est homini mulierem non tangere*: Petrus Martyr in locis classe 3. cap. 7. §. 17. ait: *Videre debuerant, quæ de laudibus cælibatus Paulus habet, nunquam absolutè poni.* Si probemus virginitatem posse absolutè consuli hominibus, quia Apostolus. 1. Corinth. 7. v. 7. absolutè inquit: *Volo omnes homines esse sicut meipsum*, & v. 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* & v. 28. *Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem*: respondet Caluinus in v. 25. citat. *Quia res est lubrica & plena difficultatum (Apostolus) sub conditione semper loquitur.* & in v. 27. cit. *Hoc secundum membrum sub conditione debet accipi.* *De bonis operibus.*

Si probemus aliquos excidere à gratia, quia Apostolus Galat. 5. v. 4. ait: *A gratia excidistis.* Paræus in Galat. 1. lect. 7. ait *Apostolus id dicit conditionaliter.* & in cap. 5. v. 4. lect. 61. *Neque enim asseuerat Apostolus Galatas excidisse; sed minatur, siquidem velint iustificari lege, futurum vt excidant.* *De Iustificatione.*

Sic igitur decimo loco argumentor. Qui præter sæpe dictam pugnam cum tot ac talibus Scripturæ verbis, coguntur etiam multa ac magna Scripturæ absoluta pronunciata efficere conditionalia, censendi sunt vero Scripturæ sensui contradicere: Ita autem Protestantes faciunt. Ergo.

CAPVT XI.

Quod multa ac magna Scripturæ pronunciata causalia cogantur facere non causalia.

VNdecimum argumentum, quo probabitur Protestantes contradicere germano Scripturæ sensui, inde desumetur, quòd in multis ac grauissimis controuersijs causalia Scripturæ enuntiata cogantur facere non causalia.

Si enim probemus Christum exaltatũ esse propter humiliationem suam, quia Philipp. 2. v. 9. dicitur: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, respondet Caluinus in hunc locum: *Dictio illatiua (propterea) consequentiam hic magis significat quàm causam.* & 2. *Institut. cap.* 17. §. *vltimo*: *Facilis est* *De Christo.* *Propter.*

solutio: Paulum hic non disserere de causa exaltationis Christi, sed consequentiam duntaxat ostendit. Et Danæus controuers. 2. pa. 201. *Ordinem continuationemque sermonis ostendit particula διὸ, non autem causam propter quam.* Si probemus idem, quia Hebræ. 2. vers. 9. dicitur: *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*, respondet Caluinus ibidem: *Propter passionem mortis, tantundem valet, ac si dictum esset, Christum obita morte ad hanc gloriam, quam adeptus est, fuisse euectum — Medium enim (vt ita loquar) obtinendæ gloriæ tantummodo indicatur.*

Propter.

De bonis operibus.

Si probemus confessionem fidei esse causam salutis, sicut fides causa est iustitiæ, quia Roman. 10. vol. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, respondet Caluinus ibidem: *Ex eo colligi non debet, confessionem, salutis nostræ causam esse: tantum significare voluit quomodo salutem nostram Deus perficiat. Necessitas est perpetuæ consequentiæ, non quòd salutem confessioni ascribat.* Hunnius de Iustificat. pagin 186. ait, quòd *Confessio ad salutem, idem sit, quod Confessio salutis.* Quam esse corruptionem Scripturæ docent Ministri Electorales in Colloq. Aldeburg. pag. 295.

Ad

Si probemus obseruationem mandatorum, causam esse amicitiæ cum Deo, quia Ioan. 15. v. 14. dicitur. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Caluinus ibidem ait: *Non intelligit tãtum nos honoris proprio aliquo merito consequi, sed tantùm admonet, qua lege nos in gratiam recipiat & censere inter amicos suos dignetur.*

Si.

Si probemus dimissionem peccatorum nostrorum pendere à nostra dimissione erga alios, quia Lucæ 11. vers. 4. dicitur: *Dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis*, respondet Caluinus in Matth. 6. v. 11. *Neque tamen venia quam nobis dari petimus, ab ea quam præstamus alijs dependet, sed hoc modo ad remittendas omnes offensas hortari nos Christus voluit, & simul absolutionis nostræ fidutiã quasi impresso sigillo me[illegible]ratã facere; nec obstat quòd apud Lucã habetur particula καὶ γὰρ quæ tantundem valet ac siquidem, vel etenim, quia Christi consilium*

non fuit causam notare, sed tantùm monere qualem erga fratres animum afferre oporteat, dum cupimus Deo reconciliari.

Si probemus dilectionem esse causam remittendi peccata, quia Lucæ 7. vers. 47. dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, respondet Aretius in locis parte 1. fol. 84. *Quoniam, tenetur ostensiuè vel significatiuè, non causatiuè — Hoc ita necessarium est, vt aliter intelligi locus non possit.* Sic etiam Illyricus in Claue parte 2. tract. 4. col. 369. Polanus in Disput. priuat. 36. & alij. *Quoniam.*

Si probemus obseruationem mandatorum, causam esse impetrationis, quia 1. Ioan. 3. vers. 22. dicitur: *Quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* Caluinus ibidem ait: *Non intelligit fundatam esse in operibus nostris orandi fiduciam, sed in hoc tantùm insistit, non posse à fide disiungi pietatem & syncerum Dei cultum: Nec absurdum videri debet, quòd particulam causalem vsurpet, vtcunque de causa non disputet: nam accidens inseparabile interdum causæ loco poni solet.* *Quoniam.*

Si probemus bona opera causam esse beatitudinis, quia Matth. 25. vers. 34. dicitur: *Possidete Regnum &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Et cap. 21. vers. 23. *Quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Et Apocalyps. 7. vers. 14. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione &c. ideo sunt ante thronum Dei*, respondet Paræus lib. 5. de Iustificat. cap. 3. pag. 1248. *Responsio omnium Euangelicorum est, quòd particula causalis locis allegatis non causam sed consequentiam significat.* Et Caluinus in Matt. 25. vers. cit. *Quod in particula causali insistunt, infirmum est: scimus enim non causam semper sed consequentiam potius notari, cum iustis vita æterna promittitur.* Sic etiam Hunnius de Iustification. pagina 195. Et hoc modo eludit multa loca Kemnitius in locis tomo secundo titulo de Argumentis pagina 103. *Enim. Quia. Ideo.*

Si probemus Christum esse causam nostræ electionis, quia Ephes. 1. vers. 3. dicitur: *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem*: respondet Piscator in thesibus loco 19. pagina 302. *Paulus nihil aliud vult dicere, quàm quod elegerit nos ad hoc, vt nos in Christo adoptaret, ac propter ac per ipsum nos saluaret.* Idque repetit ibidem libro secundo *In.*

pagina 288. Sic etiam Zanchius libro quinto de Natura Dei cap. 2. q. 4.

Si probemus Sanctos habituros gloriam propter dignitatem seu meritum, quia Apocalyp. 3. vers. 4. dicitur: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*, respondet Paræus libro 5. cit. cap. 2. pag. 1228. *Non causam meritoriam, sed conditionem in Sanctis Martyribus cum regula iustitiæ congruentem significat, vt non quare, sed quales ambulaturi sint cum Christo intelligamus.*

Quia.

Si probemus bona opera causam esse gloriæ, quia Rom. 8. v. 17. dicitur: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur*, respondet Caluinus ibidem: *Hæc loquendi formula, ordinem potiusquem in salute nostra dispensanda sequitur Dominus, quàm causam denotat. --- Non disputat vnde nobis proueniat salus, sed quomodo suos Deus gubernet.*

Vt.

Si probemus opera esse causam beatitudinis, sicut sunt causa damnationis; quia sæpius dicitur in Scriptura: *Reddet vnicuique secundum opera sua*: respondet Bucanus in Institut. loco 32. pagina 342. *Particula κατὰ vel καθὼς secundum vel iuxta, in illis dictis, non causam sed conformitatem significat.*

Secundum.

Si probemus opera esse causam gloriæ, quia Hebræor. 10. vers. 36. dicitur: *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*, respondet Parȩus lib. 4. de Iustific. p. 1032. *Finali conditione significari relationem aliquam patientiæ ad salutem non negatur, nempe relationem ordinis, seu medij, seu conditionis sine qua non, significari relationem causalem, est falsum.*

Vt.

Si probemus virginitatem iuuare ad adipiscendum Regnum cœlorum, quia Matth. 19. vers. 12. dicitur: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter Regnum Cælorum*, respondet Musculus in locis tom. 2. tit. de Votis pag. 323 *Haud ita intelligendum est, quod eiusmodi castratio ad salutem faciat.*

Propter.

En lector, quàm multa genera propositionum causalium cogantur reputare non causalia; & quàm multas, quamque expressas Sacræ Scripturȩ particulas causales nempe *Propter, Quoniam, Secundum. In, enim, Quia, Si, Siquidem, Ideo, Ad, Vt*, irritas reddunt.

In forma autem sic argumentor: Qui in tot tantisque materijs, tot talibusque Scripturæ verbis, in tali sensu (vt vidimus) repugnant, & præterea in tot tantisque materijs Scripturæ propositiones causales faciunt non causales, ac tot talesque particulas causales irritas & inanes reddunt, ij censendi sunt recto sensui Scripturæ contradicere: Id autem Protestantes faciunt; Ergo.

CAPVT XII.

Quòd dicta simpliciter, quando ipsis aduersantur, faciant dicta secundum quid, seu respectiua.

DVODECIMVM argumenti genus, quòd Protestantes contradicant menti Scripturæ, erit, quia illius dicta simpliciter (quando ipsis obstant) exponunt secundum quid.

Si probemus Deum simpliciter nolle mortem peccatoris, quia ita asserit & iurat Ezechiel.18. Perkinsus in Explicat. Symboli tom.1.col.777. *Non simpliciter accipi debet locus hic, sed respectiuè: Deum nimirum ex duobus malle alterum, nempe vt viuat potius peccator, quàm moriatur. Denique eatenus non vult mortem, quatenus est corruptio creaturæ suæ.* Idem habet in Serie causarum cap.52. Et Caluinus de Prouidentia pag.737. *Quatenus omnes ad pœnitentiam hortatur, merito negat Propheta velle mortem peccatoris.* Et similiter explicat illud 2. Petri 3.vers.9. *Nolens aliquos perire,* &c. Sanè (inquit) *quatenus vult Deus recipere omnes ad pœnitentiam, neminem vult perire.* Si probemus Deum tollere à nobis peccata, quia 1. Ioann. 3. v. 8. dicitur: *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli*: Caluinus ibidem inquit: *Quod si nondum plena ac solida est regeneratio, non nisi pro modo suo à peccato & seruitute nos eximit.* Danæus de Baptismo cap.14. *In his terris non adhuc prorsus tollitur peccatum, sed ex parte.*

De Deo.

Non simpliciter.

Quatenus.

Pro modo suo.

Si probemus nihil damnatione dignum esse in Iustificatis, quia Rom.8.v.1. simpliciter dicitur: *Nihil ergo nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu.* Respondet Illyricus in

De Iustificatione.

Apologia pro Confess. Antuerp. cap. 3. apud Bellarmin. libr. 5. de Amissione gratiæ cap. 7. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, non simpliciter & per se, sed per accidens, accedente videlicet assidua petitione remissionis peccatorum.* Et Paræus libro quinto de Amiss. Gratiæ capite septimo. *Est verissimum: peccata non simpliciter remitti, sed accedente assidua petitione remissionis peccatorum.*

Non simpliciter.

Si probemus aliqua esse in Scripturis difficilia, quia 2. Petr. 3. v. 16. dicitur: *Sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædã difficilia intellectu: quæ indocti & instabiles deprauant,* Zanchius lib. de Scriptura to. 8. col. 412. inquit: *Non ait quibusuis esse δυσνόητα, sed duobus hominum generibus: indoctis, hoc est, imperitis Scripturarum ac minimè theodidactis: & instabilibus, hoc est, qui non sunt firmi in fide.* Sic etiam Bullingerus sermone 3. de verbo Dei fol. 9. & alij.

De Scripturis.

Non quibusuis.

Si probemus sanctos habere veram iustitiam coram Deo, quia Dauid in Psalmis offert suam iustitiam examinandam iudicio Dei, & petit secundùm eam de se statui, respondet Caluinus 3. Institut. cap. 17. §. 14. *Sancti nec de ipsis in vniuersum quæstionem haberi volunt, vt pro totius vitæ tenore vel damnentur, vel absoluantur: sed specialem causam in iudicium disceptandam offerunt: nec diuinæ perfectionis respectu, sed ex improborum ac scelestorum comparatione iustitiam sibi arrogant.*

Non in vniuersum.

Si probemus charitatem simpliciter maiorem esse fide, quia Apostolus simpliciter ait. 1. Corint. 13. v. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* Caluinus ibidem ait: *Constat hic potiorem dici charitatem, non per omnia sed quatenus perpetua erit, & nunc primas partes tenet in conseruanda Ecclesia.* Vvitakerus lib. 9. contra Duræum sect. 24. *Charitatem Apostolus non omni modo, sed tantùm κατά τι, fide, ac spe maiorem vocat.* Hunnius de Iustificat. pag. 154. *Præfert charitatem fidei & spei, non vniuersim aut simpliciter, sed secundùm quid.* Lutherus Postilla in Dominicam quinquages. fol. 207. *Quis non agnoscit hic Paulum loqui de diuturnitate charitatis & donorum aliorum, non de dignitate ipsorum vel virtute?* Sic etiam Schusselburg. tomo octauo Catalog. Hæreticor. pagina 519. Reineccius tom. 4. cap. 15. & Lobechius disput. 9.

De bonis operibus.

Non per omnia.

Secundum quid.

Non simpliciter.

Si probemus Ecclesiam esse simpliciter infallibilem, quia primo ad Timoth. 3. simpliciter dicitur. *Columna & firmamentum veritatis*, respondet Academia Nemausiensis respons. ad Iesuitas pag. 546. *Ecclesia veritatis custos & interpres esto, non simpliciter quidem & absolutè, sed secundùm quid.* Serranus contra Haym parte 3. pag. 145. *Cum Ecclesia vocetur mater fidelium columna & firmamentum veritatis, illa de Ecclesiæ authoritate dicta non debent aut possunt intelligi simpliciter, sed secundùm quid.* Author respons. ad Theses Vadimontanas pag. 492. & 523. *Respondeo Ecclesiam dici columnam & firmamentum veritatis, non ἁπλῶς sed κατά τι.* Et pag. 689 *Deus non præcipit, vt vel pastori vel Ecclesiæ morem geramus ἁπλῶς, sed κατά τι.* *De Ecclesia.* *Non simpliciter.* *Sed secundum quid.*

Si probemus cœlibatum esse simpliciter bonum, quia simpliciter dicitur 1. Corinth. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*, respondet Reneccius to. 4. Armaturæ cap. 23. p. 349. *Loquitur ita Apostolus, non ἁπλῶς simpliciter & absolutè, sed κατά τι, secundùm quid & relatè.* Et pag. 354. ait quòd cum Paulus dicit: *Bonum est homini sic esse: Pauli consilium secundùm quid est accipiendum, videlicet de incommodo.* *Non simpliciter sed secundùm quid.*

Si probamus virginitatem simpliciter meliorem esse matrimonio, quia simpliciter dicitur 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit*, Respondet Beza ibidem: *Id est, commodius liberis consulit: idque non simpliciter, sed sub conditionibus ante expressis ab Apostolo. Sic quoque accipiendum est quod subiicitur: Beatiorem esse eam quæ à repetitis nuptiis abstineat.* Zuinglius etiam ibidem: *Cum dicit, melius facit, & mox infra: Beatior erit, non simpliciter intelligit, sed collatione.* Sic etiam Aretius in locis parte 3. fol. 41. Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 84. & alij. *Non simpliciter, sed sub conditione.*

Si probemus posse aliquos esse perfectos viatores, quià 1. Corinth. 2. dicitur: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et Philippens. 3. *Quotquot perfecti sumus, &c.* respondet Paræus lib. 2. de Iustificat. cap. 7. pag. 467. *Apostolus sibi & aliis tribuit perfectionem, non absolutè, sed comparatè ad Catechumenos.* Et libr. 4. cap. 11. pag. 1077. *Pleraque loca loquuntur de perfectione, non absolutè, sed relatè ad mundum corruptissimum.* Sic etiam Lobechius disput. 9. pag. 191.

Si probemus quòd sunt aliqui perfecti, iusti, obseruatores mandatorum, &c. quia tales dicuntur quidam in Scriptura, respondet Paræus, lib. 4. de Iustificat. cap. 11. pag. 1083. *Sancti isti laudantur quòd fuerint perfecti, secuti sint Dominum toto corde, &c. non absolutè, sed quia fuerunt synceri cultores Dei.* Et Hunnius de Iustificat. pag. 169. *Dicuntur perfecti suo quodam modo, scilicet inchoatè aut incomparatè si conferantur ad impios.*

Non absolutè. sed quodam modo.

Si probemus virginitatém esse virtutem, quia Apostolus eam laudat 1. Corinth. 7. respondet VVitakerus lib. 8. contra Durçum sect. 85. *Laudat Paulus virginitatem; non per se, sed propter aliud.*

Non per se.

Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tractatu 4. col. 376. sic scribit: *Tobiæ 4.* Eleemosyna *liberat à peccato: scilicet quoad pœnas aliquas temporarias, non quoad culpam aut pœnam æternam Sic Redime peccata tua eleemosynis Danielis* 4. Et Author Gratiani AntiIesuitæ parte 2. pag. 33. *Obijcit Iesuita Paulum* 1. *Corinth.* 10. *affirmare Sacramenta veterum fuisse typos; Respondeo* (inquit) *id quidem verum est, sed κατά τι non simpliciter.* Et pag. seq. ad illud Hebræor. 10. vers. 1. *Vmbram habens lex futurorum bonorum*, ita respondet: *Ista comparate ab Apostolo, non simpliciter dicuntur.* Demum Caluinus in Admonit. vltima pagina 830. *Quia panis sacramentum est corporis, quodammodo est corpus.*

Non simpliciter sed secundùm quid.

Quodammodo.

Sic ergo duodecimum formo argumentum. Qui præter sæpe dictam pugnam cum scripturæ verbis, etiam in tot tantisque materijs controuersis ea quæ simpliciter & absolutè à Scriptura dicuntur, asserunt non intelligenda esse simpliciter vel absolute, sed respectiue, sub conditione, comparate, relate, secundum quid, propter aliud, &c. ij censendi sunt genuino scripturæ sensui contradicere: Ita vero faciunt Protestantes: Ergo.

CAPVT XIII.

Quòd Protestantes ea quæ à Scriptura dicuntur de vno tempore, cogantur exponere de alio.

DEcimum tertium argumentum, quòd Protestantes aduersantur veræ sententiæ Scripturæ erit, quia in multis ac magnis

ac magnis controuersiis, ea quæ scriptura dicit de vno tempore, coguntur exponere de alio.

Si enim probemus quod ipso tempore institutionis Eucharistiæ corpus Christi dabatur & frangebatur, & sanguis eius fundebatur pro nobis, quia Græcè tres Euangelistæ vna cum Paulo referentes Christi verba, habent participium præsentis temporis, sicut & Lucas etiam, in latina versione: Protestantes tamen nolunt hæc intelligi de præsenti tempore cœnæ, sed tantum de tunc futuro tempore crucis, prout retulimus lib.1.cap.10.artic.5.

Si probemus iustificatos esse nunc inhærenter iustos, quia Roman.8.v.29.dicitur: *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Et 1.Corinth.15.v.49. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*, respondet Paræus lib.2.de Iustificat.cap.3.pag.412. *De futuro statu, quando pleni conformes erimus imagini Christi iustitia & gloria (seruata proportione capitis & membrorum) totum damus, sed nihil pro aduersario de statu præsenti.*

Portemus imaginem Christi, in cælo.

Si probemus in hac vita tolli à nobis peccata, quia Scriptura dicit, quòd Deus tollit, mundat, delet peccata, respondet Paræus lib. citato cap.7.pag.460. *Scripturæ Phrases loquuntur de sanctificatione Ecclesiæ nunc quidem inchoata, olim verò cõsummanda, per quam sordes peccatorum ex carne nostra virtute Spiritus Christi radicitus tolli, deleri, mundari, expurgari nunc incipiunt, tandemque penitus tollentur, delebuntur &c.*

Deus tollit peccata sci. in cælo.

Si probemus Deum nos mundare ab omni iniquitate, quia 1.Ioan.1.v.19. dicitur: *Fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*, respondet Caluinus in illum locum: *Si quis obijciat, nunquam dum in mundo peregrinamur, ab omni iniustitia nos purgari quantum ad reformationem spectat; verum id quidem est, sed Ioannes non docet quid Deus nunc perficiat in nobis.*

Mundat ab omni iniquitate, sci. in cælo.

Si probemus in hac vita constitui homines iustos per merita Christi, quia Rom.5.v.19. dicitur: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi*, respondet Paræus lib.2. de Iustificat.cap.3.pag.393. *In hac vita inchoatè iusti constituimur*

Constituimur iusti sci. in cælo.

in futura perfectè iusti constituemur & efficiemur. Hinc forte Lutherus ait Disput.3. to.1. fol.390: *Iustificari hominem sentimus, hominem nondum esse iustum, sed esse in ipso motu seu cursu ad iustitiam.*

Si probemus fidem sine operibus semper esse mortuam, quia Iaco.2.v.vlt. dicitur: *Fides sine operibus mortua est*, respondet Schusselburg. to. 8. Catal. Hæret. pag. 525: *Dictum Iacobi de fide sine operibus mortua, intelligendum est de actu sequente iustificationem*, ita vt nolit fidem in actu seu momento ipso iustificationis sine operibus existentem, mortuam esse.

Si probemus Deum semper velle omnes saluos fieri, quia 1.ad Timoth.2.v.4. dicitur: *Qui omnes homines vult saluos fieri*, Perkinsus in Casibus conscientiæ cap.7. sect.3.col. 1326. inquit: *Deus vult omnes homines saluos fieri: subintellige, nunc in hac vltima mundi ætate.*

Si probemus animas sanctas in cœlo petere misericordiã erga pios, quia petunt vindictam erga impios Apocalyps.6. v.9: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei &c. & clamabant voce magna, dicentes: Vsquequò Domine sanctus & verus non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* Confessio VVirtembergica cap.de Inuocat. Sanctorum hoc intelligit de precibus non quas faciant in cœlo, sed quas faciebant in terra. *In Apocalypsi* (inquit) *clamant animæ Sanctorum interfectorum vt sanguis ipsorum vindicetur, non quòd iam in Domino quiescentes cupidi sint vindictæ pro humano more, sed quòd Dominus, etiam post mortem ipsorum memor sit precum, quas dum adhuc in terra viuerent, pro sua & totius Ecclesiæ liberatione effuderunt.*

Si probemus nos in hac vita implere legem, facere voluntatem Dei, obedire Christo, quia Rom.8.v.4. dicitur: *Deus filium suum misit &c. vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Matth.6. Docemur petere *vt Dei voluntas fiat.* Et Heb.5.v.9: Christus dicitur *factus obedientibus sibi causa salutis*, respondet Scharpius de Iustificat. Controu.12. pag.191. *Ex istis locis nihil sequitur, nisi fideles legem Dei implere: at non sequitur in hac vita illos implere.*

Lex in nobis impletur sti. in cælo.

Sic ergo tertio-decimo loco arguo: Qui præter dictam

contradictionem verborum Scripturæ, nolunt verba eius intelligi de illo tempore de quo loquuntur, sed solùm de alio, ij censendi sunt contradicere vero sensui Scripturę: sic autem Protestantes faciunt, Ergo.

CAPVT XIV.

Quòd Protestantes cogantur plura Scripturæ dicta in vnum conflare.

DEcimumquartum argumentum erit, quòd Protestantes cogantur nonnunquam plura Scripturæ dicta in vnum conflare.

Si enim quis probet Deum velle omnes saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire, quia ita scribitur 1. ad Timoth. 2. v. 4: respondet Beza lib. quæst. & respons. volum. 1. Theol. pag. 684: *Illa duo: Saluos facere & ad agnitionem veritatis peruenire, coniungenda sunt, vt eos demum intelligatur Deus velle saluos fieri, quos vult ad agnitionem veritatis venire.* Sic etiam in Respons. ad Acta Montisbel. p. 194. vbi etiam p. 196: ita exponit illud Ezechielis 18: *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur,* ac si Deus solum nollet mortem peccatoris qui conuertitur. Simili fraude in Actor. 19. v. 5. contendit verba illa: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu,* non esse verba Lucæ referentis eos qui baptizati fuerant baptismo Ioannis, fuisse iterum baptizatos baptismo Christi: sed verba Pauli, docentis qualis erat baptismus Ioannis. Quem sequitur Illyricus ibidem, Tylenus in Syntagmate cap. 6. pag. 697. & Bucanus loco 47.

Si probemus debere nos renasci & ex aqua & ex Spiritu sancto, quia Ioannis 3. v. 5. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei,* respondet Caluinus in illum locum: *Est vna & simplex sententia: nos de integro nasci oportere, vt filij Dei simus, atque huius secundæ geniture Spiritum S. esse authorem. Ideo Spiritum & aquam pro eodē posuit.* Atque hoc modo confundunt multa quæ Scriptura distinguit, ac dicunt ea Synonymè poni, seu vnum eorum exegeticè alterum exponere.

Sit ergo decimum quartum contra illos argumentum huiusmodi: Qui præter sæpe dictam pugnam cum expressis Scripturæ verbis, coguntur etiam multa eiusdem dicta confundere, ij legitimo Scripturæ sensui aduersantur: Ita autem Protestātes faciunt. Ergo. Atque hactenus vidimus quot & qualia genera propositionū Scripturæ penè in omni genere materiæ cōtrouersæ Protestātes mutent ac deprauent, quod que nullum enunciationis genus possit esse tam perspicuum, validum, ac forte, vt ipsos ab errore suo reuocare queat, sed omnia perrumpant, eludant, ac corrumpant. Sequitur vt videamus, quòd eodem modo etiam cum simplicibus Scripturæ verbis agant, quia vt ait Tertullianus cont. Hermogenem: *Hæreticis fere mos simplicicia quæque torquere.*

CAPVT XV.

Quod verba Scripturæ significantia effectionem, cogantur exponere de conatu seu studio efficiendi.

DEcimum quintum argumentum, quo probabitur Protestantes germano Scripturæ sensui contradicere, erit, quòd eiusdem verba significantia effectionem rei cogantur exponere de studio seu conatu eam efficiendi. Hoc modo deprauare solent Scripturæ verba, quæ docent aliquos esse iustos, bonos, perfectos, recedere à malo, facere voluntatem Dei, eum diligere toto corde, implere legem, seruare præcepta, salutem suam operari & similia.

Caluinus in id Matth. 6. v. 9. *Fiat voluntas tua: Sufficit hoc voto testari, nobis odio ac tristitiæ esse, quicquid Dei voluntati aduersum cernimus extinctumque cupere.* In illud Matth. 12. v. 33. *Aut facite arborem bonam, &c. Gratuita Dei indulgentia fit, vt tam honorifico titulo* (boni) *dignetur, qui ad bonitatem aspirant.* In id Ioan. 15. v. 10. *Si præcepta mea seruaueritis, &c. Censentur fideles seruare Christi præcepta, cum huc studium suum applicant, etiamsi à meta longè distent.* In id Roman. 8. v. 1. *Qui non secundum carnem ambulant. Secundum spiritum ambulare dicit,*

Seruant. i. applicant stu-

non qui penitus exuerint omnes carnis sensus, sed qui in domanda & mortificanda carne sedulò laborant, vt appareat studium pietatis in ipsis regnare. & v. 5. *Se pro carnalibus non habere testatur, qui ad cœlestem iustitiam aspirant, sed qui mundo prorsus sunt addicti.* In illud Philip. 2. v. 13. *Salutem vestram operamini.* Eam (salutem) *dicimur perficere, cum à Spiritu Sancto gubernati ad cœlestem vitam aspiramus.* In illud 1. Timoth. 1. v. 9. *Iusto nõ est lex posita: Respondeo Paulum hic nominare iustos, non qui sint omnibus numeris absoluti, qualis nemo reperietur, sed qui præcipuo cordis affectu ad bonum aspirant.* In illud ibidem cap. 4. v. vlt: *Te ipsum seruabis: Seruare se Pastor dicitur, quia illud vsitatum est salutem suam fideles agere, cum in cursu salutis suæ pergunt.* In illud 1. Petri 4. v. 18. *Si iustus vix saluabitur &c. Iustos nominat, non qui penitus absoluti sint iustitia, sed qui rectè viuere student.*

Ambulãt. 1. student ambulare.

Operamini salutem. 1. aspirare ad eam.

Iustus. 1. aspirans ad iustitiam.

In illud 1. Ioan. 2. v. 3. *Si præcepta eius seruemus: Non intelligit seruare mandata quæ legi penitus satisfaciant (quod exemplum nusquam inueniri potest in mundo) sed qui pro humanæ infirmitatis captu vitam suã formare student ad Dei obsequium.* Et ibidem v. 5. in illud *Qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est: Respondeo sufficere modò quisque pro gratiæ sibi datæ mensura ad hanc perfectionem aspiret.* In illud 1. Ioannis 3. v. 5. *Peccatum in eo non est: Censentur à præcipua parte, hoc est, iusti esse & iustè viuere dicuntur, quia syncero cordis affectu ad iustitiam aspirant.* Hæc & huiusmodi multa Caluinus.

Iustus. 1. studens iustitiæ.

Bucerus in illud Matth. 7. v. 21. pag. 200. *Sed qui facit voluntatem Patris mei: Id est, qui comparare se ad voluntatem Patris ex animo studuerit.* Et in illud Matth. 12. v. 50. pag. 317. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei &c: Notandum, facere voluntatem Patris, idem esse, atque audire sermonem Christi: eumque facere, hoc est, ipsi perficiendo ex animo studere.* Et in Ioan. cap. 14. pag. 752. *Seruare præceptum Domini, hic nihil aliud est, quàm credere verum & saluificum, eique toto corde studere.*

Seruant. 1. student seruare.

Facit. 1. studet facere.

Zuinglius in Explanat. art. 42. *Hic iuxta regulam Christi aut præceptorum Dei agere, intelligimus, proximè accedere ad regulã Dei, & se conformare omni studio verbo Dei, quantum quidem ho-*

Agit. 1. studet agere.

mini in hoc mortali corpore fas est. Et in Lucæ 1. tom. 4. pag. 183 *Torquent se hic multi, quomodo coram Deo iusti fuisse dicantur, cum coram eo nemo mortalium iustus esse possit. Hic nodus facile dissolui potest, si simpliciter intelligamus Hebraicæ locutionis formulam, quæ Liphne Adonai eos iustos dicit, qui metu Dei & amore iustitiæ, innocentiæ & sanctitati student.*

Iustus. i. studens iustitiæ.

Schusselburg. to. 7. Catal. Hæret. pag. 235. in id Philip. 2. vers. 12. *Vestram salutem operamini*, ait: *Operari, hoc loco significat laborare & sollicitum se habere de vera via, quam Deus saluti consequendæ proposuit.*

Operatur. i. sollicitus est.

Pareus lib. 4. de Iustificat. cap. 15. pag. 1115. *Pronunciatur quidem Iob rectus, perfectus, timens Deum, recedens à malo: quod esset sincerus Dei cultor, serium studium habens rectè agendi.*

Tilenus in Syntagmate caput. 46. pag. 512. *Iusti ac perfecti vocantur, qui iustitiæ operam dant & ad perfectionem anhelant.*

Iusti i. operam dantes iustitiæ.

Perkinsus in illud cap. 6. Galat. v. 2. *Sic adimplebitis legem Christi: Hic dicuntur Galatæ legem complere, quoniam Deus syncerum animi affectum pro effectu pleno acceptat.*

Vvitakerus lib. 8. contra Duręum sect. 92. *Custodire dicuntur, qui dant operam vt custodiant.*

Custodit. i. dat operam vt custodiat.

Musculus in locis tom. 1. tit. de peccato pag. 51. *Quid est aliud: Ab omni via mala prohibui pedes meos, quàm studiosè in hoc incubui, ne quid mali committerem? Feci iudicium & iustitiam: quàm studio faciendi iuditium & iustitiam deditus fui?*

In forma igitur sic concludo: Qui præter prædictam contradictionem expressorum verborum Scripturæ, in tot tantisque materijs Scripturæ verba quæ significant effectionem rei, exponunt per solum studium aut conatum faciendi, ij contradicunt vero sensui Scripturæ: Ita autem faciunt Protestantes. Ergo.

Feci. i. studuit facere.

CAPVT XVI.

Quod cogantur verba significantia causam exponere per viam, ordinem, seu medium ad terminum, & quæ tribuuntur vni causæ, tribuere alteri.

SExtum decimum argumentum, quod Protestantes contradicant legitimo sensui Scripturæ, erit, quia illius verba quæ significant causalitatem, coguntur nonnunquam exponere de via, ordine, seu medio ad terminum. Hoc modo deprauare solent ea Scripturæ verba, quæ docent fidem vel bona opera causas esse iustitiæ aut salutis,

Perkinsus in Cathol. Reform. controu. 4. cap. 4. col. 393. illud 2. Corinh. 4. v. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, ita exponit: *Afflictiones operantur salutem, non vt causæ eius procreantes, sed vt media adducentia nos ad illam.* Et addit. *Id quod ad vniuersum & semper de operibus in causa nostræ salutis obseruare ac tenere debemus: quòd nimirum sint quasi via quædam & indicia certa, quæ nos deducunt ad gloriam, non tamen causando aut procreando eam.*

Operantur. i. sunt medium seu via.

Caluinus in illud 2. Corinth. 7. v. 10. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; sic scribit: *Neque enim inquirit Paulus de causa salutis, sed tantum pænitentiã à fructu, quem producit, commendans, instar viæ esse dicit, qua ad salutem peruenimus. Hoc modo consequentia magis significatur quàm causa.* Et Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 7. pag. 1034. *Non causa efficiens, sed medium vel conditio adiuuans, per se vel per accidens, significatur.* Scharpius etiam de Iustificat. Controuers. 11. *Dicitur pænitentia salutem operari, non efficiendo virtute sua, sed ducendo vt per viam ad salutem.*

Operantur. i. sicut via.

Idem Caluinus in illud 1. Corinth. 7. *Circuncisio nihil est & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei*; ita commẽtatur: *Neque enim hic Paulus de causa iustitiæ disputat, nec quomodo eam consequamur: sed tantum quò incumbere debeant fidelium studia.* Et in illud Actor. 22. v. 16. *Baptizare & ablue peccata tua*, inquit, *Ablutio, non causam designat, sed ad sensum Pauli refertur, qui symbolo accepto peccata sua expiata esse melius cognouit.*

Ablue. i. melius cognosce esse abluta.

Expiat. i. indicat esse expiata.

Et 3. Institut. cap. 4. §. 36. ait: *Vbi misericordia & benignitate docet expiari peccatum* (Prouerb. 16.) *non intelligit illis coram facie Domini compensari: sed indicat, quòd ipsum sibi propitium reperturi sunt, qui vitijs valere iussis ad pietatem conuertuntur; ac si diceret, iram Domini residere, vbi à flagitijs nostris quiescimus.*

Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 12. pag. 813. ait. Quod per illud 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui: ordo & via ad coronam notatur, non causa.*

Certaui. i. incessi in via.

Præterea Caluinus 3. Institut cap. 14. §. vltimo: cum sibi obiecisset, quòd Scriptura ostendit bona opera fidelium causas esse cur illis Dominus benefaciat, respondet: *Quod in ordine dispensationis præcedit, posterioris causam nominat. Hac ratione ab operibus interdum vitam æternam deducit, non quod illis referenda sit accepta, sed quia quos eligit iustificat vt demum glorificet, priorem gratiam, quæ gradus est ad sequentem, causam quodammodo facit — Denique istis locutionibus series magis notatur quam causa.* Itaque, quod Scriptura facit causam, isti exponunt de serie, gradu, via, seu ordine.

Causat. i. est gradus

Simili modo, quod Scriptura tribuit vni causæ, illi tribuũt, alteri. Ita enim Zuinglius de Prouidentia cap. 6. to. 1. fol. 371. *Cum Paulus fidem ex auditu esse Romanis scribit, eodem modo, viciniori & nobis notiori causæ tribuit, quod solius est Spiritus, non externæ prædicationis.* Et in Matth. 24. to. 4. pag. 139. inquit. *Sæpe tribuitur posteriori, quod prioris est: operibus nempe, quod magis est fidei: & rursus fidei, quod propriissimè & verè electionis est diuinæ.* Sadeel etiam de vera peccatorum remissione pag. 113. Vbi respondet illis verbis Prouerbiorum 16. *Benignitate & misericordia expiatur iniquitas*, ait. *Effectus tribuitur id, quod causæ proprium est: vsitato* (inquit) *Scripturæ more. Eorum probitati tribuitur id, quod propriè solius Christi beneficio tribuendum est.* Et Illyricus in Claue Scripturę parte 2. tract. 6. col. 551. *Fides, verbum, & sacramenta dicuntur saluare nos, cum talia solus Deus faciat.* Et col. sequ. *Sæpe dicitur:* Fides tua te saluum fecit, *cum id sola Dei misericordia ac omnipotentia fide apprehensa efficiat.* Itẽ: *Sæpe effectus non veris* (inquit) *aut non primarijs causis tribuuntur.* Hinc tam frequens mentio alleoseos apud Zuinglium, & metalepseos apud alios: quibus figuris, quod Scriptura tribuit

Sacra Scriptura id effectui tribuere solet, quod causæ proprium est.

Scriptura tribuit effectum non veris causis.

tribuit vni, ipsi contendunt tribuendum esse alteri. Quam alleosin Zuinglius in Exegesi tom. 2. fol. 350. vocat *desultoriam locutionem*, Et Lutherus apud Hospinian. parte 2. historiæ. fol. 57. *Diaboli laruam* appellat.

Sic ergo contexo decimum sextum argumentum: Qui & eo modo (quo diximus) pugnant cum expressis Scripturę verbis, & præterea in multis ac magnis materijs Scripturæ verba significantia causam, coguntur exponere de serie, via, seu ordine, & quæ Scriptura tribuit vni causæ, tribuere alteri, ij contradicunt vero sensui Scripturę: Sic autem faciunt Protestantes Ergo.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Quod Scripturæ verba significantia aliquid actu esse, cogantur exponere per debere esse.

DEcimum septimum argumentum, quo probabimus Protestantes pugnare cum recto sensu Scripturæ, erit, quia verba illius significantia aliquid actu esse vel fore, coguntur exponere per debere esse. Paræus lib. 2. de Iustificat. cap. 7. pag. 465. illud primæ Ioan. 2. v. 5. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est*, sic interpretatur: *sententia B. Ioannis (vt & similes) intelligenda est de iure, non de facto: qualis Charitas esse debeat, non qualis sit in nobis.* *seruat. i. debet seruare.*

Idem cap. cit. pag. 468. illud Colossens. 3. v. 14. *Charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis*, ita exponit: *Charitas dicitur vinculum perfectionis, non quam habemus, sed quam habere debemus & habituri sumus in vita æterna.* Et lib. 4. cap. 11. pag. 1076. illud Deuteronomij 30. v. 6. *Circuncidet Dominus Deus cor tuum & cor seminis tui, vt diligas dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, sic explicat, *Promissio, vt diligas Deum ex toto corde, loquitur vel de iure, quomodo debeamus Deum diligere, nempe sincerè & perfectè: vel de sinceritate.* *Vt diligas. i. vt debeas diligere.*

Molinæus in suo scuto pag. 50. & 334. ait quod illud 1. ad Timoth. 3. *Quæ est Ecclesia Dei viui columna & firmamentum veritatis: non continet perfectionem infallibilem Ecclesiæ, sed solummodo est descriptio officij ipsius.* Hoc est, non dicit quid sit Ecclesia, sed quid debeat esse. Idemque habet Paræus in Galat. 2. lect. 18. *Est columna. i. debet esse.*

Tilenus in Syntag. cap. 46. ait quod in illis locis Ioan. 14. v. 21. Rom. 13. 8. & Galat. 5. 14. in quibus Scriptura affirmat, quòd ij qui Deum diligunt, ipsius mandata seruant, *non agitur de humanis in præstanda lege viribus, sed de officio nostro.* Intelligit, quòd non dicatur, quòd qui diligunt seruent legem, (prout apertissimè dicitur) sed quod deberent eam seruare.

Seruant. i. debent seruare.

Sit ergo decimum septimum argumentum huiusmodi: Qui præter supradictam pugnam cum expressis Scripturæ verbis, coguntur etiam ea quæ significant aliquid esse, exponere per debere esse, repugnant vero sensui Scripturæ: Sic autem faciunt Protestantes. Ergo.

CAPVT XVIII.

Quòd verba Scripturæ significantia rem veram cogantur exponere de apparenti, seu signo coram hominibus.

DEcima octaua probatio, quòd Protestantes contradicant legitimo sensui Scripturæ, erit, quia illius verba quæ significant rem veram, ipsi exponunt per apparentiam, testificationem, aut significationem eiusdem coram hominibus. Hoc modo deprauare solent ea Scripturæ verba, quæ docet Sacramenta seu bona opera iustificare aut redimere peccata, malos ac reprobos credere seu esse in Ecclesia, reprobos iustificari, facere bona opera, & similia.

Cum Scriptura dicit: *Ore confeßio fit ad salutem.* Lutherus apud Schusselburg. to. 7. catal. hæret. p. 234. inquit: *Scilicet testificandam salutem per fidem acquisitam.* Kēnitius ibidem pag. 559. *Paulus sic loquitur quòd saluet confeßio, vt ostendat qualis fides consequatur vitam æternam, nempe firma & efficax.* Et Vvigandus pag. 746. *Sensus est, Fide apprehenditur salus, sed ore manifestatur & sonat confeßio salutis.* Et P. Martyr in 1. Cor. 12. v. 3. *Salus accommodatur confeßioni, quia inde incipit tanquam ab externo signo declarari.*

Ad salutē i. ad signū salutis.

Lutherus Postilla in festo S. Stephani fol. 86. ita scribit: *Quod hic dicit: Quoties volui congregare filios tuos &c. significat Deum sic cum Iudæis egisse, vt nemo aliter cogitare aut intelligere potuerit, quàm magnopere voluisse colligere eos. Ita enim se habuit, vt homo qui id vellet, se haberet. In Dominic.* primam Aduentus fol. 9. illud: *Eleemosynis redime peccata* exponit: *Osten-*

Volui. i. me habui ac si voluissem.

de ea esse deleta. In Dominic. 4. post Trinit. fol. 290. id Lucæ 6. *Dimittite, & dimittemini*, Sic exponit: *Si remitto, remissio illa me tutum reddit de fidei meæ sinceritate, mèque certificat, ac fidem meam demonstrat.* Et in Dominic. 9. fol. 36. inquit: *Facite vobis amicos de mammona: id est, palam aperite externa eleemosyna fidem vestram, quo vobis amicos comparetis, vt vestri manifesti operis pauperes testes esse queant, quod sincere credideritis.*

Redime. 1. ostende deleta.

Dimittemini. 1. ostendentur dimissa.

Schusselburg. tom. 7. cit pag. 235. sic scribit: *Tristitia secundum Deum operatur pœnitentiam operum ad salutem: hoc est, iuxta Lutheri interpretationem, Opus eiusmodi quod de salute testificatur.* Et pag. sequ. *Dictum Ioelis: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit, hoc adeò vult, quod inuocatio nominis diuini testimonium sit acceptæ salutis per fidem.*

Operatur 1. testificatur.

Brentius homil. 1. in Dominic 13. post Trinitatem ait illud 4. Regum 23. dictum de Iosia, Quod reuersus est ad Dominum in omni corde suo, *intelligendum est, qualis Iosias fuerit coram iudicio humano in administratione Regni sui, non qualis fuerit coram diuino iudicio in priuatis vitijs,*

Reuersus est. 1. corā hominibus.

Reineccius tom. 4. Armaturæ cap. 15. illud Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, exponit *de iustitia politica, philosophica, & pharisaica.*

Faciunt. 1. pharisaice.

Kemnitius in locis tit. de Argumentis parte 2. pag. 101. ait quòd ea verba Deuteronomij 6. *Erit nobis iustitia coram Deo si custodierimus præcepta eius*, vel intelliguntur de iustitia legali: vel sensus est, quòd licet obedientia nostra sit immunda, ornetur tamen à Deo titulo iustitiæ. Vult dicere, quòd obseruatio mandatorum sit tantum iustitia legalis, vel tantùm titulo tenus iustitia, non autem vera. Et de facto Phinees inquit: *Non potuit per se habere titulum iustitiæ, sed quasi iustè factum reputatum est.*

Iustitia. 1. quasi iuste factum.

Herbrandus in Compendio Theol: loco. de bonis operibus pag. 340. *Si τὸ ρυτὸν* (redime peccata tua eleemosynis) *vrgeatur, manifestum est pugnare sententiam illorum verborum cū totius S. Scripturæ scopo & fidei analogia. Sed hæc est propria & genuina loci Danielis sententia: Crede Deum irasci peccatis, & placari iustis, id est credentibus, & hanc fidem veram esse operibus ostende. Similiter loquitur Hunnius* lib. de Iustificat. pag.

Redime peccata. 1. crede remissa, & operibus ostende te id credere.

158. de illis verbis Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat.*

Zuinglius in respons. ad Confess. Lutheri tom. 2. fol. 477. *Pauli pronunciata, quæ ille Ephes. 5. & Tit. 3. cap. de mundatione aquæ per verbum & lauacro regenerationis producit, non intelligunt ἐναλλαγὰς esse, id est, munerum immutationes vel commutationes, quibus fieri solet, vt signis tribuatur, quod illa significant tantummodo.*

Mundat & regenerat. i. significat mundari.

Caluinus in Ioannis 15. v. 2. ita exponit illud: *Omnem palmitem in me,* &c. *Respondeo multos in vite censeri opinione hominum, qui reipsa radicem in vite non habent.* In cap. 16. v. 27. *Dicimur amari à Deo, dum Christum diligimus, quia pignus habemus paternæ eius dilectionis.* In Actor. 8. v. 13. *Credidit*, ita exponit: *Credere se putat.* In Ezechielis 18. v. 24. *Quomodo Ezechiel intelligit iustos excidere? Quæstio ista facilè soluitur: quia non agitur de viua iustitiæ radice, sed de externa specie seu apparentia vt vulgo loquuntur.* Similiter in cap. 3. v. 20. in Ephes. 5. v. 26. *Quod baptismo nos ablui docet Paulus, ideo est, quod illic nobis ablutionem nostram testatur Deus, & simul efficit quòd figurat.* In Colossens. 2. v. 12. *Consepulti cum ipso per baptismum: Quòd fieri hoc per baptismum tradit, loquitur suo more, tribuens sacramento efficaciam ne frustra significet quod non sit.* In Iacobi 2. v. 23. *Iustificatur ex operibus: hoc est, ex fructibus cognoscitur & approbatur eius iustitia.* De Prędestinat. pag. 714. *Non mirum est si* (Scriptura) *ab externa larua Saulis opera æstimans, innocentiam eius probitatemque commendet.* Et 3. Institut. cap. 4. §. 36. *Illud redimere* (Danielis 4.) *ad homines potius quàm ad Deum retulit.* Sic etiam Bucanus loco 30.

In me i. in me ex opinione hominum. Credit i. putat se credere. Iustus i. in externa specie. Abluit i. testatur ablutionem. Iustificatur i. iustitia approbatur. Innocens i. in externa specie.

Beza in Colloquio Montisbel. pagina 588. *Nos dicimus baptismum aquæ esse lauacrum regenerationis: hoc est, significare & repræsentare regenerationem interiorem.* In 1. Timoth. 4. v. 1. *Aliud est reuera Christum amplecti, aliud vero Christum ore tenus cum Simone Mago, cum Iuda profiteri: & hi tamen dicuntur etiam credere: nimirum ex communi loquendi vsu, quod credere videantur.* Et in illud Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse,* &c. *id est, si talem vis reipsa te demonstrare, qualem te esse iactas.*

Credit i. ore tenus. Si vis esse i. si vis te demonstrare.

Danæus Controu. 5. col. 1009. in illud 1. ad Timoth. 5. v. 12. *Habentes damnationem,* &c. (inquit) *Buceri & Martyris senten-*

tia vera est, cum in hoc Pauli loco pro damnatione quæ fit ab hominibus de viduis istis iunioribus iterum nubentibus, vocem κρίμα accipiunt. Et Martyr. lib. de Votis col. 1355. *De hominum iudicio hæc Apostoli verba intelligi possunt.* Idem Danæus Controuerſ. 6. col. 1187. illud Iacobi 1. v. 15. *Concupiscentia cum conceperit, &c.* sic explicat: *Iacobus agit de eo quod apparet nobis hominibus peccati effecto.* Et pagina 1205. inquit: *Respondet Bellarminus ex Danielis 4. v. 24. Philippens. 2. vers. 12. nos posse redimere peccata nostra, Fallitur Bellarminus, illa enim S. Scripturæ testimonia docent quid hominum tantùm ratione, non Dei ratione, præstare possimus & debeamus,* Sic etiam Sadeel de vera Peccat. remiſſ. pagin. 108. Et tomo 2. Controuerſ. 2. cap. 16. pag. 84. ſic ſcribit: *Verba actiua quæ de sacramentis vsurpantur in sacra Scriptura non causam aut actionem causantem & efficientem gratiæ significant, sed actionem duntaxat testificantem.*

Parit. i. coram hominibus.

Redime i. coram hominibus.

Agunt. i. Significant actionem.

Paræus lib. 2. de Iuſtificat. capit. 15. pag. 566. illud 1. Ioan. 3. verſ. 7. *Qui operatur iustitiam, iustus est,* ſic exponit: *Hoc est, se fide iustificatum operibus ostendit.* Et libro 3. capite 14. pagina 862. illud Ioannis 15. *Omnem palmitem in me, &c.* intelligit *de iis qui externa solùm professione & specie Christo adhærent.* Pagina 863. illud Matthæi 24. *Refrigescet charitas multorum: de iis qui externa apparentia sunt iusti.* Et pagina 866. illud 1. Timoth. 1. *Quidam circa fidem naufragauerunt,* de fide apparenti non vera. Et lib. 4. capite 18. pag. 1160. inquit: *Iustificare Iacobo, est iustitiam fidei operibus ostendere coram hominibus.*

Iustus i. ostendit se iustum.

In me i. in externa specie.

Charitas i. in externa apparentia.

Fides i. apparens.

Zanchius in ſumma Prælect. tomo 7. columna 276. *Locus 2. Petri 1.* Obliuionem accipiens purgationis, &c. *Iuxta consuetudinem sacrarum literarum, quæ quotquot baptizantur in Christum & nomen dant Christo, Christumque confitentur, iuxta iudicium charitatis appellant Sanctos, Iustos & à peccatis mundatos, licet non omnes sint tales coram Deo, intelligendus est.* Ibidem ait illud Ezechielis 18. *Si auerterit se iustus, &c. Non est de verè iusto, sed de eo qui hominibus tantùm iustus esse videtur, intelligendum.* Et de Perſeuerantia capite 2. columna 141. illud Ioannis 12. *Multi crediderunt in eum,* ſic interpretatur: *Quia sibi ipsi videntur verè in Christum credere, cum tamen non verè credant.*

Mundati i. ex iudicio Charitatis non reuera.

Iustus i. qui videtur esse.

Credunt i. videntur credere.

Perkinſus in Cathalog. Reformat. ... capite a.

Aretius in locis parte 1. fol. 90. illud Tobiæ: *Eleemosyna à morte liberat*, ita exponit: *Liberant à morte æterna; hoc est, sunt indicia & firmissima argumenta in pijs, quod ab ea morte liberati sunt.* Et Confess. Vvirtenbergensis cap. de Eleemosyna. *Docemus Eleemosynam sic delere peccatum, quod sit fructus charitatis erga proximum, quo opere testificamur fidem & obedientiam quam debemus Deo.* *Liberat. i. ostendit liberatos.*

Petrus Martyr in Roman. 9. pag. 398. *Neque probatur ex hoc loco* (Si quis se emundauerit &c.) *homines posse mundare se ipsos, aut se efficere vasa honorifica: Quare non debemus plus colligere ex illis verbis* Pauli, *quàm eiusmodi expurgationem esse indicium, quo nos de dignitate aut indignitate vasorum in* Ecclesia *iudicemus.* *Delet. i. testificatur deletionem.*

Mundat. i. indicat mundationem.

M. Antonius de Dominis lib. 5. de Republica cap. 6. nu. 180. *Dicit Ioannes Christum ianuis clausis ingressum quoad illorum visum, quia & ante & post ingressum clausas viderunt.*

Tilenus in Syntagmate c. 41. pag. 453. tradit hanc regulam eludendi omnia testimonia Scripturæ, quæ docent charitatem, spem, timorem vel pœnitentiam iustificare: nempe quòd vel per hæc nomina intelligitur fides, vel quòd solum ostendunt iustificationem. *Ianua Clausa. i. quoad visum.*

Scharpius de Iustificat. Controu. 5. illud Lucæ. 8. *Ad tempus credunt.* Et 1. Timoth. 1. *Circa fidem naufragauerunt*, & cap. 4. & 6. *Discedent à fide: circa fidem exciderunt*, negat intelligi de vera fide. Item: illud Ezechielis 18. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua*, non vult intelligi de verè iusto aut vera iustitia: Neque illud Matth. 12. *Cum immundus Spiritus exierit ab homine*, de Diabolo verè eiecto: Sicut nec illud Matth. 24. *Refrigescet Charitas multorum*, de vera charitate, nec illud: Galat. 5. *A Gratia excidistis*, de vera gratia, nec illud Hebræos 6. *Illuminati sunt*, vel Hebr. 10. *In quo Sanctificatus est*, de verè illuminatis aut sanctificatis. Sicut nec illud 2. Petri. 1. *Obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum*, nec illud cap. 2. *Sus Lota &c*, de vera purgatione seu lotione; nec demum illud Actorum 10. *Simon credidit*, de vera fide. Similiter Controuers. 6. negat illud Ioannis 12. *Multi ex Principibus crediderunt*. Itemque illud 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fi-* *Fides. i. nō vera sed apparens.* *Iustus. i. apparenter.*

dem intelligi de vera fide: prout etiam controuer. 7. negat illud Iacobi 2. *Non ex fide tantùm*. Demum Controuerſ. 12. Cũ aliqui dicuntur *iuſti ſeu perfecti* Geneſ. 6. 1. Regum 15. Lucæ 10. Actor. 13. negat hæc intelligi de vera iuſtitia ſeu perfectione. Ita apud iſtos homines nihil eſt verum, ſi modò ipſis aduerſetur: ſed omnia ſunt apparentia: prout reuera eſt ipſorum fides & religio.

Fides Proteſt. apparens, non vera.

In forma igitur ſic arguo: Qui eo modo, quo ſupra oſtenſum eſt, pugnant cum expreſſis verbis Scripturæ, & præterea in multis magniſque materijs eiuſdem verba denotantia rem veram coguntur exponere de apparentia, externa ſpecie, teſtificatione, ſeu ſignificatione illius coram hominibus, illi contradicunt germano ſenſui Scripturæ: Ita autem faciunt Proteſtantes Ergo.

CAPVT XIX.

Quòd Proteſtantes cogantur exponere Scripturæ verba per diuerſa, per diſparata, per oppoſita.

Baptizabantur. i. docebantur.

DEcimum nonum argumentum, quo probabimus Proteſtantes vero Scripturæ ſenſui contradicere, erit, quia coguntur illius verba exponere per diuerſa, per diſparata, per oppoſita: quorum, ex innumeris, aliqua exempla annotabo.

Remittere. i. annuntiare.

Fides. i. voluntas Dei.

Fides. i. Electio Dei.

Qui. i. Quatenus.

Per diuerſa exponunt: Ita enim ſcribit Zuinglius to. 4. in Marci 1. pag. 142. *Baptizabantur omnes, hoc eſt, docebantur in Euangelio*. In Ioan. 3. v. 5. *Capitur hic regnum Dei pro doctrina cæleſti & prædicatione* Euangelij. In hiſtor. Reſurrectionis pag. 401. *Eſt ſenſus, Quorum remiſeritis peccata, id eſt; quibus vos remiſſionem peccatorum annunciabitis.* In Rom. 5. pag. 419. *Capitur hoc loco* (ſicut per vnum hominem peccatum &c) *peccatum, pro morbo.* In cap. 10. pag. 434. *Fides ex auditu: Hic obſerua fidem à Paulo pro manifeſtata Dei voluntate, & fidei manifeſta & publica inter gentes ac Iudæos prædicatione accipi.* In 1. Corinth. 7. pag. 463. Κάλον, *Bonum: pro commodo hic accipitur & quieto.* Et tom. 2. in Elencho fol. 34. *Fides iuſtificat, id eſt,* electio

electio Dei. In subsidio fol. 245. *Qui pro multis effunditur, id est, dum vel quatenus pro multis effunditur.* In Exegesi fol. 355. *Factum est cum benediceret, hoc est, valediceret.* Et in expositione fidei fol. 558 inquit: *Constat Meriti aut Præmij nomen quidem haberi in diuinis literis, sed loco liberalis doni.*

Qui i. Quatenus. *Præmium i. liberale donum.*

Caluinus in Lucæ 1. v. 15. illud, *Repleri Spiritu sancto*, exponit, *supra communem vulgi captum vberiori gratia donari.* In cap. 7. v. 48. Per, *Dimitte nobis debita nostra*, intelligit, *magis ac magis cordibus nostris misericordiam obsigna.* In cap. 8. v. 13. *Ad tempus credunt*, exponit, *Fidei similem honorem Euangelio deferunt.* In Matth. 7. v. 21. Per, *Facere voluntatem Patris*, intelligit, *philosophicè vitam & mores ad virtutis regulā formare, & credere in Christum.* In cap. 21. v. 32. inquit: *Iustitiæ nomen nihil aliud sonat, quàm Ioannis doctrinam puram & rectam fuisse.* In cap. 23. v. 22. *Sedere in cathedra Moysis, nihil aliud est, quàm ex lege Dei tradere, quomodo viuendum sit.* In Ioann. 3. v. 5. per, *aquam*, intelligit, *Spiritum sanctum.* In Actor. 8. v. 18. per, *Spiritum sanctum*, intelligit, *singularia dona.* In Rom. 5. v. 5. per, *Charitatem Dei diffusam in nobis*, intelligi vult, *notitiam nostram de charitate Dei erga nos*, In 2. Corint. 2, v. 10. illud: *Donaui in persona Christi*, exponit, *Sincerè & sine simulatione.* In 1. Timoth. 1. & 6. per, *Fidem*, intelligit, *sanam doctrinam.* In Tit. 1. v. 16. per, *Constituas Episcopos*: *Præsis electioni eorum.* Et in Hebr. 9. v. 26. per, *Destitutionem peccati, liberationem à reatu pœnæ.*

Dimitte i. obsigna dimissionem. *Iustitia i. doctrina.* *Aqua i. spiritus.* *Spiritus i. dona.* *Charitas Dei i. notitia nostra.* *Fides i. sana doctrina.*

Beza in Matth. 3. v. 1. per, *Desertum*, intelligit, *regionem saltuosam*, Et in v. 6. per, *Confitentes peccata, Peccatores se profitentes.* Et in cap. 5. v. 20. Nisi abundauerit iustitia vestra, &c. per, *Regnum cœlorum*: *Militantem Ecclesiam*: Et per, *Intrare, docere.*

Desertum i. regio saltuosa.

Petrus Martyr in Rom. 10. pag. 429. inquit: *Cum Scriptura dicit nos fide iustificari, audito fidei nomine respiciendum est fidei obiectum, nempe Dei misericordia.* Polanus vero in Syntagmat. Theol. lib. 6. cap. 36. ait: *Fides imputatur ad iustitiam, id est, iustitia Christi, quam fides apprehendit, imputatur.* Sadeel ad Articul. 44. abiurat. pag. 480: *Cum dicimur iustificari fide, nomine fidei intelligendus est Christus.* Sic etiam Bullingerus Decade 3. sermone 9. fol. 156. Confessio verò Saxonica cap. de Remiss. peccati ait: *Correlatiuè intelligenda est hæc oratio: Fide iustificamur, hoc est*

Fides i. misericordia Dei. *Fides i. Christi iustitia.* *Fides i. Christus.* *Fides i. fiducia.*

fiducia filij Dei iustificamur. Eodemque modo Melanchthon to. 4. in disput. p. 480.

Gratia i. doctrina gratiæ.
Perfecta i. sincera.
Opera nostra i. opera Christi.
Dilexit i. Credidit.
Eleemosyna i. fides.
Quod i. Quatenus
Peccata remittuntur. i. Sanitas restituetur.
Remittuntur peccata i. Surge & ambula.

Zanchius de Perseuerant. to. 7. col. 143. per, *Gratia excidistis*, intelligit, *à doctrina gratiæ seu Euangelio excidistis.* Paræus lib. 2. de Iustificat. cap. 7. per, *Charitatem perfectam*, intelligit, *sinceram.* Et lib. 4. cap. 7. per, *Operari salutem: Agere ea quæ ad salutem obtinendam sunt necessaria.* Perkinsus de Baptismo tom. 1. col. 842. per *Regnum Dei*, Ioan. 3. v. 5. vult intelligi *Ecclesiam.* Et in Cathol. Reformat. Controu. 5. cap. 3. colum. 398. inquit: *In omnibus promissionibus Euangelij, in quibus Deus se voluntariè obligat ad remunerandum opera nostra, obligatio non pertinet directè ad nos, sed ex respectu ad personam & obedie͂tiam Christi.* Apologia Confess. Augustanæ cap. de Implet. legis: *Quoniam dilexit multum, id est, quia me verè coluit fide & exercitiis ac signis fidei.* Et cap. de Respons. ad Argumenta: *Cum textus ait: Operibus reddi vitam æternam, significat reddi iustificatis.* Item: *Eleemosyna dicitur liberare à morte & purgare à peccato, non in se, sed in sua causa, hoc est fide.* Brentius homil. 1. in festum omnium Sanctorum. *Esurire iustitiam: est iustam habere causam, & tamen non posse eam iure persequi* Reineccius tom. 4. Armaturæ capit. 19. per, *Immolare phase*, intelligit *Mactare*, ne fateatur Agnum Paschalem fuisse sacrificatum. Illyricus in 1. Ioan. 2. v. 3. *Obseruatio Mandatorum, hic significat veram eius doctrinæ cognitionem.* Piscator in thesibus lib. 2. pag. 192. 2. Petri 2. *Abnegant Dominum qui ipsos mercatus erat, id est, quem antea fuerant professi, quòd sese esset mercatus.* Et pag. 472. ait: in verbis cœnæ: *Quod positum esse limitatiuè, pro Quatenus. Sicut* (inquit) *Ioan. 6. Pronomen* (qua͂) *in verbis illis, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Molinæus in suo Scuto parte 2. pagin. 51. scribit: quòd verba illa Iacobi cap. 5. *Si in peccatis sit remittentur ei, tantunde͂ valent, ac sanitas illi restituetur, remissis peccatis ob quæ Deus illum afflixerat.* Et addit p. seq. *Christus Matth. 9. nos docet: Quod dicere infirmo. Remittuntur tibi peccata tua, & dicere, surge & ambula, sunt res æquiualentes:* Dicat igitur ipse suis: Surge & ambula quando ipsis annunciat remissionem peccatorum. Hæc & alia innumera huiusmodi Protestantes.

Per disparata etiam exponunt: Nam ita Zuinglius apud Schusselburg. l. 1. Theol. Caluin. art. 22. fol. 101. *Corpus in verbis*

cœnæ etiam pro Ecclesia exponi potest. Et in Ioan.6. to.4. inquit: *Ex quo & Christi verba clarescunt: Hoc est corpus meum, vbi corpus pro morte ponitur.* In libro de vera & falsa religione capit. de Euchar. to. 2. fol. 211. *Iam sequitur nota, qua & hic esse sensus, & corpus hic* (nonne participatio corporis Domini est 1. Cor. 10.) *aliter sumi quàm pro Symbolo corporis, nempe pro Ecclesia deprehenditur.* In lib. de cœna fol. 294. ait per communicationem corporis Christi 1. Corinth. 10. *Communionem, id est, concionem vel Ecclesiam intelligas.* In Resp. ad Pomeranum fol. 258. Et in 1. Cor. 10. ait: quòd horum verborum: *Calix benedictionis cui benedicimus, &c.* sensus sit: *Poculum gratiarum actionis quo nos gratias agimus, quid quæso aliud est quàm nos ipsi?* Item, *Sanguinem Christi vocat eos, qui sanguini eius fidunt.* Et in Exegesi fol. 350. *Caro hoc loco* Ioan.6 *pro diuina ponitur natura.* Et to. 1. in explic. artic. 18. fol. 37. inquit: *Vides hic,* Ioa. 6. *corpus & sanguinem Christi nihil aliud esse, quàm verbum fidei: nẽpe quòd corpus eius pro nobis mortuũ, sanguis eius pro nobis fusus nos redemerit.* Et alibi sæpe ait quod corpus Christi in verbis cœnæ significat figuram seu symbolum eiusdem. Idem Zuinglius in Exegesi to. 2. fol. 350. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. tantum valet ac qui non crediderit, prædicato scilicet Euangelio, condemnabitur.* Et in Ioan. 6. to. 4. *Panem & carnem edere, nihil est quàm credere.* Item, *Edere, est fidere.* Et in Elencho fol. 34. ait quòd cũ fides dicitur saluare *accipitur fides pro Dei electione,* Et lib. de Bapt. to. 2. fol. 61. *Actorum 8. Credendi verbum, pro eo quod est doctrinam audire, vel credentium numero se adnumerare, significat.* Idem Zuinglius Epist. ad Lindouerũ to. 1. fol. 204. *Vides hic 1. Petri 3. Saluos nos facit baptisma. primùm baptismum pro fide accipi.* Lib. de Relig. c. de Bapt. to. 2. fol. 201. *Constabat enim illi, quòd per Apollum essent baptizati, hoc est, docti.* Et lib. de Bapt. fol. 61. *Baptismum pro fide interna accipi diximus 1. Petri 3.* Item fol. 68. *Notandũ est baptizandi verbũ in hisce Pauli verbis.* Actor. 16. *pro doctrina accipi.* Et 81. *In quid ergo baptizati estis, non de externo aquæ baptismo, sed de doctrina & institutione intelligi debet.* In subsidio ibidem fol. 254. *Baptismus 1. Petri 3. pro Christo accipitur, cum dicit baptismo nos saluari.* Demum in Resp. ad Huber. fol. 107. ait baptismũ 1. Petri 3. cit. *pro Christo poni, vel pro ipso Euangelio.* Præterea li. de Bapt.

Corpus meũ 1. Ecclesia. 1. mors.

Id est, Ecclesia.

Id est, concio vel Ecclesia.

Sanguis Dom. 1. nos ipsi.

Sanguis Christi 1. fideles.

Caro 1. diuinitas.

Corpus Christi 1. verbum fidei.

Id est, figura.

Edere est credere.

Nihil quã credere.

Fides 1. electio.

Credere 1. audire.

Baptismus 1. fides.

Baptizati id est, docti.

Baptismus id est, Christus.

Vel Euangelium.

to. 2. fol. 73. ait: *Non semel ex nobis didicerant, per aquam hoc loco (Ioan 3.) Christi cognitionem & fidei solatium intelligi debere.* Et in Explicat. artic. 50. to. 2. fol. 92. inquit: *claues nihil aliud sunt, quàm purum verbum Dei & Euangelij prædicatio sincera.* In Exegesi. t. 2. f. 358. *Claues nihil aliud, quàm Euangelij fides.* Ad librum Lutheri ibidem fol. 378. *Claues non aliud, quàm Euangelij prædicationem esse constat.* Rursus in explicat. art. 50. to. 1. fol. 93. *Discimus apud Lucam: Soluere & ligare, nihil aliud esse, quàm prædicare Euangelium.* lib. de Religione to. 2. cap. de Clauibus fol. 191. *Apparet hic ligare, nihil aliud esse, quàm errori relinquere.* Et apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 9. fol. 69. *Ligandi & soluendi verba nihil aliud significant, quàm credere & nolle credere.*

Claues. 1. verbum Dei. Vel fides. Vel prædicatio. Soluere & ligare. 1. prædicare. Ligare. 1. errori relinquere.

Perkinsus in Cathol. Reform. controu. 3. cap. 3. col. 376. ita scribit: *Respondeo: nos non ideo petere remissionem peccatorum, quòd de ea certi non simus; sed ideo potius, quod cum certitudo illa imbecilla sit & infirma, vt noua semper gratia Christi donati, de die in diem crescamus & confortemur.*

Petere remissionem 1. petere certitudinē de remissione.

Danæus controu. 7. pag. 1317. *Sancti dicuntur regere mundum Apocal. 2. & 3. concedimus* (inquit) *pios & nunc & post mortem regere impium mundum, quatenus Christus eum regit; cuius regni, vt pote illius membra, sunt participes.* Et to. 2. controu. de Baptismo cap. 4. pag. 323. ait: quòd in illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. Particula* (&) *est accipienda pro disiunctiua Aut.* & de Euchar. cap. 10. & 11. Vult, quòd *Est* in verbis cœnæ sumatur pro *Testatur, Repræsentat, Obsignat.*

Sancti 1. Christus. Et 1. aut Est 1. Testatur.

Rainoldus in Apologia thesium pag. 333. ait quòd Apostolus 2. Thessal. 2. In illo: *Tenete traditiones &c. Sermonis voce complectitur alias Scripturas.* seu vt loquitur Iuellus in Defens. Apologiæ parte 2. cap. 9. sect. 1. *Ipsam substantiam Euangelij.* Alij apud Vvitakerum controu. 1. quæst. 6. cap. 10. per *Siue* intelligunt *Tum*: quomodo Beza vertit in ipso textu.

Traditio per sermonem 1. Scriptura.

Siue 1. Tū

Vvitakerus controuers. 11. qu. 5. cap. 4. pag. 349. per *Sacerdotes* in illo psalmi 99. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius,* contendit significari *Viros primarios populi.* Similiter Iuellus lib. citat. part. 6. cap. 11. sectione 4. Item Hūnius in Colloq. Ratisbon. sess. 2: vbi etiam addit, *quod Moses sacrificauit tan-*

Sacerdos 1. vir primarius.

quam propheta Domini, non tanquam sacerdos.

Lutherus tom. 1. fol. 398. ita scribit: *Paulus hoc loco* (1. Corinth. 13. *Si habuero &c*) *fidem pro dono Spiritus accipit*. Et 397. *Est sensus* (Danielis in illis verbis: Redime peccata &c) *credere Deum irasci peccatis, & placari iustis, & fidem hanc veram esse operibus ostende.* Melancthon vero in hunc locum Danielis ita eum exponit: *Cessa, desine peccare* Et Martyr ibidem homel. 21. *Fide apprehende Messiam.*

Fides. 1. donum Spiritus.

Redime peccata. 1. crede.

Illyricus in Matth, 7. vers. 28. *Præstare sermones Christi, est eum vere & ex animo fide amplecti, eiusque doctrina benè intellecta solidè niti.*

Vel fide apprehende messiam

Bullingerus Decade 3. sermo. 9. fol. 157. asserit, quod cum S. Iacobus dicit hominem iustificari per opera, intelligit *per fidem bonorum operum feracem.* Et lib. de origine erroris, cap. 18 fol. 46. inquit. *Sententiæ istæ: Protegam ciuitatem istam propter me & propter Dauid seruum meum, & Protegam ciuitatem istam propter me & propter promissionem Dauidi factam, æquipollent.* Sadeel ad Art. 57. exponit, *propter Dauid. 1. propter Christum.* Hunnius tractat. de Iustificat pag. 145. ait, quòd nomine *tristitiæ* in illo 2. Corinth. 7. *Tristitia secundum Deum* &c. Itemque pag. 163. nomine *pietatis*, in illo 1. Timoth. 4. *Pietas habet promissiones*, &c intelligitur fides.

Præstare sermones Christi 1. Credere.

Per opera 1. per fidem.

Propter Dauid. 1. propter promissionem Dauidi factam.

Tristitia & Pietas. 1 fides.

Cæterùm omnium maximè hæc eorum expositio per disparata apparet in expositione artic. de descensu Christi ad inferos: vbi per *animam* intelligunt *corpus mortuum seu cadauer*: per *Descendit, passus est*, & per *infernum, sepulchrum, mortem, vel dolores infernales.* & Similia. Ita enim Zuinglius apud Hofmeisterum in Artic. 3. Confess. Augustanæ. *Descendit ad inferos: id est, mors eius, eos, qui apud inferos erant, redemit.* Oecolampadius ibidem: *Est declaratio eius quod dixit, Sepultus est.* Bucerus in Math. 27. *Actorum 2. pro eodem ponitur animam non relinqui in inferno, & sanctum non videre foueam corruptionis: nempe pro eo quod est: Non relinqui in morte: Quid sit hic descendere ad infernum aliud, quàm recondi corpus sub terra? Ad hunc ergo modum descendit vita vel animatum corpus in infernum; hoc est, verè mortuum repositum fuit in sepulcro.* Item *articulus ille symboli: Descendit ad inferna, explicatio est eius qui præcedit: Mor-*

Descendit. 1. redemit.

Descendit 1. Sepultus est.

Descendere ad infernũ 1. recondi corpus sub terra.

tuus est & sepultus. Petrus Martyr in locis classe 2. pag. 428. *Descendit ad inferos nihil aliud indicat, nisi quod eundem subijt statum quem reliquæ animæ à corpore seiunctæ experiuntur.* Caluinus 2. Institut. cap. 16. §. 10. *Si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est, cum eã mortẽ pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Beza in Actor. 2. v. 27. *Descendere ad inferos, proprie quidem significat Sepulchro condi.* Et ibidem Edit. anno 1565. inquit: *In priori nostra editione rectè interpretatus eram, non derelinques cadauer meum in sepulchro.* Et in defens. contra Castell. volum. 1. Theol. pag. 460. *Animam meam in contextu sum interpretatus, cadauer meum.* Et pag. sequ. *Eandem sententiam sẽper retineo.* Serranus contra Hayum parte 3. pa. 520. multis contendit, quòd per *animam* Actorum 2. v. 27. *Non intelligitur anima, sed mortuus homo siue cadauer,* Et addit: *Nemini obscurum esse posse, animam carnis nomine ab eo explicari.* Ita vt per *Animam*, non intelligatur anima, sed *cadauer* : & è contra per *carnem*, non caro, sed anima. Vrsinus in Catechismo quæst. 44. pag. 174. *In hoc articulo, infernus accipitur pro summis angustiis.* Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 7. *Quod Propheta ait: Non derelinques animam meam in inferno, perinde est, ac si diceret: Tu me in sepulchro iacentem non deseres.* Et sect. 22: *Manifestum est, eundem esse in vtrisque verbis sensum, vt sepeliri sit ad inferos descendere: & ad inferos descendere, sit sepeliri.* Perkinsus in Explicat. Symboli to. 1. col. 680. *Descendit ad inferos, hoc est cum mortuus & sepultus esset, captiuus fuit detentus in sepulcro & seruatus à morte tres dies.* Et col. 679. *Alij sic exponunt: Sensit ac pertulit cruciatus ac angustias inferni: Bona* (inquit) *& vera est hæc expositio.* Et in serie causarum cap. 18. inquit: *Descensus ad inferos, id est dominium mortis ignominiosum in eum iam sepultum.* Danæus controu. 2. pag. 161. *Nomine mortis Christi cruciatus animæ & maledictio Dei, quæ in animo sentitur, intelligunt ur.* Pag. 169. Græca vox ᾅδης *pro sepulchro cadaueris poni apparet ex* Actor. 2. & 172. inquit: *de descensu Christi ad inferos, id est, doloribus in anima à Christo toleratis.* Tilenus in suo Syntagmat. ca. 6. p. 67. Per descensum ad inferos intelligit imperium *dominiumque illius* ᾅδου, *quod* (inquit) *per continuatam Christi in obsignato & custodibus munito sepulcro oppreßi cõclusique, mortem*

Descendit. 1. mortuus est.

1. Sustinuit damnatorũ pœnas.

Descendere ad inferos. 1. Sepulcro condi.

Anima in inferno. 1. Cadauer in sepulcro.

Anima. 1. Cadauer. Caro. 1. anima.

Descendere ad inferos 1. Sepeliri. Perferre cruciatus inferni.

Subire Dominium mortis.

Subire dominium mortis.

triduo illo obtinuit. Bucanus loco 25. *Per descensum Christi ad inferos significantur summi illi amini cruciatus, quos sustinuit in agone & cruce.* Polanus in Syntagmate lib. 6. cap. 21. *Nos declaramus, quod descensus Christi ad inferos, sit voluntaria demissio suipsius ad sufferendum atque eluctandum dolores inferni.* Demũ Vorstius in Antibellarm. pag. 40. ita scribit: *De vero huius articuli* (Descendit ad inferos) *sensu, non prorsus inter omnes Euangelicos conuenit, dum alij propriè ad mortem & sepulturam Christi, quasi per Exegesim quandam, alij metaphoricè ad internos animi dolores seu cruciatus infernales, quos Christus tempore mortis & passionis suæ sustinuerit: alij denique metonymicè siue effectiuè per quandam prosopopœiam ad fructum mortis & passionis Christi nobis miseris ac damnatis exhibitum, hanc phrasim accommodant.* pag. 41. *Dicimus phrasim illam: Descendere ad infernum; verissimè nihil aliud quàm simpliciter mori siue in statum mortuorum redigi & porro sepeliri, in Scriptura significare.* Et pag. 42. *Sensus illorum verborum: Non relinques animam meam in inferno, sic commodissimè reddi potest: Non relinques vitam meam in morte, siue non relinques me ipsum in potestate mortis: Quanquam nihil etiam vetat, per Animam Synecdochicè intelligere ipsum copus & quidẽ iam mortuum, & porro sub nomine Inferni sepulcrum accipi.*

Christus descendit ad inferos. 1. sustinuit dolores in cruce. Vel voluntariè demisit se ad sufferendum dolores inferni. Descendit. 1. sepultus est. Vel sustinuit cruciatus infernales. Vel redemit nos ab inferno. descendere ad infernum 1. mori ac sepeliri.

Exponunt etiam, sacram scripturam per opposita. Nam cum Iacobus cap. 2. ait hominem *non iustificari ex fide tantum:* illud intelligũt non de fide, *sed vmbra tantùm seu mortuo simulacro fidei.* Ita Zuinglius, Caluinus Beza in illud cap. Lutherus Postilla in Dominic. 9. post Trinit. fol. 306. Bucerus in Math. 8. Vvitakerus li. 1. con. Duræum sect. 13 & alij. Vide eorum verba lib. 1. c. 12. Art. 11. Similiter *Credũt*, in illo Lucæ. 7. v. 13. *Ad tempus credunt*, iuxta ipsos non est credere, *sed fallaci fidei simulatione non hominũ oculis modò imponere, sed suis ipsorum animis.* Ita Caluin. 2 Inst. c. 2. §. 10. vbi hanc fidem vocat *vmbram seu imaginẽ fidei* aitque esse *nullius momenti & indignam fidei appellatione.* Cum Ioannes c. 2. v. 23. ait: *Multi crediderunt in nomine eius*, Caluinus ibidem sic interpretatur: *Præpostera erat eorũ fides: Non fuisse verã & legitimam eorum fidem constat.* Lutherus etiam Postilla in Domi. Quinquagesimæ fol. 205. ait Paulum cum dicit. 1. Cor. 13. *Si habuero omnem fidem &c, non loqui de fide Christiana.* Simili modo *Illuminari*, *Gustare donum cæleste,*

Anima. 1. Corpus mortuum. Infernus. 1. sepulchrũ. Fides. 1. non fides sed vmbra tantum. Credunt. 1. non vere Omnis fides, tamen non Christiana

& Participem fieri Spiritus. S. Hebr. 6. v. 4. secundum ipsos non est Donari vera fide aut spiritu regenerationis, sed persuasione quadam affine fidei, & sensu quodam gratiæ. Ita Caluinus 3. Instit. cap. 2. §. 11. & 12. & in Hebr. loco citat. Ibique Beza & alij. Præterea *Fidem consummari ex operibus*: Iacobi 2. v. 22. ex ipsorum sententia non est consummari seu perfici, sed probari esse talem. Caluinus ibidem: *Dicitur ex operibus fuisse perfecta, non quod inde suam perfectionem accipiat, sed quòd vera esse inde comprobetur.* Demum cum Christus Ioan. 6. fidem vocat opus, ita exponit Zuinglius lib. de vera & falsa relig. cap. de orat. tomo 2. fol. 226. *Atque sic appellat opus, vt per contrarium sensum dicere velit: fide beabimini, nullo opere.* Eodemque modo deprauant loca Scripturæ quæ dicunt malos seu reprobos credere, illuminari, pœnitere &c.

Perficit. i. nõ perficit sed ostendit.

Opus. i. nullum opus.

Christus loquitur per contrarium.

Quoad opera: negant *Operari* in illo 2. Corinth. 7. v. 10. *Tristitia secundùm Deum pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, significare *Causare*, sed solum præcedere salutem. Caluinus ibidem: *Neque enim inquirit de causa salutis, sed tantùm pænitentiam à fructu quem producit commendans, instar viæ esse dicit, qua ad salutem peruenimus. Salutem vestram operamini* Phylippens. 2. secundum ipsos non iubet efficere salutem, sed tantùm facere ea quę decent saluandos. Zuinglius in hunc locum tom. 4. pag. 507. *Neque enim Paulus in hoc loco bona operari præcipit, vt ex his salutem paremus, sed vt ea faciamus, quæ filios Dei, qui per fidem salui facti sunt, decent.* Quando Scriptura dicit: *Timor Domini expellit peccatum. Eleemosina purgat peccata, extinguit peccata. Per misericordiam purgantur peccata.* Kẽnitius in locis parte 2. tit. de Argumentis pag. 104. inquit: *Non loquitur de propitiatione seu satisfactione pro peccato, sed loquitur quod peccata vitentur & caueantur.* Ita expellere, purgare, extinguere peccata, non est purgare peccata iam facta, sed tantùm cauere facienda. *Esse factores verbi* Iacobi 1. v. 22. ex ipsorum mente non est esse factores verbi, sed illud ex animo amplecti. Caluinus ibidem: *Factor, hic non eum significat, qui legi Dei satisfacit, omnique ex parte eam implet, sed qui sermonẽ Dei ex animo amplectitur, vitaque testatur serio se credidisse. Perfecta charitas* 1. Ioan. 2. v. 5. apud ipsos non est perfecta, sed vera,

Operatur. i. non operatur sed est via.

Operari salutem. i. non operari eam sed alia.

Expellit peccatum. i. non expellit sed cauet.

Factor. i. non factor sed credens.

vera, Beza ibidem: *Non quæritur hoc in loco quis perfectè Deum diligat, sed quisuam verè illum diligat. Facere voluntatem Dei* 1. Ioan. 2. v. 17. iuxta ipsos non est facere, sed credere: Caluinus ibidem: *Si quis obijciat, neminem facere quod Deus præcipit, responsio in promptu est: non de absoluta legis obseruatione hic agi, sed de fidei obedientia. Fac hoc*, Lucæ 10. v. 28. non est iuxta ipsos facere, sed credere. Lutherus in Galat. 3. to. 5. fol. 345: *Est ista huius loci: Fac hoc & viues, sententia. Tu viues propter hoc fidele facere, vel hoc facere dabit tibi vitam propter solam fidem. Hoc modo iustificatio soli fidei tribuitur, vt creatio diuinitati. Mulieres* in illis verbis Apocalyp. 14: v. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, ex ipsorum mente nō significat mulieres, sed idola. Tilenus in Syntagmate. c. 47. p. 531. *Non de carnali cum mulieribus commixtione, sed de spirituali cum idolis scortatione intelligitur*, scilicet ne virginitas credatur habere speciale premium in cœlo. *Iustus & iustitia*, in illo Ezechielis 18. v. 14. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua*, apud ipsos non significat verè iustum aut veram iustitiam. Paræus lib. 3 de Iustific. cap. 14. p. 860. *Aduersarius perperam torquet hanc Scripturam à temporariè iusto ad verè iustū. Faciunt* in illo Rom. 2. v. 14. *Ea quæ legis sūt faciunt*, non significat facere, sed iubere. Beza ibidem edit. an. 1565. *Id est, honesta iubeant, turpia prohibeant. Neque enim hoc à Paulo dictum est de legis obseruatione, sed duntaxat de ratione quam profanæ etiam gentes in legibus condendis sunt secutæ.*

Perfecta. 1. *non perfecta sed vera.*

Facere. 1. *non facere sed credere.*

Fac hoc. 1. *crede.*

Mulieres. 1. *non mulieres sed idola.*

Faciunt. 1. *non faciunt sed iubent.*

Iniquitas. 1. *non iniquitas, sed pæna.*

Quoad peccata: *iniquitas* in illis verbis Prouerb. 16. v. 6. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, nō est iniquitas seu culpa, sed pæna temporalis. Kemnitius in locis parte 2. tit. de argumentis pag. 98. *Est misericordia, expiatio non culpæ, sed pænæ temporalis. Tolli peccata* 1. Ioan. 1. v. 29. non est tolli, sed tantùm non imputari. Caluinus in illum locum: *Quamuis peccatum in nobis perpetuo hæreat, tamen quoad Dei iudicium nullum est, quia abolitum Christi gratia nobis non imputatur. Deleri vt nubem* Esayæ 44. v. 22. non est Deleri, sed solùm non imputari: Bidembachius in Consensu Iesuitarum & Christianorum p. 724. *Quasi nebula deleri, omnia peccata nostra, & post tergum reijci, & in profundum maris demergi dicuntur, non quòd non sint am-*

Tolli. 1. *non tolli, sed nō imputari.*

Deleri. 1. *nō deleri sed non imputari.*

Hhhh

plius, sed quod creuenti non imputentur:

Quoad iustificationem: Grossius in Apologia pro disputat. inaugurali pag. 437. ita scribit: *Sanctificatio per sanguinem fœderis* (Hebr. 10. v. 29.) *non est interna cordis à peccatis emundatio. Accipere Spiritum S.* Actor. 19. v. 2. iuxta ipsos non est accipere gratiam sanctificantem, sed specialia dona. Caluinus ibidem: *Non de spiritu regenerationis, sed de specialibus donis hic à Paulo habetur sermo.* Similiter per Spiritum S. in illis verbis ibidem: *sed neque si Spiritus Sanctus est, audiuimus,* nolunt intelligi ipsum Spiritum Sanctum. Ita enim Caluinus: *Qui fieri potuit, vt homines Iudæi de spiritu nihil audierint?* & Beza. *Absurdissimum fuerit credere, eos ignorasse an esset aliquis spiritus S. Sanctificari,* apud Paulum Hebr. 10. v. 29. non est vere sanctificari. Sic enim Contra-Remonstrantes in Collat. Hagæ pag. 391. *Neque ex eo tamen potest concludi, eos ideo esse vere fideles, aut quòd sunt reuera sanctificati. A gratia excidere,* Galat. 5. v. 5. secundum ipsos non est excidere à gratia, sed excludi à spe eam obtinendi. Contra-Remonstrantes loco cit. pag. 388. *Dicuntur isti excidisse ex gratia iustificationis, non quod fuerint illius vnquam participes, sed quòd sint ab omni eius obtinendæ spe exclusi & remoti, quandiu per legem volunt iustificari.*

Spiritus. S. i. non Spiritus S. sed dona.

Excidere à gratia. i. non excidere ab ea, sed à spe.

Quoad Baptismum: *esse baptizatos*, in illis verbis Actor. 19. v. 3. *In quo ergo baptizati estis*, iuxta ipsos non est accepisse baptismum, sed alia dona. Beza ibidem. *Necesse est fateri, hic non agi de baptismo, sed de donis quibus illos peculiariter solebat Deus ornare, qui gubernaculis Ecclesiarum admouebantur.* Gualterus ibidem homil. 125. *Non de aquæ baptismo verba ista* (& baptizati sunt) *exponi debent, sed de ignis baptismo.* Similiter *baptisma* in illis verbis 1. Petri 3. *Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma;* ex ipsorum mente non significat baptismum, sed Christum. Zuinglius in respons. ad Hueberum to. 2. fol. 105. *Certò constat, Petrum eo loco per baptismum non quicquam aliud quàm Christum Iesum intelligere. Aqua* in illo Ioan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* ex ipsorum sententia non significat aquam baptismi, sed Spiritum S. Caluinus ibidem: *Nullo modo adducor, vt Christum de baptismo verba facere credam.* Et idem in Refutat. Serueti pag. 603. *Nihil hoc ad baptismum, sed*

Baptizati. i non baptizati, sed aliis donis donati.

Baptisma. i non baptisma sed Christus.

Aqua. i. non aqua sed spiritus.

metaphoricè nomen aquæ Spiritui adscribitur. Zuinglius in hunc locũ: *Per aquam, hic non elementalẽ intelligit, sed verbũ Dei, gratiam Dei, aquam cœlestẽ, id est* Spiritus S. *illustrationẽ.* Vvitakerus lib. 8. contra Duræum sect. 73. *Aquæ nomine nihil aliud nisi Spiritum* S. *significari perspicient.* Similiter Bullingerus Decade 5. sermo. 8. Volanus lib. 1. contra Scargam pag. 819. Et Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 514. Qui etiam ibidem pag. 406. ait quòd Apostolus *per lauacrum regenerationis* Tit 3. *non videtur significare baptismum, sed ipsam regenerationem.* *Aqua non elementum sed verbum Dei, gratiã Dei, aquã cælestem significat.*

Quoad Eucharistiam: *Est* in verbis consecrationis, iuxta Sacramentarios non significat *Esse*, sed *significare.* nec *corpus datum pro nobis, sanguis fusus pro nobis,* verum corpus & sanguinem Christi, sed tantùm figuras eorum: vti liquet ex ijs quæ retulimus lib. 1. cap. 10. art. 1. *Edere carnem & bibere sanguinem Christi*, toties repetita Ioan. 6. secundùm ipsos non sunt verè edere seu bibere, sed tantùm credere. Petrus Martyr contra Gardinerum parte. 1. col. 866. *Nos assiduè docemus: comedere videlicet carnem Christi, non aliud esse quàm eam fide apprehendere, vt datam pro nobis in pretium nostræ redemptionis.* Idemque habet col. 363. Et Lutherus Postilla in Dominic. post Natiuitatem fol. 58. *Carnem sanguinemque eius edere & bibere, aliud non est, quàm credere Christum hæc verè nostra causa assumpsisse; atque rursus in mortem impendisse.* Idem habet Zuinglius to. 4. in Ioan. 6. & in historiam Passionis pag. 353. & to. 2. l. de Relig. c. de Euchar. fol. 204. Bullingerus Decade 5. sermone 9. Vrsinus in Catechismo qu. 76. pag. 459. *Caro*, in illis verbis Christi Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus*, apud istos non significat carnem sed diuinitatem. Zuinglius in Exegesi to. 2. fol. 333. *dicit carnem suam verè esse cibum, non herclè carnem intelligens, sed potiorem naturam quæ carnem assumpserat.* *Corpus Domini*, in illis verbis 1. Corinth. 10. v. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* iuxta ipsos non significat corpus Christi sed homines. Zuinglius lib. iam cit. fol. 341. *Vidissis primo aspectu, quomodo Communio ac Corpus non pro distractione corporis Christi accipitur, sed pro ipsis hominibus.* *Est 1. Non est, sed significat.* *Edere 1. nõ edere sed credere.* *Caro 1. non caro sed diuinitas.* *Corpus Domin. 1. non corpus Christi, sed homines.*

Denique Lutherus ausus est statuere Canonem de intel-

ligendo verba scripturæ per opposita. Sic enim scribit in Psal. 5. tom. 3. fol. 171. *Hic tibi sit Canon: vbi Scriptura præcipit opus bonum fieri, sic intelligas, quòd prohibeat te facere bonum opus, cum non poßis, sed vt Sabbathum Dei sanctifices, mortuus sis & sepultus, sinasque Deum in te operari.* Quem Canonem probe sequũtur Protestantes, vt liquet ex eis quæ retulimus in hoc capite & ex aliis quæ retulimus cap. 6. & 7. vbi ostendimus eos in rebus grauissimis interpretari Scripturæ verba ironicè & ex sententia aliorum.

Hæc & innumera alia huiusmodi Protestantes, ex quibus perfacile esset, non caput, sed librum integrum contexere. Ex iis autem quæ retulimus, clarissimè constat. Primò quanta sit licẽtia hæretica (vt loquitur Tertullianus) quæ Scripturæ verba hâc, illâc, sursum deorsum, instar pilæ agitat, & in omnes formas mutat. Secundò, quàm facilè sit cuiuis idiotæ hac arrepta licentia quamuis hęresim quantumcumque Scripturæ contrariam defendere. Quis enim est, qui non poterit Scripturæ verba per diuersa, disparata, aut opposita interpretari? Tertiò, quàm impossibile sit, hac admissa licentia, vllam omnino hæresim ex Scriptura refellere, aut quicquam ex verbis quibuscumque, siue Dei, siue hominis probare. Quartò, quòd Protestantes hoc modo agendi, Deum & Scripturam maiori contumelia afficiant, quàm si eam prorsus negarent. Etenim si Scripturam negarent, solùm diuinam veritatem reiicerent, at hoc agendi modo non tantùm diuinam veritatem reiiciunt, sed etiam contrariam falsitatem ac mendacium pro diuina veritate obtrudunt, adeóq; ex Dei verbo faciunt (vti *In Galat.* 1. loquitur S. Hieronymus) verbum Diaboli. Quintò constat huiusmodi expositiones Protestantium similes esse illi, quam iocosè confingit Lutherus in Defens. verborum cœnæ to. 7. *Qualis expositio Protestantium.* fol. 384. vbi ita inquit: *Profectò rem magnam & seriam agunt* (Sacramentarij) *sed idem fit ac si cum antè negassem, quòd Deus cœlum & terram creauit, & mihi quispiam sese opponens illud Moysis proferret: In principio creauit Deus cœlum & terram, ego verba Moysis sic exponerem: Deus, id est, Cuculus, creauit, id est, deuorauit, cœlum, & terram, id est, carrucam totam & integram. Nunquid non artis hoc esse videatur? Sanè quidem histrionibus non indigna nec ignota.*

Hæc ille. Demum constat, Protestantes non tantùm nouam fidem, sed etiam nouam linguam, nouam grammaticam, nouam loquendi formam cudisse. Nam quoad propositiones, iubent affirmationem intelligi per negationem, & negationẽ per affirmationem, & simplicia verba præcipiunt intelligi per diuersa, per disparata, per opposita iis quæ apud alios homines significant. Atque hanc nouam ipsorum grammaticam agnoscit Lutherus in Galat. 3. tom. 5. fol. 345. *Sunt* (inquit) *ista vocabula, Facere, & Operari, tripliciter accipienda, substantialiter seu naturaliter, moraliter, & theologicè. In substantiis seu naturis & moralibus accipiuntur ista vocabula in suo vsu & naturali significatione: in theologia vero fiunt planè noua vocabula, acquiruntque nouam significationem. Quare cum legis in Scripturis de Patribus, Prophetis, Regibus, quod operati sint iustitiam, &c. memineris talia & similia dicta secundùm nouam & theologicam grammaticam* (Protestantium) *exponenda esse.* Item: *Quare iterum moneo: sententias, quas aduersarij opponunt ex Scripturis de operibus & mercede, semper theologicè exponendas esse per definitionem, vt si obiiciatur dictum illud Danielis 4. Redime peccata tua eleemosynis, statim consulenda est grammatica, non moralis, sed theologica.* Similia habet in caput 4. Genesis folio 60. Nec multò aliter Kemnitius libro de Origine Iesuitarum pagina 47. cum inquit: *Certissimum est, Spiritum sanctum voluisse in articulo iustificationis, non tantùm res ipsas & sententias, verùm ipsas etiam appellationes peculiari significatione distinctas esse à vocabulis Philosophorum.* Schusselburg. etiam in Epistola dedicatoria, libro quarto de Theologia Caluinistica distinguit inter Grãmaticam gentium (vti loquitur) & Theologicam, aitque: *illam accipere vocabulum iustitiæ actiuè, istam vero tantùm passiuè.* Similia habet Gesnerus loco secundo de Iustificatio. pagina 47.

Noua grãmatica Protestantium.

Quid verò de eiusmodi nouæ grammaticæ inuentoribus sentiendum sit, ipsimet aliquando docent. Ita enim scribit Lutherus de Seruo arbitrio tomo secundo, folio 435. *Quis non rideat, vel odio potius habeat intempestiuum illum vocabulorum innouatorem, qui contra omnium vsum inducere tẽtet eum loquendi*

Quid Protest. aliquãdo dicant de verborũ innouatoribus.

modum, vt mendicum vocet opulentum? —Hoc abusu loquendi quilibet de quolibet sese iactare posset. At hoc non est Theologorum, sed histrionum & quadruplatorum. Caluinus contra Libertinos cap. 3. *Libertini initio audacter reiiciebant Scripturas: postea cum viderent se ita loquentes omnibus esse horrori, tectiùs & obscuriùs agendum esse animaduertunt, vt simulantes se Scripturam minimè reiicere, in allegorias ipsam conuerterent, & detorquerent in alienos & peregrinos sensus, equum in hominem transformantes, & (quod vulgò dicimus) fingentes nubem laternæ cornua esse.* Et capite 7. *Quemadmodum circulatores, aliique errones, quales sunt qui ex Bohemia profecti per totum fere orbem vagantur, cæterique eius farinæ homines peculiaris sermonis genere vtuntur, quod à nemine nisi suæ factionis & fratriæ intelligitur, ita &c. — Non nego quin vtantur communibus vocabulis, sed ita significationem eorum deformant, vt nemo intelligat qualis proposita sit materia de qua agitur, nec quid negare aut affirmare velint.* Beza lib. de puniendis hæreticis vol. 1. Theol. pagina 156. *Satan, cum non posset Scripturam ex Ecclesia prorsus eiicere, vanis tamen allegoriis totam redderet inutilem: quod etiamnum iter Libertini & Anabaptistæ ingrediuntur.* Bullingerus Concione 25. in Apocal. ita scribit de Arianis, & Seruetanis: *Vertunt inflectuntque verba Dei pro solita sua Gigantea audacia, vt libet.* Vvitakerus lib. 1. de Scriptura cap. vltimo sect. 4. pag. 159. *Familistæ nullum penè articulum fidei nostræ illibatum relinquunt, dum suis allegoriis peruertunt ac corrumpunt omnia.* Et Rainoldus in Colloquio cap. 2. sect. 2. pagin. 61. iuxta editionem Anglicam: *Familistæ, vt phræneses suas à Scriptura tueantur, retundunt literalem sensum, qui acies illius est, eumque reponunt in vaginam fanaticorum suorum somniorum & allegoriarum.* Idemque habet Perkinsus in Conflictu Christi cum Diabolo to. 2. col. 115. Hæc illi in Libertinos, Familistas, Anabaptistas, & alios, quę non minus in se ipsos quā in illos quadrant, vt ex iis quæ hactenus retulimus, perspicuum est. Cæterùm vt ipse Lutherus in Genes. 6. tomo 6. folio octuagesimo quarto, inquit: *Hanc libidinem deprauandarum sententiarum nemo sanus ferret in fabulis Terentij, aut Virgilij Eclogis. Et scilicet nos eam feremus in Ecclesia?* Et tomo sept. in Defension.

Libertini.

Anabaptistæ.

Ariani, & Seruetani.

Familistæ.

verborum cænæ fol. 397. *Equidem non video vllo prætextu plausibili eos* (Sacramentarios) *excusari posse, quod bono animo ex quadam curiositate & cæcitate spirituali decipiantur, vt plerisque hæreticis vsu venit. Sed apparet eos ex peruicacia & malitia verbo Dei ludere. Non enim fieri posse arbitror, & eius modi frigidæ nugæ & λέσχαι hominem sana mente præditum, vel* Turcam *aut Iudæum, nedum Christianum seriò commoueant.* Hæc proprius ipsorum propheta. Sic ergo decimo nono loco argumentor: Qui non tantum eo modo, quo in primo libro ostensum est, cum expressis Scripturæ verbis pugnant: sed etiam in tot tantisque rebus, eadem verba per diuersa, per disparata, per opposita interpretantur, ita vt nouam grammaticam, seu nouam linguam ac significationem verborũ, nunquam antea auditam, introducant, ij manifeste contradicunt, imo illudunt vero ac germano sensui sacræ Scripturæ. Sic autem Protestantes faciunt: Ergo.

CAPVT XX.

Quod Protestantes cogantur verborum improprietatem, & omne genus figurarum comminisci.

VIgesimum argumentum, quo probabimus Protestantes genuino Scripturæ sensui contradicere, erit, quòd quando proprietas verborum Scripturæ illis aduersatur, cogantur eorundem improprietatem, & omne genus figurarum confingere.

Dicunt scripturam non proprie loqui.

Caluinus 4. Instit. cap. 8. §. 2. *Authoritas non propriè datur hominibus*: Beza in Confess. cap. 5. sect. 27. *Nec Pastores nec Doctores propriè possunt quenquam vel ligare vel soluere.* Zãchius de Ecclesia cap. 9. *Non proprie ipsis Apostolis aut alijs datur potestas remittendi peccata, non enim propriè ipsi remittunt peccata.* Vorstius in Respons. ad Homium. pag. 31. *Non dico fidem ipsam propriè nos iustificare.* Perkinsus in Cathol. Reform. controuer. 5. cap. 3. tom. 1. col. 396. *Regnum Cælorum appellatur præmium, non propriè, sed per figuram.* Et Controuers. 10. cap. 4. col. 426. *Verba ista: Hoc est corpus meum, non debent propriè intelligi, sed figuratè:* Paræus lib. 5. de Iustificat.

cap. 3. *Neque vita æterna propriè vocatur merces.* Piscator in thesibus lib. 2. pag: 103. *Fides propriè loquendo non purgat peccata.* Et pag. 512. *Christum purgasse Ecclesiam lauacro aquæ in verbo, non est propriè intelligendum, sed metonymicè.*

Impropriè.

Caluinus in Ioan. 4. v. 39. *Credendi verbum impropriè significat, mulieris sermone excitatos fuisse, vt Christum agnoscerent Prophetam.* In cap. 6. vers. 29. *Satis constat, Christum impropriè loqui, cum fidei nomen imponit operis.* Et in cap. 12. v. 42. *Impropriè loqui videtur, dum fidem à confessione separat.* In Matth. 6. v. 16. *Quod ieiuniis mercedem à Deo promittit, impropria est locutio.* In illud Matth. 12. v. 33. *Facit arborem bonam: Impropria est locutio.* In illud cap. 13. v. 19. *Rapit, quod seminatum est in corde eius: Quod verbum Christus dicit in eorum cordibus seminari, impropria est locutio.* Et in cap. 26. v. 26. *Impropriè ad panem transfertur nomen corporis, cuius est signum.* In illud Rom. 11. v. 22. *Si permanserit in bonitate: Impropriè de aliquo piorum hoc specialiter dictum foret, Deum eius misertum esse cum eum elegit, si modo in misericordia permaneat.* In illud Ephesios 2. v. 20. *Aedificati super fundamentum Apostolorum: Propriè vnicum fundamentum est Christus.* Beza in Colloqu. Montisbel. pag. 120. ait esse impropriam loquendi formam: *Baptismus abluit peccata.* Aretius in locis parte 1. fol. 84. *Altera est impropria remissio peccatorum, qualis est ministrorum.* Bullingerus Decade 3. Serm. 9. fol. 157. *Apostoli impropriè, operibus bonis, fidei autem vere & propriè, sed propriissimè ipsi Christo tribuunt iustitiã.* Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 119. *Impropriè dicitur: Credenti imputari fidem ad iustitiam.* Hęc & huiusmodi alia multa dicunt intelligi impropriè seu non propriè.

Tropicè seu figuratè.

Aliqua dicunt tropicè & figuratè intelligenda. Petrus Martyr lib. contra Gardinerum col. 263. *Locutionem illam: Hoc est corpus meum, non propriam sed metaphoricam & tropicam esse affirmamus.* Et apud Hospin. part. 2. Histor. fol. 259. *Verba: Hoc est &c simpliciter & absque tropo accipi nequeunt. Sunt tropicæ dicendi formulæ.* Et ipse Hospin. ibidem fol. 26. ita inquit: *Verba Christi: Hoc &c. per tropum, & quidem metonymiam, exposuit Zuinglius, Est per, Significat interpretans.* Fol. 35. *Oecolampadius tropum ostendit in nomine Corporis.* Et fol.

Hoc est corpus meum Tropica locutio.

fol. 161. inquit: *Argentinenses & Tigurini consentiunt tropica esse verba.* Caluinus de Ratione Concordiæ pagina 863. *Nomen Corporis figuratè ad panem transfertur.* Beza in Colloquio Montisbel. pagina 302. *Non negant nostri hanc propositionem, Homo est Deus, sed quomodo explicanda sit, docent: Nos tropicam locutionem esse dicimus.* Et 304. *Num ergo tu dices verbum in carnem mutatum esse, quod certè sequeretur, si verba Ioannis, verbum caro factum est sine tropo accipias.* Danæus Controuerſ. de Eucharistia, capite 10. pag. 546. *Ipse panis tropicè corpus Christi dicitur.* Vorstius in Antibellarm. pag. 394. *Apparet verba illa Christi per tropum omnino accipienda.* Tilenus in Syntagmate cap. 64. pagina 776. *Tribuit quidem Apostolus Christianis altare, at non materiatum & aspectabile, sed figuratum.*

Homo est Deus, *tropica locutio* Verbum caro factū est, *tropica locutio.*

Alia volunt intelligi Symbolicè. Caluinus in Admonit. vltima ad Vvestphalum pa. 818. *Panis symbolicè vocatur corpus.* Et contra Heshuſium p. 844. *Metonymica est, quod ad panem, locutio, vt verè pici possit symbolicè esse verum Christi corpus.* Zuinglius in ſubſidio to. 2. fol. 245. *Discipuli sermonem Christi rectè ntellexerunt, sed Symbolicūs.*

Verba consecrationis Symbolicè intelligenda.

Alia æquiuocè: Paræus libro 4. de Iuſtificatione capite 4. pagina 1007. *Fateor, in Scriptura Euangelium, legem fidei, legem Christi, legem libertatis, æquiuocè appellari: quo significato Christum esse legiferum, legislatorem, id est, doctorem concedimus.* Alia volunt intelligi Analogicè: Perkinſus in Cathol. Reformato. Controu. 11. cap. 2. to. 1. col. 428. *Panis est corpus Christi sacramentaliter, per analogiam, & non aliter.*

Alia Scripturæ verba æquiuocè.

Analogice.

Nonnulla intelligi volunt Synecdochicè. Lutherus apud Hoſpin. lib. citat. fol. 76. *Synecdoche est* (in verbis cœnæ) *vt gladius cum vagina*: Vvestphalus apud Schuſſelburg. to. 7. pa. 176 *Lutherus Synecdochicam locutionem agnouit in verbis Christi: Hic est, &c.* Idemq; habet Adamus Franciſci in Margarita theol. loco 16. Bucerus de vi & vſu miniſterij pag. 609. *Constat verba illa, Accipite, Edite, Synecdochica esse, & ad res duas referri.* Petrus Martyr contra Gardinerum col. 933. Ego *in illis verbis* (Cœnæ) *semper præ me tuli me metonymiam aut Synecdochen agnoscere.* Et addit: *Non potest negari esse ibi manifestam alleosin.* Et columna 955. *Fateor: Bucero synecdochen magis placuisse.* Vor-

Synecdochice.

stius in Antibellar.p.42. *Nihil vetat, per Animam Synecdochicè intelligere ipsum corpus, & quidem iam mortuum.* Vvigandus apud Schusselburg.to.7. Catal.p.754. *Cum metu & tremore salutem vestrã ope amini: Synecd.est,* Hoc est: *Agite veram pœnitentiam.* Lobechius disp.22.p.529. *Scriptura ait fidem nos iustificare, & fidem nobis ad iustitiam imputari per metalepsin & synecdochẽ: fide, pro obiecto fidei, id est, pro Christo seu iustitia Christi, posita.* Scharpius etiam de Iustificat.controu.1.pag.18.ait, quòd hæc locutio, fides iustificat, sit synecdochica.

Catachrestice & abusiue. Interdum aiunt ea, quæ ipsis aduersantur, dici Catachresticè seu abusiuè. Zuinglius libro de vera & falsa religione, capite de oratione folio 226. *Fidem abusiuè appellat opus Christus.* Ibidem folio 210. *Accipitur hic testamentum* (in verbis cœnæ) *abusiuè pro signo aut symbolo testamenti.* Item in Elencho folio 31. *Loquitur Paulus de duobus testamentis, sed alterum Catachresticõs testamentum vocat.* In Respons. ad Billicanum folio 268. *Oecolampadius docet hic* (in verbis cœnæ) *catachresin aut metonymiam esse.* In Matthæum 19. tomo 4. pagina 107. *Quod Scriptura fidem vocat, quæ mortua est, abusu vocis fit, vt cum dicimus, Fides Iudæorum, Fides Turcarum, &c.* Et apud Hospin.libr. 2.Histor. folio 35. *Cum per catachresin dico, Hic panis significat corpus meum, & Oecolampadius metonymicõs dicit: Hic panis est figura corporis mei, quid quæso discriminis est in sententiæ summa?* Illyricus in Matth.5. v.12. *Christus abusiuè vocat futura bona, mercedem.* Caluinus 3.Instit.cap.2.§.9. *Talibus, fidei testimonium tribuitur, sed per catachresin.* Zanchius in supplicat.tom.7.pag.59. *Verbum illud: Obedire concupiscentiis, cum ad electos transfertur, catachresticõs intelligendum est.* Paræus lib.1. de Iustificat. capit. 15.pagin. 251. *Mortua fides, non est vera fides, licet abusiuè dicatur fides.* Author. Responsion. ad Theses Valentianas impress. Rupellæ 1586.pagina 783. *Rectè atque ordine nostri homines docẽt Euangelium appellari legem non posse, nisi catachresticõs.*

Metaleptice. Nonnunquam volunt verba ipsis contraria, dici metalepticè. Zuinglius in Matth.24.tomo 4.pagina 133. *Nulli rei, quamlibet sanctæ, salus adscribenda est, quàm puræ & meræ gratiæ Dei: Quòd si in Scripturis aliquando illis rebus quid tribuitur, fit hoc per locutiones metalepticas aut synecdochicas.* Vrsinus in Catech.

qu.63.pag.403. *Fides est iustitia nostra:correlatiuè & metalepticōs intelligitur,alioquin falsò.* Et pag.seq. *Fides correlatiuè ad iustitiam imputatur per metalepsin.* Et Scharpius controuerſ.7. de Iuſtificat.pag.119. *Correlatiuè ſumitur, & per metalepſin.* Tilenus in Syntagmate cap.56.pag.640. *Cauſam ſalutis,ne fidei quidem tribuimus propriè,ſed ſolum metalepticè.* His addo,quòd Zuinglius in Hebr.6.to.4.p.572.dicat: *Rectè per hyperochen dicta eſſe putamus, quemadmodum & illa Matth.18. Chriſtus de poteſtate ligandi & ſoluendi loquitur.* Et cum Angelus apud Zachariam cap.1. orat pro populo Dei: Bullingerus lib. de origine erroris cap. 8.fol.45.ait: *Hypotypoſis ſiue ſuffiguratio eſt rei præſentis.* *Hypotiposis.*

Sæpè volunt verba Scripturæ ipſis aduerſa dici metonymicè. Zuinglius lib.de Peccato originali to.2.fol.116. *Hoc ipſum volo:Culpam originalem,non verè ſed metonymicè culpam vocari. Quod Paulus ait:omnes peccauerunt,peccandi verbum metonymicè ponitur* Caluinus in Matth.26.v.26. *Nemo in Scripturis verſatus negabit,quin Sacramentalis locutio metonymicè ſumenda ſit.* Beza in Reſponſ.altera ad Selneccerum pag. 270. *Corporis & Sanguinis nomina non niſi metonymicōs pani & vino tribuuntur.* Danæus Controu.4.cap.4. pag. 108. *Eſt hæc locutio: Fides nos iuſtificat,metonymica:continens enim pro contento ſumitur:* Et controu. de Euchar.cap.1.pag.489 *Metonymicè panis hic ſacramentalis dicitur corpus Chriſti.* Vuitacherus Controu.4.qu.1. cap.2. p.546. *Eccleſia dicitur fundata in Apoſtolis metonymicōs, non propriè.* Bucanus in Inſtitut.loco 48. pag. 681. *Figurata eſt hæc prædicatio* (verborum cœnæ) *eaque non ſimpliciter metaphorica aut allegorica,ſed metonymica.* Piſcator in Theſibus lib.2. p.512. *Tit. 3. Deum ſeruaſſe nos per lauacrum regenerationis, aut non intelligit hac appellatione Baptiſmum, aut ſi intelligit, metonymicè loquitur.* Item: *Regeneratio fit per baptiſmum metonymicè.* *Metonymicè.*

Aliquando verò volunt ea dici metaphoricè. Zuinglius in Subſidio to.2.fol.247. *Nos dicimus per metaphoram huius ſermonis* (de cœna) *tropum explicari oportere — Tu metonymiam eſſe ais,vbi metonymia propriè non eſt.* Caluinus in Matth.3.v.12. *De igne æterno,metaphorica eſt locutio.* Et in Refutat. Catalani pagina 385. *De Baptiſmo hic* (Ioan.3.) *non diſſeritur, ſed metaphoricōs aquæ nomen tribuitur Spiritui S.* Et Muſculus in locis tit. *Metaphoricè.*

de Cœna to. 1. pag. 707. *Corpus Domini manducatur impropriè & metaphoricè.*

Mirum autem est, quot qualesque figuras confingant in 4. illis simplicissimis verbis cõsecrationis. Etenim Lutherani, tametsi contendant ea intelligi debere iuxta literam, nihilominus apud Hospin. lib. 2. Histor. fol. 352. dicunt. *In propositione ista:* Hoc est *&c. prædicationem esse* παρὰ φύσιν, *non* κατὰ φύσιν. Selneccerus ibidem fol. 284. vult *esse inusitatam prædicationem*. Heshusius apud Bezam in Dialogo contra ipsum volum. 1. theol. pag. 309. ait: *Dico inusitatum esse prædicandi modum contra omnes dialecticorum & Rhetorum regulas*: Hemingius in Enchyridio Classe 3. pag. 330. negat esse *Philosophicum modum prædicandi sed diuinum*. Lobechius Disputat. 12. pag. 287. *Voces propriè accipiuntur, sed modus prædicationis est singularis & inusitatus.* Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ pagin. 463. dicit *locutionem esse inusitatam: hoc est, mysticam & singularem; ac* ῥητὸν *quidem, respectu singulorum vocabulorum, modum verò prædicationis inusitatum respectu totius prædicationis, ab ipsis asseri.* Adamus Francisci in Margarita theol. loco. 16. pag 184. *Prædicatio non regularis nec figurata, sed inusitata pugnans cum ordine naturæ.* Similiter Reineccius to. 4. Armat. c. 16. Demum Grauerus in Absurdis Caluinisticis cap. 1. sect. 7. & vltima asserit esse *prædicationem denominatiuam*. At in Antithesibus doctrinæ Christi & Caluini pag. 410. ait, quòd *statuunt synecdnochen grammaticam, non rhetoricam.* Hæc Lutherani. Ex Sacramentariis (vt patet ex ijs quæ iam retulimus) alij volunt in verbis consecrationis contineri catachresin, alij synecdochen, alij allæosin, alij metonymiam, alij metaphoram. Et quidam volunt figuram ponendam in pronomine Hoc, vt Carolstadius; quidam in copula, est, vt Zuinglius; quidam in prædicato Corpus, vt Oecolãpadius. Et vt scribit Kekermannus lib. 3. systematis theol. pag. 445. *Sunt nonnulli, qui fateantur nec in prædicato, nec in verbo copulatiuo inesse tropũ, sed in ipsa connexione prædicati cum subiecto, id est, in ipsa forma huius propositionis.* Denique quidam non contenti vna figura, plures ibi statuunt. Polanus in Sylloge thesium parte 1. de de Cœna Domini pag. 298. *Triplex est tropus in his verbis:* Hoc

Quid Lutherani sẽtiant de verbis cõsecrationis.

Quid Sacramentarij.

Quot figuras ponunt in verbis consecrationis.

est corpus meum, Synecdoche generis, metaphora, & metonymia subiecti. Idque repetit pag. 302. Ramus apud Schusselburg. l. theol. 1. Caluin. art. 22. fol. 114. *Contendit tres figuras locum habere in verbis institutionis Christi.* Aretius ibidem fol. 113. ait *sermonem Christi*: Hoc est &c. *esse vel metaphoricum, vel catachresticum, vel metonymicum.* Pincierus ibidem. fol. 112. I*n Christi verbis*; Hoc *est* &c. *est vel metaphora, vel metonymia, vel Synecdoche, vel allæosis.* Et Zuinglius apud Hospin. parte 2. cit. fol. 143. H*æc verba*: Hoc *est* &c. *non naturaliter, ac pro verborum proprio sensu sunt intelligenda, sed symbolicè, sacramentaliter, denominatiuè, aut metonymicos. Ita omnia in figuras & imagines vrgent, planè ipsi imaginarij.* Vt de Valentinianis dicebat Tertullianus. Et vt inquit Illyricus in Claue Scripturæ parte 2. tract. 4. col. 283. *Nihil facilius quàm dicere, Tropus est, figura est, modus quidam dicendi est,* Hebraismus *est, vt grauiter Augustinus monet.* *Cap. 27. cont. Valentin.*

In forma igitur sic vigesimo loco argumentor: Qui præter prædictam pugnam cum expressis Scripturę verbis, etiam in tot tantisque materijs propriam verborum Scripturæ significationem per tot genera figurarum eludunt, ij contradicunt germano sensui Scripturæ: Protestantes antem ita faciunt: Ergo.

CAPVT XXI.

Quòd cogantur distinctiones friuolas, voluntarias, secum pugnantes, & anteà inauditas confingere.

VIgesimum primum argumentum quo probabitur Protestantes contradicere legitimo sensui Scripturæ, erit, quia vt eludant vim testimoniorum ipsius, coguntur multas distinctiones friuolas, voluntarias, secum pugnantes, & nunquam antea auditas excogitare.

Friuolę distinctiones eorum sunt huiusmodi, *David peccauit quidem, sed nunquam fecit peccatum; Aliud est peccatum facere, aliud peccare,* vt retulimus lib. 1. cap. 15. art. 11. Zanchius etiam de Perseuerant. to. 7. col. 153. ita distinguit: *Sancti labuntur in peccata, sed non prolabuntur.* Lambertus apud eundem. col. 125. *Electi multoties aberrant, nunquam tamen in errorem abducuntur*: Rainoldus thesi 2. pag. 77. *Valituras indicat* *Distinctiones Protestant. Friuolæ & verbales.*

(portas inferi contra Ecclesiam) *sed negat præualituras.* Caluinus de ratione Concordiæ pag. 863. *Nomen corporis figuratè ad panem transfertur, neque tamen figuratiuè.* Beza Respōs. ad Acta Montisbel. parte 2. p. 104. *Singulis baptizatis præbetur, sed non confertur baptismi gratia*, p. 123. Electi morientes in infantia *renouantur, sed non regenerantur.* pa. 177. *Volente Deo, primos homines peccasse, minime dixi, sed volente Deo fuisse lapsos.* Sic etiam pag. 227. Perkinsus de sermone Domini tom. 2. col. 575. *Christus secunda morte non est propriè mortuus, eam tamen pertulit.* Scharpius de Iustificat. Controuers. 14. pag. 214. *Aliud est seruare mandata, aliud implere.* Paræus lib. 4. de Amiss. Gratiæ cap. 10. pagin. 586. *Actualiter infantes non peccare verum est, non inclinatiuè peccare, est falsum.* Lib. 1. de Iustificat. cap. 13. pagin. 273. *Scripturæ requirunt sacramenta & pœnitentiam ad conuersionem, & regenerationem, non ad iustificationem.* Lib. 2. cap. 3. pag. 392. *Iustificabimur, & iusti constituemur, Apostolo non idem significare, manifestum est.* & cap. 9. pag. 481. *Iustum constitui, non est idem quod iustum effici in hac vita.* In Collegio Theol. 7. disput. 5. pag. 293 *Longè est aliud (Deo) omnes velle saluos fieri; aliud, velle omnes saluos facere.* & l. 2. de Amiss. Gratiæ c. 4. p. 237. *Peccatum & casus primi hominis nequaquam fuerunt idem.*

Distinctiones voluntariæ. Distinctiones voluntarias voco eas, quibus vnum idēque vocabulum in varia significata distinguunt pro suo libito, Exempli gratia, quando Scriptura iubet nos diligere Deum toto corde, tunc volunt, quòd *toto corde* significet omnimodam perfectionem dilectionis, vt ita pręceptum hoc sit nobis impossibile; quando verò docet aliquos dilexisse, aut dilecturos esse Deum toto corde, volunt quòd tantùm significet sinceritatem sine hypocrisi. Ita Caluinus in Actor. 8. v. 9. Paræus lib. 1. de Iustificat. cap. 10. lib. 2. cap. 7. & alij: Similiter, quando Scriptura 1. Corinth. 11. affirmat Eucharistiam, esse corpus Christi, tunc volunt *corpus* sumi pro figura. Quando verò ibidem dicit sumentes indignè Eucharistiam esse reos corporis Domini, tunc volunt illud intelligi propriè. Et sic de alijs innumeris vocabulis, quæ plane voluntariè diuersis modis intelligunt pro ipsorum libito.

Distinctiones secum pugnantes huiusmodi sunt, Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 7. pag. 1037. distinguit stipendium in gratuitum & debitum, & ait vitam æternam esse stipendium gratuitum, non debitum: ac si concipi posset stipendium non debitum. Similis huic est eorum distinctio mercedis, in debitam & indebitam. Etenim si nullo modo sit debita, non est merces, sed merum donatiuū. Vnde Bucanus in Institut. loco 32. pag. 3 8. *Merces propriè, nihil aliud est, quàm id quod datur ex debito.* Et Scharpius de Iustificat. Controuers. 15. pag. 225. *In humanis rebus, vbi est merces, est meritum.* Musculus etiam in locis titulo de Meritis pag. 276. *Sanè præmium esse non potest, nisi respectu meriti.* Imo & Paræus ipse in Procemio lib. 5. de Iustificat. pag. 1214. inquit: *Merces propriè dicta est debita.* Addit Paræus lib. 4. cit. cap. 10. pag. 1060. *Iustos posse implere legem impletione inchoata, non perfecta.* Idque repetit cap. 13. pag. 1093. Ac si posset esse impletio tantùm inchoata. Et nihilominus per hanc distinctionem solent eludere ea testimonia Scripturæ, quæ docent aliquos implere legem, diligere Deum, regenerari, facere bona opera, & similia. Quæ omnia intelligunt, inchoatè, seu ex parte. Beza in Dialogo contra Heshusium vol. 1. Theol. pag. 284. ait *Patres ante Christum fuisse vnum cum carne Christi futura, sed non actu.* Et in Colloqu. Montisbel. pag. 27. inquit: *Christum Deum & hominem fatemur quidem actu non fuisse hominem ante realem incarnationem, sed tamen verè S. Patribus præsentem fuisse docemus.* Et pag. 63. *Nolim sanè ego dicere corpus Christi tempore Abrahæ non extitisse. Fuit enim, sed non actu.* Gerlachius tom. 2. disput. 17. pa. 683. *Noë quidem perfectè fuit iustus, non autem fuit iustus absolutè.*

Distinctiones secum pugnantes.

Merces semper debita ex confess. Protestantium.

Fuit, sed non actu.

Distinctiones verò innumeras nunquam ante auditas excogitarunt: Nam (vt liquet ex ijs quę retulimus lib. 1. cap. 1.) distinguunt de Deo, quòd vult peccatum propter aliud, non propter se: quod illud vult, id est, decernit vt sit, non vult, id est, non approbat: Quod Deus absconditus vult mortem, non Deus reuelatus: quòd vult omnes saluos fieri voluntate reuelata, non arcana: vel vt loquitur Beza in 2. parte Respons. ad Acta Montisbel. pag. 175. *Vult omnes vo-*

Distinctiones inauditæ.

De Deo.

luntate aperta, non beneplaciti. Et pag198. *Non vult mortem peccatoris voluntate patefacta, sed arcana:* quòd inuitat omnes verbo, non animo: quòd castigat fideles ne peccent, non quia peccarunt: quòd iustificat impium manentem talem Euangelicè, non legaliter. Et alia multa eiusmodi, quæ colligi possunt ex Capite 1. citato. Quibus addo, quòd Beza contra Heshusium vol. 1. Theol. pag. 324. dicat. *Deo placet mendacium, non quatenus mendacium est, sed quatenus iustum supplicium:* Musculus in locis titulo de Iustificat. tom. 1. pag. 496. Deus iustificat impium manentem talem in throno gratiæ, non in throno iudicij. Tilenus in Syntagm. cap. 46. *Deus iudicat opera iustorum esse bona secundum* Euangelium, *non secundum legem.* Perkinsus in Apocalypsis 2. tom 2. col. 120. *Reuelata voluntas Dei per se habet annexam conditionem, secreta nequaquam.*

De Christo.

De Christo sic distinguunt: quòd sit peccator per imputationem, non per inhæsionem: quòd mortuus sit pro omnibus, non pro singulis: quòd aliquando loquitur ad mentem auditorum, non ad naturam rei: quòd est legislator caput Ecclesiæ, adorandus, inuocandus, potest remittere peccata, & facere miracula, qua Deus, non qua homo est. Vide plura lib. 1. cap. 2.

De sanctis.

Eliensis cont. Apol. Bellarmin. c. 1 Ant. de

De sanctis in hunc modum; Optant in Cœlo pro nobis non orant: optandum seu vouendum, vt orent pro nobis, non orandum: orant pro nobis in genere, non in particulari; sunt colendi cultu ciuili humano, seu profano, non sacro. Et vt inquit Perkins. in Cathal. reform. Contr. 14. cap. 2. *Angeli quando apparebant licite honorabantur, non modò.*

Dominis cont. Suarem c. 2. nu. 19.

De Scriptura.

De Scriptura sic. *In Paulo quædam sunt difficilia, non per se, sed per accidens.* Ita Reineccius tom. 1. Armaturæ. cap. 10. *Sunt in Scriptura quædam difficilia intellectu & obscura nobis, licet tota Scriptura in se sit perspicua*; Ita Paræus in Galat. 2. lect. 25. *Euangelium tradit opera bona, non per se, sed mutuatur doctrinam operum à lege*, Ita Paræus in Collegio Theol. 9. disput. 39. *Thessalonicenses non sibi sumpserunt iudicium, vel disceptauerunt an recipienda esset Dei veritas, tantùm Pauli doctrinam exigebant ad Scripturæ amussim.* Ita Caluinus in Actor. 17. v. 13.

Ac si alia esset doctrina Pauli, & alia veritas Dei. *Euangelium dicitur latissimè pro tota doctrina Christi & Apostolorum: Latè pro doctrina tum gratiæ & fidei, tum resipiscentiæ & nouæ obedientiæ: strictè & propriè est doctrina gratiæ per fidem*, Ita Paræus lib. 4. de Iustificat. cap. 3. pag. 947. Demum loquitur legaliter, non Euangelicè: qua vltima distinctione, eludunt multa Scripturæ testimonia: vt videre est in Luthero de Seruo Arbit. to. 2. fol. 449 Caluino in Matth. 19. v. 17. Paræo lib. 4. de Iustificat. cap. 2. pag. 954. 963. Schusselburg. tom. 8. Catal. pag. 442. 448. 472. 480. 483. Et to. 4. p. 270. & alijs.

De S. Petro & Apostolis.

De S. Petro & Apostolis distinguunt, quòd S. Petrus sit primus Apostolorum ordine, non iurisdictione: quòd Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ, quatenus fundant Ecclesiam super fundamentum, non quatenus super ipsos fundatur: vel (vt loquitur Iunius Controuers. 3. lib. 1. cap. 10.) *Ecclesia fundatur super Petrum vt columnam, non vt fundamentum.*

De Pastoribus.

De pastoribus aiunt: quod authoritas inest verbo ipsorum, non ipsismet; quòd regunt Ecclesiam visibilem, non Catholicam: quod fiunt in casu necessitatis sine missione, non alias, vide lib. 1. cap. 6.

De Ecclesia.

De Ecclesia has nouas distinctiones introduxerunt: quòd, quoad professionem fidei, alia sit visibilis, alia inuisibilis: quod Ecclesia sit infallibilis in fundamentalibus dogmatibus, non in omnibus: quod sit audienda quando sonat Scripturas, non aliàs: quod sit columna cui affigitur seu adhæret veritas, non cui innititur, Ita Riuettus tract. 1. sect. 39. & alij vel (vt loquitur Eliensis in Respons. ad Apol. Bellarmini cap. 14.) *Columna ea veritatis sic est, non cui veritas innixa, sed quæ ipsa veritati*; quod Ecclesia *est necessaria vt credas Scripturis, non vt noris*, Ita Vuitakerus lib. 3. de Scriptura pag. 396. *Quod Ecclesia est stabilimentum & colūna veritatis, non fundamentum veritatis.* Sic Heilbrunerus in colloq. Ratisbon. sess. 7.

De Sacramentis ita distinguunt: quòd iustificant vt signa seu sigilla, non vt causæ: quòd recipiuntur integrè à pijs, sed

tantum ex parte ab alijs: quòd baptismus est *lauacrum regenerationis passiuè, non actiuè*, Ita Danæus controuer. 2. cap. 12. pag. 62. Quòd baptismus est vnus συνόλως *consideratus, duplex verò κατὰ μέρη*, Sic Beza 2. parte Respons. ad Acta Montisbel. pag. 44. *Quod baptismo aquæ Ecclesia mundatur significatiuè, realiter baptismo spiritus.* Ita idem ibidem pag. 115. Vel (vt ait Polanus in disput. priuatis pag. 37.) *Baptismo peccata deleri dicuntur, non propriè, sed figurato sensu*, Idem Beza apud Hutterum in Analysi Confeß: Augustanæ pag. 54. ait: *Nunquam simpliciter ego dixi baptismum esse regenerationis in pueris obsignationem, sed adoptionis.* Perkinsus in Galat. 3. col. 177. *Baptismo sublatus est reatus actualis, manet tamen potentialis.* Paræus in Galat 2. lect. 23. *Absoluté omnes nascimur peccatores, relatè ad fœdus nascimur Christiani seu fœderati Dei.*

De sacramentis.

Baptismus obsignatio adoptionis non regenerationis in infantibus.

De Eucharistia.

De Eucharistia distinguunt, quòd sit corpus Christi symbolicū, non verū: quòd caro Christi cæsa prodest, nō comesa; quòd exhibetur in cœna secundū virtutē nō secundū substātiam: quòd cum Paulus 1. Cor. 11. ait: *Iudicium sibi manducat*, non loquitur de iudicio damnationis, sed correptionis, ita Vvolfius apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 25. fol. 132. Demum, quòd Sacerdotes remittunt peccata indirectè: non directè, directè vt est offensa Ecclesiæ indirectè, vt est offensa Dei, ita Ant. de Dom. l. 5. de Rep. c. 12. n. 51. & 52.

De Fide. Quotuplex fides apud Protestant. Catholica. Specialis, Abstracta. Incarnata. Adultorū. Infantium. Mandati. Promißionis. Imputata. Inhærens. Electorum. Reproborū.

De fide distinguunt: quòd alia sit catholica, seu vniuersalis, aut historica, alia specialis. Item quòd *alia sit abstracta nuda, simplex: alia concreta, composita, incarnata*, Ita Lutherus in Galat. 3. to. 5. fol. 345. *Quòd alia sit habitualis & actualis adultorum, alia potentialis & inclinatiua infantium*, ita Paræus lib. 3. de Iustificat. cap. 14. pag. 883. vel (vt loquitur Polanus parte 2. thesium pag. 651.) *Infantes non habent eandem per omnia fidē cum adultis, habent tamen aliquid analogum.* Piscator in Thesibus lib. 2. pag. 252. Adam ante lapsum non habuit fidem iustificantem: seu, vt loquitur Paræus lib. 1. de Amiss. Gratiæ. c. 7. *amisit fidem mandati, non fidem promissionis.* Bullingerus Decade 5. serm. 7. f. 347. *Imputatione Dei, fideles sunt infantes.* Item. *Baptizātur in propria fide, quam videlicet illis imputat Deus,*

Et Zanchius in supplicat. ad Senatum Argentinensem to. 7. col. 59. *Reprobi multi donantur fide quadam simili admodum fidei electorum, non autem eadem*, Perkins. etiam in Cathal. reform. Contr. 4. c. 5. *Alia est generalis & Catholica fides, qua homo credit articulos fidei esse veros: alia iustificans & particularis.* Hæc illi de distinctione ipsius fidei. Similiter distinguunt de Fidei Iustificatione, nempe quòd iustificat relatè seu correlatiuè, non absolutè, quà instrumentum est, non quà opus, Buccanus in institut. loco. 3. pag. 322. ait: *Fides dicitur in iustitiam imputari; non absolutè, sed relatiuè*, Polanus parte 2. thesium pag. 197. *Fide iustificamur non propriè, sed relatiuè.* Reineccius tomo 4. Armaturæ c. 21. pag. 310. *Iustificat fides tam absolutè, quàm relatè considerata.* Paræus in Galat. 3. lect. 32. *Fides imputatur ad iustitiam relatiuè.* Itē. *Fides iustificat organicè.* Et in Collegio Theol. 2. disput. 10. *Fide dicimur iustificari, verùm non formaliter, nec meritoriè, sed organicè.* De amissione fidei ita distinguunt. Zanchius in supplicat. loc. cit. *Electi amittunt fidem ex parte, non penitus.* Beza in præfat. 2. partis Respons. ad Acta Colloq. Montisbel. pag. 5. & 6. *Fides consopitur, interdum penitus abolita videtur, non tamen amittitur.* & pagin. 68. *Lethargus est fidei, non interitus.* Item: *Sensus & vsus fidei ad tempus amittitur, non ipsa fides.* 228. *Aliqui reprobi credunt generali & Historica fide, Diaboli etiam ipsis communi.* Tilenus in Syntagmate cap. 43. pagin. 477. *Fideles non rarò fiunt emansores, non autem transfugæ ac desertores.* Deinde fides extra actum iustificationis, est mortua sine operibus non in actu. Item: *Fides dicitur opus non absolutè prout in se spectatur, sed relatè prout Christum apprehendit*, Ita Reineccius tom. 4. Armaturæ cap. 15. pagin. 161. Hunnius de Iustificat. pagin. 157. ait *Fides operatur per charitatem erga proximum, non erga Deum.* Demum Perkinsus in Casibus conscientiæ. cap. 7. col. 1329. inquit: *Quod quisque tenetur credere, verum est quidem quoad intentionem Dei obligantis, sed non est semper verum quoad euentum.*

Fides iustificat. Relatiuè. Relatè. Absolutè Organicè.

Fides amittitur ex parte.

Consopitur.

Tenemur credere quod non est verum quoad euētum.

De bonis operibus in genere distinguūt, quòd bona opera iustorum sunt bona ex parte, non simpliciter. quòd sunt æ-

De bonis operibus in genere.

qualia coram Deo, non in se: quòd sunt accepta Deo in throno misericordiæ, non iudicij: quòd sunt necessaria ad iustificationem necessitate præsentiæ, non causæ, quòd sunt necessaria ad salutem, nõ ad iustitiam: vt patet ex iis quæ retulimus c.13. Quibus addimus quòd Paræus l.4. de Iust. ca.17. p.1144. dicat: *Bona opera sunt præmio digna in foro misericordiæ, sed pœna digna in foro iustitiæ Dei.* Et l.1. c.16. 23. & 24. ait: *Opera requiri ad regenerationem, non ad iustificationẽ*, vel vt loquitur Reineccius to.1. Armat. c. 20. *Necessaria ad sanctificat. non ad iustificat.* Qui etiã to.4. c.22. distinguit opus *in tribuens & recipiens*, & ait fidẽ esse opus recipiens non tribuens. Schusselburg. tom.7. Catal. Hæret. p.446. dicit, quòd *perfecta obedientia est necessaria ad salutem, verùm aliena, non nostra.* Et addit: *Debitum obedientiæ est quidem necessarium ad salutẽ, scilicet, nisi gratis remittatur.* Scharpius de Iustificat. Controuers. 15. pag. 231. inquit: *Iusti sunt digni regno Dei, dignitate aptitudinis, non perfectionis aut meriti.* Riuettus tractat.3. section.36. pagin. 981. ait: *Potest esse relatio mercedis & meriti inter homines, non inter Deũ & homines.* Perkins in Cathol. reformation. Controuersia. 4. capite 6. *Opera bona necessaria sunt ad salutem, non vt causæ, sed solummodo vt necessariũ quoddam consequens fidei.*

Opus tribuens & recipiens.

De bonis operibus in particulari.

De bonis operibus in particulari distinguunt, quòd non nubere sit bonum commodum, non honestum: quòd virginitas præstet coniugio secundùm quid, non simpliciter: quòd ieiunium sit pars diuini cultus in lege, non in Euangelio: quòd Eleemosyna liberat à peccato & morte non in se, sed in sua causa: quòd licet orare pro electis, non pro alijs: pro viuis, non pro mortuis: pro rebus promissis in Scriptura, non pro alijs, vt liquet ex ijs quæ retulimus cap. 14. Quibus addimus, quòd Perkins: in Cathol. reform. contro. 3. c. 3. dicat: Non tam oramus pro remissione peccatorum præteritorum, quàm præsentium. Confessio Vvittembergica *licet optare defunctis omnem in Christo tranquillitatem & felicitatem, non autem licet pro ijs orare*, seu vt ait Lutherus. Postilla in Dominic.2. post Trin. f.286. & in die omniũ Sanctorum fol. 441. licet semel & iterũ orare pro mortuo, non autẽ sæpius; Item, domi & in conclaui, non in Ecclesia. Idemque habet

Quomodo liceat orare pro mortuis iuxta Protest.

Vrbanus Regius in formulis cautè loquendi to. 1. fol. 86. Qui etiam inquit in lo. comm. fol. 322. quòd orare possumus conditionaliter pro anima fratris, non absolutè. Fieldus l. 3. de Eccles. c. 17. ait, quòd licet orare pro mortuo statim à morte, non autem postea: Zuinglius verò in art. 60. inquit: *Si quis pro mortuis sollicitus, apud Deum gratiam eis implorat aut precatur, non damno: sed tempus de hoc definire, est diabolicum.* M. Ant. de Dominis l. 5. de Rep. c. 8. n. 132. ait: *Deum remittere peccata leuiora paulo post mortem ad intercessionem Ecclesiæ, non autem diù post mortem.* Perkinsus in Apoc. 2. to. 2. col. 115. inquit: *Præceptũ resipiscendi datur directè electis, indirectè reprobis.* Et Tilenus in Syntagmate capite 47. pagina 530. *Ex 1. Corinth. 7. non concluditur aliquod Apostoli consilium: sed votum dumtaxat & optatum comprecantis continentiæ donum.*

De Peccato ita distinguũt: quòd imputatur reprobis & infidelibus, non fidelibus & electis: quòd est veniale electis, non aliis: quòd est cum iustitia cum lucta, non aliter: quòd vsura mordens est damnanda, non alia, prout retulimus lib. 1. cap. 15 Præterea Perkinsus in Cathol. Reformat. controu. 2. ca. 1. ait, quòd *in iustificatione culpa tollitur non in se, sed quatenus est in persona*: seu, vt loquitur Riuettus in Controuers. tract. 3. sect. 26. pag. 874 *Macula manet ex parte, non ex toto.* Caluinus in Ioann. 1. v. 29. ait, *peccatum est in nobis, sed non in iudicio Dei.* Beza in 2. parte resp. ad Acta Montisb. pag. 73. *Dauid peccauit, at non totus sed quatenus non regeneratus.* Et pag. 79. *Non retinuit Spiritum S. sed aliquid Spiritus sancti.* Et 71. *Peccata non excutiunt Spiritum S. sed eius efficaciam interrumpunt.* Et 87. *Sopiunt Spiritum sanctum ad tempus non excutiunt.* Paræus lib. 1. de Amiss. Gratiæ cap. 7. *Adam lapsus est non vt prædestinatus, sed vt prædestinandus, Excidit gratia creationis, non gratia iustificationis.* Et Piscator in thesibus loco 20. pagina 313. *Electi labuntur, sed non prosternuntur.*

De Peccato.

De Iustificatione ita distinguunt: quòd operibus declaratur, non causatur: quòd remittit peccata, non tollit: quòd facit vt peccatum non imputetur, non vt non insit: quòd reddit hominem iustum non in se, sed in Christo. Et alia huiusmodi vt videre licet l. 1. c. 16. Præterea Lutherus apud Zanchium de Perseuerantia to. 7. col. 128. inquit: *Cum peccauit Petrus, dilectio*

De Iustificatione.

eius erga Christũ & Deum non fuit submersa, sed tantum fluctuauit: Reineccius to.4. Armat.c.15. *Sanctificatio crescit & decrescit, non iustificatio.* Kemnitius in locis parte 2.tit.de Argumentis pag.102.docet, quòd cum in Scriptura petitur, vt Deus iudicet, aut retribuat nobis secundùm iustitiam nostram, non loquitur de iustitia personæ, sed causæ seu controuersiæ cum aliis hominibus. Et pag. 245. inquit: *Imputatiuè intelligendum est: Vos mundi estis, Ioan.13. Abluti & sanctificati estis 1.Corinth.7.* Vvitaker.ad Rat.8.Camp.pag.38. *Fides, spes, & charitas nos iustos faciunt inchoate, non absolute.* Perkinsus de Prædestinat. to. 1.col.142.distinguit gratiam *in reprimentem,* (quam facit communem reprobis) & *renouantem*, quam vult esse propriam electis: Et in Cathal.reform.Contr. 4. cap. 4. *Adam habuit iustitiam imputatam quoad ipsam rei substantiam, non quoad imputationem.* Illyricus in Claue Scripturæ parte 2.tract.6.col.559.inquit: *Peccatum, iure, ac promissione de futuro: non actu ac opere ipso abolitum est.* Gesnerus in compendio loco 22. *In Scriptura vocantur iusti, qui pollent iustitia, in doctrina legis, non in doctrina Euangelij.* Scharpius de Iustif.Controu.1.p.19. *Iustificatio effectiuè, proxime à solo Christo est, at sanctificatio, à Spiritu sancto. Iustificatio nos absoluit in iudicio Dei, non sanctificatio.* Et Controu.7.p. 133. *Duplex est ablutio peccati, prima, reatus, & hæc est iustificatio: secunda inhæsionis, & hæc sanctificatio est.* Bullingerus Decade 3. serm.9. *Duplex est iustitia, iustificans, & obediens.* Polanus parte 2.thesium p.71. *Gratia, quam accepit Adam in creatione, non erat gratia gratum faciens.* Et in disp.priuat.p.37. *Peccata delentur pœnitentia, non causatiuè, sed ostensiuè.* Riuettus tract.3.sect.25.pag. 878. *Sumus imputatiuè iusti, perfectè: inhærenter iusti, inchoatè.*

Peccatum abolitum iure & promissione, non facto.

Duplex ablutio peccati.

De lege.

De lege distinguũt, quòd abrogatur à fidelibus quoad rigorem & imputationẽ, non quoad obligationẽ: quòd sit duplex impletio legis, legalis, & Euãgelica: quod lex humana obliget in genere, non in specie. Præterea Vvitakerus l.8.cõtra Duræũ sect. 95.ait: quòd Decalogus sit abrogatus secundum quid non simpliciter. Calu.in Act.15. v. 10. *Præcepta sunt iugum importabile quoad exactionem, non quoad doctrinam.* Paræus l.2.de Iust.c.7.p.467. *Sunt grauia quoad perfectionem, non quoad inchoationem:* Reineccius to.4. Armat. c.13. *Sunt leuia respectu imputationis & inchoationis, non perfectæ impletionis.* Bucanus in Insti-

tut. loco 19. *Renatis lex possibilis est per imputationem satisfactionis Christi, & per inchoationem nouitatis.* Scharpius de Iustificat. Controuers. 12. pag. 180. *Lex est possibilis quoad externa præcepta, non interna: ex parte, non ex toto, seu inchoatione, non perfectione. Item in Christo, non in nobis.* Musculus in locis titulo de Legibus pag. 137. in fol. *Adimplent legem Christiani perfectè in Christo, imperfectè, in se ipsis.* Polanus in Disput. priuat. 40. pag. 114. *Renati seruant præcepta Dei imputatione, non ipsimet præstant.* Reineccius tom. 4. Armaturæ cap. 15. pag. 174. *Iuxta legem nemo est dignus apud Deum, iuxta Euangelium pij sunt digni coram Deo.*

Has & complures alias huiusmodi distinctiones nunquam antea auditas apud Christianos in omni penè genere materiæ inter nos ac ipsos Controuersę commenti sunt Protestātes; quibus hoc vnū impræsentiarū oppono, quòd ipsimet asserāt nullas in Theologia distinctiones admittēdas esse, quæ non apertis & expressis Scripturæ locis nituntur. Ita enim scribit Vvitakerus Controuers. 4. qu. 1. c. 3. p. 551. *Ea magni æstimanda regula est: Nullas in Theologia probandas distinctiones esse, nisi quæ apertis Scripturarum locis nituntur.* Et lib. 2. de Concupiscentia c. 7. *Quiduis dicere & defendere licebit, si tales distinctiones valeant.* Sadeel etiam ad Repetit. Sophism Turriani. p. 647. *Regula theologica: Omnes distinctiones in theologia esse locis expressis Scripturæ confirmandas.* Similia habet Perkinsus lib. de Cœna tom. 1. col. 851. & alij.

Quæ solæ distinctiones probātur Protestantibus.

Vsitatissimę autem distinctiones quibus plerunque Scripturæ testimonia sibi aduersantia solent eludere, sunt istæ, quamuis forte non omnes ijsdem terminis (tamen æquiualentibus) ab ipsis efferantur, *Coram hominibus, non coram Deo,* seu quod eodem recidit, *videtur esse, non est.* Hac distinctione eludunt ea testimonia Scripturæ, quæ docent reprobos vel malos credere, facere bona opera, esse in Ecclesia, reprobos iustificari, bona opera iustificare, redimere peccata, & similia. Hæc enim intelligunt coram hominibus non coram Deo, seu videri esse, non esse. Alia vsitata eorum distinctio est: *In se vel in alio,* Hoc modo eludunt ea testimonia quæ dicunt fideles esse iustos & dignos Deo, implere legē, baptismū remittere peccata, eleemosinam liberare

Vsitatissimæ distinctiones Protest.

à peccato & similia, quæ intelligunt, in alio non in se, vt fideles esse iustos, dignos Deo, implere legem, in Christo, nõ in se, eleemosynam liberare à peccato non in se sed in fide. Ita Confess. Augustana. cap. de implet. legis: Et Baptismũ remittere peccata non in se sed in fide. Ita Caluinus in Actorum 2. v. 38. Tertia vsitata eorum distinctio est: *Significatiuè, non Causaliter.* Hoc modo eludunt ea testimonia, quæ docent sacramenta efficere gratiam, sacerdotes remittere peccata, bona opera iustificare, causare vitam æternam & similia. Quæ ipsi exponunt, significatiuè, seu ostensiuè, non causaliter. Quarta vsitata eorum distinctio est: *Secundum quid, non simpliciter*: Hoc modo eludunt illa testimonia, quę testantur quòd sit iustitia inhærens, quòd peccata tolluntur, quòd bona opera iustorum sunt verè bona, & huiusmodi, quæ ipsi intelligunt secundùm quid seu ex parte, non simpliciter vel integrè. Quinta eorum consueta distinctio est: *Dictum legale, non Euangelicum*: Hoc modo eludunt eas sententias Scripturæ, quæ asserunt iustitiam & vitam æternam acquirendam per bona opera, bona opera seu obseruationem legis esse necessariam ad iustitiam vel salutem: Huiusmodi enim pronuntiata volunt tantùm esse legalia non Euangelica. Omnium vero vsitatissima eorum distinctio est: *Figuratè, non propriè.* Qui modus eludendi Scripturam latissimus est, & penè omnes iam dictos modos complectitur. Etenim quod tantùm videtur esse & non est, figuratè est non propriè: Quòd non est in se sed tantum in alio, figuratè est non propriè; Et similiter quod est tantum secundum quid & non simpliciter, sicut quod tãtum significat non causat, figuratè causat non propriè. Quia tamen hæc eorum distinctio vilesceret, si sub ijsdem terminis omnibus locis adhiberetur, eiusque inanitas manifestè appareret, si quibusdam locis explicandis nudè applicaretur: Ideo Protestantes eam verbis saltem & minutis aliquibus circunstantijs in plures secuerunt. Peculiariter vero eludunt hoc modo ea testimonia Scripturæ, quibus Eucharistia dicitur esse corpus & sanguis Christi, vita æterna dicitur merces, Apostoli dicuntur fundamenta Ecclesię, Euangeliũ dicitur
lex,

lex, Christus dicitur legislator & descendisse ad inferos, dicitur esse in Ecclesia altare & sacrificium, & similia. Hæc nimirũ sunt sopha pharmaca, quæ omnibus plagis, quæ ipsis à Scriptura infliguntur, curandis, Protestantes adhibent: quibus si permiserint aliis hæreticis vti, prout ipsi faciunt, nihil omnino ex Scriptura probari poterit.

In forma igitur sic vigesimo primo loco argumentor: Qui præter pugnam cum expressis Scripturæ verbis in priori libro relatam, in multis magnisque materiis plurimas distinctiones friuolas ac verbales, secum pugnantes, & nunquam antea apud Christianos auditas confingunt: ij etiam pugnant cum vero sensu Scripturæ: Protestantes autem ita agunt. Ergo.

CAPVT XXII.

Quod Protestantes fateantur vnanimem consensum Patrum, Ecclesiæ, Conciliorum ipsis aduersari, eumque parui faciant, imò contemnant.

VIgesimum secundum argumentum, quo probabimus Protestantes pugnare cum vero sensu Scripturæ, erit, quia nõnunquam fatentur vnanimem consensum sanctorum Patrum, Ecclesiæ, & Conciliorum ipsis aduersari, eumque parui faciunt, ac contemnunt.

Quòd fateantur vnanimem consensum Patrum, Ecclesiæ, & Conciliorum ipsis aduersari, liquet. Sic enim scribit Lutherus in 2. Petri to. 5. fol. 490. *Hic impegerũt quotquot antehac vel Patres, vel Doctores Scripturam explanarunt, vt cum illud Matth. 16. Tu es Petrus, &c. de Papa interpretantur.* Tom. 2. de lib. arbit. fol. 480. *Quid iuuat, si quis priscis patribus tot sæculorum serie probatis nixus fuerit? Nonne & ipsi omnes pariter cæcutierunt?* Et to. 6. in Genes. 42. fol. 575. *Hic sanè omnes Patres, Augustinus, Ambrosius, &c. hallucinati sunt, neque quicquam intellexerunt.* Kemnitius in locis parte 1. pag. 166. *Tota antiquitas vno ore reiecit illas propositiones: Omnia quæ fiunt necessario fieri: Ex necessitate homines peccare.* Et tamen ita docent Protestantes, vt ostendimus lib. 1. ca. 1. art. 8. & ca. 20. art. 1. & 2. Schusselburg. to. 8. Catal.

Protestantes fatentur suis placitis aduersari Patres. Quotquot.

Totam antiquitatem

Hæret. pag. 379. *Catholicos vbique fuisse negamus veteres Ecclesiæ Doctores, quia alicubi hallucinati sunt, & quosdam fidei articulos peruerterunt.* Zuinglius in Resp. ad Episcopum Constantiēsem to. 1. fol. 219. Loquens de expositione Malachiæ circa sacrificium in Ecclesia, inquit: *Veterum sententia reiicitur.* De baptismo to. 2. fol. 59. *Dicendum est, ferè omnes eos quotquot ab ipsis Apostolorum temporibus de baptismo scribere instituerunt, non in paucis à scopo aberrauisse, quapropter nos longè alio modo quàm veteres simul & recentiores, imo nostri quoque temporis Scriptores factitarint, quidnam sit baptismus inspiciemus.* Et fol. 74. *Nec ij soli istud asserunt* (baptismum Ioannis diuersum esse à baptismo Christi) *Sed & omnes theologi quos vnquam me legisse memini, hanc illorum sententiam constantissimè sequuntur.* Ibidem in Parænesi fol. 603. *Patres sunt, qui Papatum, Anti-Christi fœtum scelestissimum nobis genuerunt.* Bullingerus Decade 4. sermone 10. fol. 263. *Verum sanè illud est, quod aiunt, veteres orasse pro defunctis.* Gualterus in Actorum 19. homil. 125. *Veteres hoc loco abusos fuisse constat: Fefellit hoc, quòd aquæ baptismum Ioannis & Christi diuersum esse putarunt.* Petrus Martyr. l. de votis col. 1560. *Certè, vt, quod verum est, fateamur, eos* (Patres) *in causa habemus iniquiores.* Et in 1. Corinth. 15. *Omnes Patres faciunt pro hac sententia.* Item: *De Patribus fatemur ingenuè, quòd præmiorum discrimina statuerunt.* Et nihilominus ipse & alij contrarium docent, vt ostensum est libr. 1. cap. 3. art. 3. Zanchius de Ecclesia cap. 9. tom. 8. col. 94. ita loquitur: *Non admittitur Patrum expositio in hoc loco.* Item: *Non admittitur Patrum expositio in hoc loco: Super hanc petram, id est, super Petrum.* Musculus in locis titulo de signis sacramentalibus tomo 1. pagina 605. *Efficaciam maiorem nostris, quàm veteris testamenti sacramentis, tribuunt Patres, vt dicant ea esse efficacia signa gratiæ, &c. Error hic est ab omnium fidelium mentibus propulsandus.* Ibidem tit. de Baptismo pagina 625. *Patres salutem infantibus fidelium morte antè baptismum abreptis negarunt.* Caluinus in 1. Corinth. 7. versu 5. *Ne quis miretur, quòd à veteribus in hoc argumento liberè dissentiamus.* Item: *Lapsi sunt veteres, dum votum perperam & inconsideratè approbarunt.* Et versu 7. *Veteres virginitatem cultum Dei censere voluntiam in eo pernitiosus est error.* In Actorum 19. versu 5.

Veteres.
Omnes fere ab Apostolis.
Veteres & recentiores.
Omnes.
Patres genuerunt Papatum.
Veteres.
Omnes Patres.
Patres.
Patres.
Veteres.

Apud veteres inualuerat opinio, diuersos fuisse baptismos Ioannis & Christi. Atque, vt breuitatis gratia verba eius omittam, 2. Instit. cap. 2. §. 4. fatetur Patres sibi aduersari de libero arbitrio. cap. 4. §. 3. de Permissione peccati. Cap. 14. §. 3. de Christo mediatore, vt est Deus. Cap. 16. §. 9. de Descensu Christi ad Inferos. Et lib. 3. cap. 4. §. 38. & 39. de Satisfactione. Cap. 5. §. 10 de Oratione pro mortuis. Et lib. 4. cap. 15. §. 7. de discrimine inter baptismum Christi & Ioannis, & §. 20. de Baptism. Laïcorum in casu necessitatis. Cap. 17. §. 39. de Delatione Eucharistiæ ad ægrotos. cap. 18. §. 11. de Sacrificio. Et §. 43. de Exuflatione & chrismate in baptismo. Similia agnoscit in Lucæ 7. versu 43. in Matth. 19. vers. 9. & 17. in 1. Corinth. 15. versu 10. in Hebr. 7. v. 9. & alibi sæpe. Beza in Respons. ad Castell. volum. 1. theol. pag. 460, *Hunc præcipuè locum à Patribus torqueri ad suũ limbum constituendum videmus. Et veteres etiam inde descensum illum animæ Christi ad inferos excogitarunt*, Præterea in Marci 1. v. 4. in Actorum 2. versu 24. & 27. & in cap. 19. v. 2. in Romanos 4. v, 11. & alibi frequenter agnoscit se à Patribus dissentire. Danæus controuers. 3. pag, 277. ait: quòd *Patres dictum Christi Matth. 16. Tu es Petrus, pessimè de Petri persona interpretati sunt.* Et pagina 281. *Pessimè locum intellexerunt.* Sadeel. ad Articul. Abiurat. 26. pag. 449. *Nos hunc articulum* (de descensu Christi ad inferos) *retinemus, quamuis aliter, quàm à veteribus, à nobis intelligatur.* Vvitakerus controuers. 2. qu. 5. cap. 7. pag. 513. *Nos quidem fatemur quosdam errores Papisticos esse antiquos, & à Patribus etiam teneri ac defendi: quod nos certè liberè & apertè profitemur.* Libro 6. contra Duræum sect. 7. *Ex Patrum erroribus vester ille Pontificiæ religionis cento consutus est.* Libro 8. sect. 7. *Vterque illum commentitium Patrum limbum meritò explodit.* Et l. 2. de Scriptura p. 280. *Lutherus ausus est à Patribus dissentire, quos contra Scripturas apertè sẽtire animaduertebat.* Perkinsus in Gal. 1. v. 8. to. 2. col. 22. *A temporibus vsq; Apostolorum diuersæ doctrinæ receptæ sunt ac creditæ, de intercessione SS, oratione ad mortuos & pro mortuis in purgatorio, & similes, cõfirmatæq; sũt hæ doctrinæ per varias reuelationes.* M. Ant. de Dominis l. 5. de rep. c. 11. n. 41. *verè & propriè sacerdotẽ peccata dimittere per claues*

Patres exponunt petram de Petro.

Papistica religio constat ex dogmatibus Patrum.

A temporibus Apostolorum oratio ad Sanctos & pro mortuis.

est communissimus Pa[illegible] *[illegible]jas.* c. 8. n. 157. *mos erat in Ecclesia antiqu[i]ssimus* [illegible] *[illegible]issime acceptissimus, vt pro mortuis* [illegible] *[illegible]ationes fierent.* Sutlinius lib. 1. de Ecclesia pag. 103. *Intelligit Bellarminus quemcumque cum Patribus in doctrina de libertate arbitrij humani, de satisfactionibus humanis pro peccato, de lymbo, de purgatorio, de precibus pro mortuis, de inuocationibus mortuorum, de prohibito coniugio & alijs huiusmodi doctrinis, consensum. Hunc consensum negamus esse notam Ecclesiæ: neque enim illi consenserunt in his omnibus cum Apostolica Ecclesia.* Denique Duditius apud Bezam epistola. 1. sic scribit: *Si veritas est, quam veteres Patres mutuo consensu sunt professi, ea à Pontificijs tota stabit.*

Patres mutuo consensu.

Fatentur sibi aduersari Ecclesiam.

Semper.

Simili modo agnoscunt Ecclesiam & Concilia ipsis repugnare. Ita enim Petrus Martyr in 1. Corinth. 3. pa. 84. in 8. *Solet nobis & illud obijci: Ecclesiam semper pro defunctis orasse. Quod equidem non inficior.* Vvitakerus controuers. 2. q. 5. cap. 7. pa. 514. *Respondeo: verum esse quod Caluinus ait & qui centurias scripserunt, in multis erratum esse à veteri* Ecclesia, *vt de limbo, de libero arbitrio, de meritis operum, & reliquis illis quæ supra commemorantur.* Ibidem pag. 513. *Dico Ecclesiam illam, quæ quingentis aut sexcentis annis post Christi tempora fuit, non per omnia tenuisse doctrinam Apostolicam: Errores quosdam tenuit.* Casaubonus in epistola ad Cardinalem Perronium. *Consuetudo est vetustissima, vt in publicis* Ecclesiæ *precibus commemoratio fiat defunctorum & quies illis petatur à Deo. Fidem suam de futura resurrectione vetus* Ecclesia *eo pacto approbauit.* Zuinglius in Elencho to. 2. f. 20. loquens de cæremonijs baptismi ait: *Nõ ignoramus iã inter exordia Ecclesiæ horũ fuisse vsũ.* Idẽ fatentur de Cõciliis. Sic enim Cõfessio Anglica articulo 21. *Generalia Concilia errare possũt, & interdũ errarunt, etiam in his qua ad normam pietatis pertinent.* Vrbanus Regius in interpretat. locoru. to. 1 f. 51. *Est vel Luce clarius omnia concilia perniciosè lapsa esse.* Caluinus 4. instit. cap. 9. §. 10. *In illis quoque antiquis & purioribus Conciliis est quod iure desideres, Exemplum illustre extitit in* Nicæna Synodo *Quàm multis partibus & alia quæ deinceps secuta sunt Concilia, lapsa fuisse verisimile est* Vvitakerus etiam Controu. 2. q. 7. c. 7. asserit Conciliũ Nicœnũ & Calcedonẽse errasse.

Ecclesiam veterem.

Ecclesiam 500. & 600. annorum.

Ecclesiam vetutissimam.

Cæremoniarum vsus inter exordia Ecclesiæ.

Fatentur sibi aduersari Concilia.

Generalia.

Omnia.

Antiqua & puriora.

Nicænum & Calcedonense.

Neque solum aduersantur Protestantes vnanimi consensui Patrum, Ecclesiæ, & Conciliorum, verùm etiam eum parui faciunt: Nam ita Petrus Martyr in locis tit. de Scripturæ authoritate §. 16. *At tum saltem, inquiunt, Patres probandi sunt quando inter se consentiunt. Imò ne tum quidem semper*, & lib. de Votis col. 1559. *Quandiu consistimus in Conciliis & Patribus, versabimur semper in iisdem erroribus.* Vvitakerus Controuers. 1. q. 5. c. 8. p. 358: *Consentiens Patrum expositio non est regula interpretandi Scripturas.* Contr. 2. q. 7. c. 7 p. 513. *Patres testes esse veritatis nō negamus, sic tamē vt nō sint omni exceptione maiores: nā omnes errarūt.* l. 6. cōtra Duræū l. 3. *Patrū cōsēsio nō est ab errore tuta atque libera.* Et ad Demonst. 7. Sanderi: *Nec te aliquid demonstrasse existimabimus, si vel Patrū integrum cōsensum in nos cōmoueris.* Rainoldus in Colloquio cum Harto p. 151. iuxta Anglicam editionem: *Non est examinanda veritas per consensum Patrum.* & pag. 150. inquit: *Quòd si non vnus aut duo ex Patribus sed omnes aliquid senserint, nec senserint modò sed scripserint, nec scripserint solùm sed etiam docuerint, non obscurè sed apertè; nec raro sed frequenter, nec ad tempus sed perpetuo, adhuc tamen consensus eorum non esset securus.* & pag. 151. cit. vniuersalitatē, antiquitatem, consensum, vocat *putridos postes.* Imò thesi 5. p. 136. contendit Romanam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, quia *exponi prohibet Scripturas contra eum sensum, quem S. mater Ecclesia tenet, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum; Quo ex interdicto* (inquit) *repudiantur sæpe, quæ tenore verborum sententiarumque, sacri contextus significata esse, docet Spiritus.* Mortonus in Apologia parte 1. lib. 1. cap. 69. *Interdum personis* (Patrum) *neglectis, tutissimum est primæuam antiquitatem ex Apostolicis Scriptis petere. Quæ est* (inquit) *prora & puppis defensionis Protestantium.* Caluinus 4. Institut. cap. 9. §. 12. *Nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina nos impediant, quo minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quo probemus an ex Deo sint.* Danæus Contro. 2. p. 289. *Quod ad Patrū dicta, hæc est nostra breuis ad ea omnia respōsio: Nos non spectare quid Patres dixerint, sed quàm verè.* Et contr. 5. p. 968. *Non quid Patres scripserint, sed quid scribere debuerint, no-*

Protest. paruifaciunt vnanimem consensum Patrum.

Patres non idonei testes.

Omnium patrum consensus non securus.

Non vera Ecclesia quæ nō exponit contra consensum Patrū.

Prora & puppis Protest. negligere Patres.

Non spectant quid dicunt Patres.

bis spectandum est. Vorstius in Antibel. p. 395. *Euangelici non valde in eo laborandũ putant, quid antiqui* Patres *hac de re censuerint aut scripserint.* Par. l. 5. de Iustifi. c. 5. p. 1294. *Dico scripturam ex Scriptura, non ex Patribus interpretandam esse.* Et lib. 2. de Gratia & libero. arbit. cap. 14 *Quamuis omnes* Patres *benè conuenirent, tamen infirmum est.* Reineccius tom. 1. Armaturæ c. 9. *Cum omnes Doctores Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolica traditione descẽdere, illud credendũ est esse Apostolicã traditionem? Nequaquam.* Gerlachius disp. 22. de Ecclesia pag. 953: Patres *à veritatis tramite deflexerunt: Non in his tantùm, in quibus & inter se comittuntur & cum a'ijs, sed & in ijs quæ consẽtienter tradiderunt* Idem docet Gesnerus loco 24. de Ecclesia p. 508. Cælius Secundus Curio l. 1. de Amplitudine Regni Dei p. 19. *Nihil ergo tot veterum* Patrum *authoritas, nihil sæculorum consensus moueret? Nihil prorsus.* Polanus in thesibus parte 3. pag. 546. *Citamus illa* (testimonia Patrum) *maximè cum controuersa capita religionis aduersus* Papistas *tractamus, non nostra causa sed propter Papistas, vt* Papistæ *refutentur per Patres, quos ipsi sibi iudices constituerunt: quemadmodum olim Patres refutarunt Ethnicos adhibitis testimonijs Sybillarum, Poëtarum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum Gentilium. Quemadmodum igitur* Patres *vsi sunt testimimoniis Gentilium aduersus Ethnicos: ita nos producimus testimonia* Patrum *aduersus* Papistas. Musculus in locis tit. de Scriptura p. 179. *Quod me attinet, non requiro testimonia* Patrum, *quibus auctoritas canonicæ Scripturæ tribuatur, & inter illam & scripta* Patrum *distinguatur: contentus ipsius S. scripturæ auctoritate & canone. Verùm quoniam aduersarij, veritati negotiũ prætextu* Patrum *facere moliuntur. rectè ea adduco vbi conatibus eorum resistunt, vbi verò ex scriptis* Patrum *aliquid cõtra nos adferũt, palam dico nolle me ad illorum auctoritatem astringi.*

Non putãt valde laborandum de patrib.

Patrum auctoritas nihil mouet Protest.

Citant Patres, sicut Patres citabant Ethnicos.

Nolunt ad Patrum auctoritatem astringi.

Similiter parui faciunt auctoritatẽ Ecclesiæ, & Conciliorũ, sic enim scribit Vvitakerus ad Rationem 3. Campiani: *Nullane firmamenta doctrinæ, nulla argumenta fidei, Ecclesia suppeditabit? Nulla.* Et contr. 1. q 5. c. 10. p. 363. *Praxis Ecclesiæ, est opinio hominum:* Patrũ sententia est opinio hominum *Concilij definitio, est iudiciũ hominum.* Vvorstius in Antibellarmin. pagin. 1. ait testimonium Ecclesiæ esse *mere humanum.* Et pag. 382. *Argumentum à praxi veteris Ecclesiæ, nihil concludit.*

Argumentum à praxi Ecclesiæ nihil valet.

Demum planè profitentur se Patres, Ecclesiam, & Concilia contemnere. Ita enim Lutherus de seruo Arbit. tom. 2. fol. 433. *Patrum authoritas susque deque facienda est.* Idem lib. de Concilijs citatus à Bellarmino lib. 2. de verbo Dei cap. 1. *Ante viginti annos coactus sum contemnere Patrum commentaria.* Et ait Patrum commentarios esse carbones pro auro. Melancthon in locis edit. 1523. ait: *censeo, non aliter atque pestem fugiendos hominum commentarios in rebus sacris.* Reineccius to. 4. Armaturæ c. 15. pag. 170. *Sunt Patres, qui eundem cũ Pontificijs errorem amplexantur, quorum testimonia & falsa & inepta susque deque ferimus.* Bullingerus Decade 5. sermone 4. fo. 299. *Ad veteres Ecclesiæ Scriptores, quos illi nobis obijciunt, nescio quid de primatu Petri testificantes, vno verbo respondemus Non perinde hic nos curare quid senserint veteres, quàm quid instituerit Christus.* Caluinus 3. Institut. cap. 4. §. 38. *Parum me mouent, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt.* Et de vera Ecclesiæ Reformat. pag. 335. *Nec veterum sententias moror quas ad obruendam veritatem huc congerunt moderatores.* Humfredus in Prolegomenis operum Iuelli pag. 84. *Quid nobis rei cum Patribus, cum carne & sanguine, aut quid ad nos attinet, quid episcoporũ pseudosynodi constituant.* Vvitakerus l. 8 contr. Duræum sect. 62. *De Patribus parũ laboro.* Sect. 69. *Quid de Ioa. baptismo Patres senserint, nõ laboro.* Cont. 1. q. 5. c. 10. p. 363. *Quid nobis cum Ecclesijs aut Concilijs, nisi quæ definiunt, Scripturis consẽtanea esse doceant?* Et l. 1. de Scriptura c. 1. sect. 7. p. 16. *Argumẽtum, quod à nudo Ecclesiæ testimonio ducitur, ad cõfirmandas Scripturas, aut aliquã Scripturæ particulã, aut dogma aliquod fidei nostræ dico esse inualidum, inefficax, ineptum ad persuadẽdum.* Quæ verba repetit Polanus in thesib. part. 2. p. 328. Iuellus in Apologia Ecclesiæ Anglicanę parte 4. p. 117. in 16. ait quod *via inueniendæ veritatis per Deum in Ecclesia & Concilijs loquentem, sit admodum incerta, valdè periculosa, & quodammodo fanatica.*

Patres susque deque faciendi.

Protest. nõ morantur Patres.

Nihil rei ipsis cum Patribus.

Non laborant de Patribus.

Argumẽtum ab Ecclesia ineptum ad persuadendum.

Vides lector, quòd Protestãtes fateãtur in multis magnisque materijs Patres, veteres, & recentiores, omnes Patres, omnes ab ipsis Apostolorum tẽporibus, veteres Patres mutuo cõsensu, totam antiquitatẽ: Itẽ Ecclesiam veterẽ, Ecclesiã quinq; aut sex primorũ sæculorum, Ecclesiã inter exordia

Via per Eccles. & concilia quodammodo fanatica.

ſua, deniq; Concilia generalia, omnia Cōcilia ipſorum doctrinæ aduerſari, ac Catholicam doctrinam conſtare ex ſententijs Patrum, creditā ac receptam eſſe à temporibus Apoſtolorum, ac totam traditam à Patribus mutuo conſenſu. Præterea vides, quàm parum æſtiment vnanimem conſenſum Patrum, Eccleſiæ & Conciliorum, imo eundem reſpuant ac contemnant: Non iam diſputo, quòd vnanimis conſenſus Patrum, Eccleſiæ, & Conciliorum ſit infallibilis in rebus fidei, quod à pluribus Catholicis Scriptoribus manifeſtè probatum eſt: tantummodo lectori conſiderandum relinquo, quantum, apud cordatos omnes, Proteſtantes cauſæ ſuæ præiudicauerint, cum in expoſitione Scripturæ, Patrum, Eccleſiæ, & Conciliorum vnanimem conſenſum reiecerint, contempſerint, ſibique aduerſari confeſſi fuerint. Nempe homines noui antiquiſſimos, pauci plurimos, diſcordes coniunctiſſimos, mediocris ingenij, perſpicaciſſimos, parum docti eruditiſſimos, non valdè diligentes ſtudioſiſſimos, vulgares imo prophani ſanctiſſimos ſibi aduerſari confitentur; neque tot taleſque viros iam diu feliciter cum Chriſto regnantes, qui neque nos neque illos norunt, ita vt affectu in alterutram partem duci nequiuerint, in controuerſijs de ſenſu Scripturæ, vel vt iudices, vel vt arbitros, vel vt teſtes idoneos volunt admittere: ſed eos vt omnino ineptos ad litem hanc dirimendam excludunt. Certè hinc manifeſtum eſt, quòd ſenſus, quem Proteſtantes Scripturæ affingunt, euidens non ſit, adeoque nec fide credendus: cum tam multos tam doctos, tam perſpicaces, tam ſanctos, tam ſtudioſos Scripturæ tot ſæculis latuerit. Nam vt inquit Ciceſtrenſis in Tortura Torti pag. 28. *Monſtri ſimile, ſi inter tam multos oculos, oculos aquilinos oculos quotidie in Scripturis exercitatos* (Addo ego & S. Spiritus lumine illuſtratos) *nullus tamen conſpexit illum ſenſum ſicut aiunt apertiſſimè fundatum — Si apertiſſimè fuiſſet fundatus, aliquis credo tot Patrum vel pertranſennam vidiſſet, ſaltem eum non negaſſet ac contrarium docuiſſet.* Imo ſequitur ſenſum à Catholicis traditum manifeſtum eſſe, cum eum tot tantique Patres, vnanimiter ſecuti fuerint; nec ſecuti modò, ſed etiam eos, qui ſenſum Proteſtantium

Monſtrũ, vt Patres non viderint ſenſum manifeſtum.

Protestantium sequebantur, tanquam hæreticos anathemate damnauerint, vti in sequenti capite Protestantes ipsi fatebũtur: Addo etiam, quòd Casaubonus nomine Serenissimi Regis magnæ Britanniæ ita scripserit ad Card. Perronium pag. 391. *Rex non inuitus dabit, nemini hodie fas esse, damnare ea, quæ constiterit primorum sæculorum Patres vnanimi consensu probasse tanquam vtilia aut licita.* & pag. 397. *Primitiuæ Ecclesiæ testimonio & pondere sublato, controuersias hodiernas finem nunquã τὸ κατ' ἀνθρώπους accepturas, neque vlla disputatione fore terminandas, vltro Rex agnoscit.* Lutherus etiam in Defens. verborum cœnæ. t. 7. f. 380. *Si hæc mundi machina per aliquot annos durauerit, iterum, more Patrum, ad tollendas dissensiones humana quærentur præsidia, constituenturque leges & decreta ad conciliandam & seruandam in religione concordiam.*

Nullus finis controuersiarum sine Patribus.

In forma igitur sic vigesimo secundo loco argumentor. Qui non solum ita pugnant cum expressis Scripturæ verbis, vt in præcedenti libro retulimus: verùm etiam fatentur se in multis magnisque materijs aduersari vnanimi consensui Patrum, Ecclesiæ, & Conciliorum, imo eum reijciunt ac contemnunt, ij censendi sunt germano Scripturę sensui contradicere: Protestantes autem ita faciunt: Ergo.

CAPVT XXIII.

Quòd Protestantes fateantur se docere dogmata quæ olim hæreseos damnata sunt.

VIcesimum tertium argumentum, quo probabimus Protestantes pugnare cum vero Scripturæ sensu, erit, quia adeo manifestum est nonnulla ipsorum dogmata esse veteres hæreses olim à Sanctis Patribus damnatas, vt id ipsimet palam fateantur.

Quod spectat ad hæreses Aërij, ita scribit Buccanus in institut. loco 42. pagin. 509. *Iure ne patres inter hæreses numerarunt opinionem Aërij, qui inter Episcopum &* Presbyterum *nullum discrimen esse dixit? Non profectò magis, quàm has quæ fuerunt eius opiniones. 1. Quod orare vel offerre pro mortuis non oporteat. 2. Quod sancti mortui non sunt inuocandi 3. Quod sta-*

Profitentur se tueri hæreses Aërij, quas Patres damnarũt.

tuendi non fuerint certi ieiuniorum dies. Et Beza in Respons. ad Serauiam cap. 32. *Certe Serauia, si hunc Aerium hæreticum esse censes in tribus illis prioribus capitibus, hæretici hodie sunt tibi, vt Pontificijs, omnes Reformatæ Ecclesiæ.* Vorstius in Antibellarmin. pagin. 201. *Aerius à Patribus iniustè hæreseos damnatus.* Angelocrator lib. 7. Chronologiæ pagin. 346. *Aerij viri doctissimi, nisi cum Ario Trinitatem impugnasset, ferenda dogmata erant, quòd orationem pro mortuis & ieiunia certo tempore statuta annihilabat, & Presbyterum Episcopo æqualem faciebat.* Vvitakerus controuers. 2. quæst. 5. cap. 7. pagin. 515. *Epiphanius quidem, & Epiphanium sequens Augustinus, inter hæreticos Aerium numerat; Sed si nihil aliud præter ista tenuit, non fuit hæreticus. Nam hæc omnia Scriptura & ipsi Patres confirmant* Carterouitus Princeps Puritanorum in Replica 2. pagin. 618. *Si quicquam contra me valere debet, quod Aerius hæreticus Episcopum & Presbyterum voluerit confundere, quos Epiphanius Catholicus putabat verbo Dei esse discretos & separatos, vel quod Augustinus hoc inter hæreses Aerii recensuerit, eo modo & magnum præiudicium veritati illi fiet, qua credimus pro mortuis non esse orandum, nec pro illis offerenda sacrificia. Nam & Epiphanius tomo primo hæresi 71. hanc vocat hæresim Aerij, idemque censet Augustinus hæresi 51. quæ tamen est doctrina orthodoxa.* Author Gratiani Anti Iesuitæ impress. Rupellæ 1686. parte 1. pag. 528. *Certè si quis ea excipiat, quæ cum Arianis de Christi deitate sensisse fingitur potius quam probatur Aerius, nihil erit, quod iuste in illius dogmate meritoque reprehendi possit,* Danæus in librum Augustini de hæresibus cap. 53 pag. 979. *Aeriani citissime suppressi sunt, quod communi omnium Episcoporum consensu oppugnabantur. Presbyterum ab Episcopo ordine & gradu non differre dixit Aerius. Quæ sententia cur damnari debeat non video, 2. Preces pro defunctis non esse fundendas, quia huiusmodi nostris suffragiis nequeant iuuari. Hoc cur Christiani non admittant, non video. 3. Certis statutisque annuatim diebus & solennibus ieiunia non præfigenda, quale erat ieiunium quadragesimale, esse enim totum hoc ieiuniorum anniuersariorum genus Christianis fugiendum & superstitiosum. Quod verum certè quidem est. 4. Nullum inter Christianos esse restareuè pascha, quod sit*

Patres dānarunt Aerium.

Epiphan. & Augustinus.

Epiphan. & Augustinus.

Aeriani damnati communi omnium Episcoporū consensu.

peragendum & celebrandum: Nec hæc ipsa *Aerianorum sententia damnari debuit, quia vera est. Quare hos inter hæreticos minimè notauimus.* Similia habet Controu. 4. p. 772.

Quoad hæreses Iouiniani sic scribit idem Danæus loco. citato cap. 82. *Iouinianus coniugium cœlibatui, & nuptias virginitati adæquauit, tum quòd vtrumque per se est ἀδιάφορον nullaque cultus veri Dei pars, tum etiam, quòd &c —* Hoc cur erroneum *sit, neque* Hieronymus *docet, neque alius quisquam veterum probauit.* Vvitakerus loco citato, *docuit Iouinianus ciborum delectum, & ieiunia non esse meritoria, Respondeo, an ciborum delectus est meritorius? Ineptum. Ieiunare in eum finem, vt vitam æternam mereare, est ieiunio abuti. Nos cũ Iouiniano libẽter hac in re sentimus:* docuit Iouinianus *cõiugiũ virginitati dignitate & merito æquari. Sic etiã Paulus, sic Christus, sic nos omnes docemus. Inuehitur quidem in Iouinianum* Hier. *hanc ob causam.* Hũfredus ad Rationẽ 3. Cãpiani pa. 263. *Damus verum esse, quod de Iouinistis & nostris habet* Sanderus: *ieiunia vel à cibis aliquibus abstinentiam non prodesse.*

Profitentur se tueri dogmata Iouiniani.

Hieronym. damnauit Iouinianũ.

Quoad hæreses Vigilantij. ita Humfredus loco cit. *Statuit non esse reliquias sanctorum adorandas. Et nos. Statuit Vigilãtius non esse opus cereos accendere, vel sic ad sepulchra martyrum vigilare, Quidni idem & nos, & multo quidem magis statuamus? Statuit sanctos non esse venerandos, nec ad eorum memoriam superstitiosè cursitandum, nos idem constituimus.*

Et Vigilantij.

Vorstius in Antibellarm. pag. 162. *A Bellarmino hæreses productæ, reuera hæreses non sunt, verbi gratia, quæ ex* Hieronymo *de Iouiniano & Vigilantio, item ex Epiphanio de Aerio & paucis aliis afferuntur.* Angelocrator loco cit. *Vigilantius Gallus præsul* Hispanus *doctissimus: sanctos quidem venerandos esse negat, ac diuitias paupertati præferendas esse voluit, contra hunc* Hieronymus *disputauit.* Beza in 2. parte Respons. ad Acta Mõtisbel. p. 21. Hieronymus *malam causam, id est, sanctorum inuocationem aduersus Vigilantium defendens &c.* Lutherus in Postilla in festo Exal. S. Crucis apud Vlẽbergium causa. 6. *Scripsit hac de re* (cultu reliquiarũ) *Vigilãtius, cui se duriter* Hier. *opposuit quod optarim non esse factũ, & si Vigilantij liber extaret, vt Hier. extat, magis opinor Christianè Vigilãtius quã* Hier. *hac de re scripserit,* Serranus cõtra Hayũ parte 3. p. 132. *In illo aduersus Vigilantium*

Hieronym. damnauit Vigilãtiũ.

libro, non modo modestiæ sed veritatis limites Hieronymum excessisse, sobriæ mentis lector videt. Iuellus in defens. Apologiæ parte 1. cap. 2. sect. 3. pag. 13. *Hieronymus redarguit Vigilantium, quòd reprehenderit vigilias, cum inuocatione Sanctorum, cultu reliquiarum, luminibus, & aliis huiusmodi rebus.*

Et Origenis. Quoad Errores Origenis ita scribit Marcus Antonius de Dominis lib. 5. de Repub. cap. 6. num. 44 *Origenes fuit à Theophylo malè acceptus, quia definiuit sacramenta non operari sanctificationem ex opere, vt ita dicam, operato, sed tantùm ex opere operantis, & Deũ non vti creaturis materialibus & insensibilibus ad communicandam hominum sanctificationem. Theophylus verò, dum hanc Origenis opinionem, erroremuè redarguit, totus, &c.* Quæ tamen docent Protestantes, vt liquet ex iis quæ retulimus lib. 1. cap. 9. art. 1.

Et Messalianorum. & Nouatianorum. Demum Danæus contro. 4. pa. 770. fatetur se cum Messalianis sentire, quòd concupiscentia habitualis in renatis sit peccatũ: & cum Nouatianis, quòd vnctio non sit vsurpanda.

Vides lector, vt Protestantes palam fateantur, se tueri damnata dogmata Aerij, Iouiniani, Vigilantij, Origenis, Messalianorum, Nouatianorum, & quòd Augustinus, Hieronymus, Epiphanius, Patres, Episcopi communi omnium consensu, horum dogmata vt hæreses, & ipsos vt hæreticos damnauerint. Quos moneo, vt expendant Bezæ sui verba epist. 81. de recenti quodam hæretico: *Apertè & sine ambagibus, non pro hæreticis sed pro veritatis assertoribus, Origenem, Arium, Heluidium, &c. habet ac nominat: hæc huiusmodi sunt, vt vnum hoc superesse iam videatur, vt Satanam ipsum in veritatis & Dei solio collocet.* Et epist. 16. *Quod antea monui, iterum nunc moneo in domino etiam atque etiam, nempe, vt saltem à quibus ad quos defecerint secum expendant.* Vt enim imiter verba S. Augustini, lib. 2. contra Iulianum cap. 10. *Vsque adeo permiscuit imis summa, longus dies, vsque adeo tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur,* vt videant Aerius, Iouinianus, Vigilantius, & cœci sint Augustinus, Hieronymus, Epiphanius? In forma autem sic argumentor 23. loco. Quorum dogmata, in multis maximisque articulis pugnant cum expressis scripturæ verbis: & præterea fuerunt à veteri Ecclesia & Sanctis Patribus, vt ipsimet fatentur, hæreseos dãnata, ea contradicunt germano sen-

Protestantes defecerunt à Patribus ad Veteres Hæreticos.

sui scripturæ: Atqui dogmata Protestantium sunt huiusmodi. Ergo.

CAPVT XXIV.

Quod Protestantes ipsi aliquando fateantur multa dogmata Protestantica esse blasphema.

VIgesimum quartum argumentũ, quo probabimus Protest. contradicere vero sensui Scripturæ, erit, quia adeò manifestũ est, quòd nõnulla ipsorum dogmata, quę superiori libro dixi esse cõtra expressa Scripturæ verba, blasphema sint, vt partim authores eorundẽ, partim alij docti Protestãtes cogente conscientia reique euidentia id nonnunquã fateantur.

Dicunt enim Protestantes Deum velle peccatum: vti ostendimus l.1.c.1.art.1. Quòd autem dogma hoc blasphemum sit, ipsimet aliquando confitentur. Ita enim Calu. in Resp. ad Nebulonis calumnias p. 732. *Ambiguane blasphemia fuit, Deum facere peccati authorem, peccatũ velle, ad peccandũ impellere?* Beza de Prædest. cõtra Castell. vol. 1. theol. p. 372. *Non cõsequitur ex istis vlla istarum blasphemiarum: nempe vel Deum esse authorẽ peccati, siue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem.* Et p. 397. *Deum velle iniustitiã sine blasphemia dici non potest.* Ibid. l. quæst. & Resp. p. 681. *Quid ergo, an dicemus Deum velle iniquitatem, Absit. Est enim hæc omnium blasphemiarũ maximè horribilis.* Zãchius l. 3. de Natura Dei c. 4. to. 2. col. 262. *Deum peccati causam & authorem esse, omnino diceremus, si diceremus eum propriè loquendo velle peccatum, seu velle fieri peccatum,* Hutterus in Analysi Confess. August. p. 685. *Execranda blasphemia Sacramentariorum: qui tristissimum Protoplastorum lapsum, & vniuersam, quæ inde subsecuta est, malorum Iliada, non ratione pœnæ sed culpæ, ad absolutũ & æternum Dei decretum, ac efficacem eius operationẽ, & voluntatem immutabilem referre non erubescunt.* Et pag. seq. *Sed exhorrescat Cœlum, & stupescant Elementa ad tam horrenda blasphemiarum portenta, quorũ ne externum quidem sonum, quisquam pius, quin totus contremiscat, sustinere, ne dum iis ex corde assentire potest.* Iacobus Andreæ in Colloquio Montisbel. pag. 422. *Hæc assertio* (Hominem volente Deo cecidisse) *impia est, & auditu horrenda, adeoque expresso & reuelato verbo Dei contraria.*

Blasphemũ Deum velle peccatum

Vide Grauerum in absurdis Caluin. c. 5. § 9. & seq. Blasphemũ: Deum velle peccatum vt peccatũ est.

Vide Zanchium li. 5. de Natura Dei c. 2. col. 555. & Polan. l. 4. Syntagm. c. 10.

Dicunt etiam Deum velle peccatum vt peccatũ est: prout ostendimus c. 1. cit. art. 5. p. 80. Hoc autem blaspemum esse, agnoscit Beza l. de Prædest. cit. p. 410. his verbis: *Peccata à volun-*

tate Dei procedere quatenus peccata sunt, si vel in mentem nobis venisset vt diceremus aut scriberemus, nos esse omnibus suppliciis dignissimos fateremur. Lobechius etiam disp. 21. pag. 501. *Firmiter tenendum & toto corde credendum est axioma theologicũ: Deum actiones prauas, quatenus tales sunt, nec velle, nec præcipere, multo minus efficere, vel adiuuare, vel homines ad easdem perpetrandas æterno aliquo decreto vel destinare vel occultè adigere.* Dicunt etiam Deum facere peccatum, ac esse causam ac authorẽ peccati, vt ostendimus c. 1. cit. art. 4. Calu. tamen l. de Prouid. p. 742. aliàs 736. fatetur esse *prodigiosam blasphemiã, dicere maleficia non tantùm Deo volente, sed etiã authore perpetrari.* Et in instruct. contra Libertin. c. 14. p. 447. *Deum à se abnegari oporteret, & in diabolum trãsmutari, vt malũ efficeret: quod ei ab istis tribuitur.* De Prouid. etiam l. cit. p. 741. *Perinde mecum litigas, ac si dixissem peccatũ esse iustum Dei opus, quod in omnibus meis scriptis passim detestor.* Similia habet l. de Prædest. p. 711. Et in Act. 2. v. 23. inquit: *Nego Deum mali esse authorem, quia in hac voce certa est notatio praui affectus.* Beza in Absters. Calumn. Heshusij pa. 316. vocat blasphemiam: *Deum operari impiorum scelera.* Et de Prædest. cõtra Castel. p. 401. *Malam voluntatem aut prauos, turpesue vllos affectus à Deo vel dari, vel permitti, vel effici, absit vt quisquam nostrũ ita dixerit aut scripserit, vt scribis: cum nostra etiã cogitatio ab istiusmodi blasphemiis prorsus abhorreat.* Petrus Martyr in locis Classe 1. c. 14. p. 107. *Si Deus faceret peccatũ, esset peccator.* Kemnitius in locis parte 1. tit. de Causa peccati p. 146. *Adeo abhorrent omniũ mentes & aures ab illa propositione: Deũ esse causam peccati, vt propterea Manichæi finxerint alium Deum.* Vrsinus in Miscellaneis p. 72. *Dicis multorum ex nostris hæc esse verba: Deum in reprobis hoc efficaciter operari vt peccent. Toto pectore hanc vocem & sententiã execramur.* Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani p. 33. *Tetrum est, quod dicis & infandum Campiane: Deum vt quisquã peccati authorem faciat, dignus sit quem Dominus statim fulmine ad imum inferorum barathrum deiiciat.* Paræus in Collegio theol. 1. disp. 2. *Patres rectè damnarunt impiam Manichæorũ & Libertinorum sententiam: lapsus & peccati causam Deo creatori transcribentium.* Et disp. 3. *Causa efficiens peccati, non fuit, nec est Deus: quæ olim fuit Manichæorum, hodie Libertinorum quorundam est blasphemia.* Dicunt etiam Deum prædestinare & ordinare homines ad pec-

Blasphemiũ Deum facere peccatũ.

Grauerus in Absurdis Calu. c. 5 probat Sacramentarios docere, Deum facere peccatũ.

Blasphemiũ Deum prædestinare ad peccatũ.

candũ, vt ostensũ est c.1.cit.ar.5. Quod blasphemũ esse agnoscit Vorstius in Amica Collatione sect.89.p.180.his verb. *Quã sententiam* (Deum homines ad ipsa peccata destinasse) *vix tibi ipsi, si diligenter eam expenderis, à blasphemia prorsus alienam videri posse, crediderim.* Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ art. 9. pag. 486. *Quod quidam absoluto & omnes causas antegrediente reprobationis decreto, non modò ad finem vltimum videlicet condemnationem, sed & ad causas intermedias, incredulitatem ipsam fataliter & absolutè sunt destinati, per execrandam & tantum non stupendam blasphemiam, Sacramentariorum manipulus scribere non exhorrescit, Beza, Caluinus, Renecherus.* Episcopius apud Homium in Specimine Controuers. Belgicarum pag. 36. *Sanctißimo Deo summa iniustitia & hypocrysis tribui deberet, si arcana voluntate definiret & ordinaret vt fiant ea quæ reuelata prohibet, & fieri non vult.* Arminius ibidem inquit: *Bellarminus obijcit sententiæ quorundam nostrorum Doctorum, inde sequi Deũ esse peccati authorem, Deũ verè peccare, Deũ solũ peccare, & peccatũ non esse peccatum. Nulla mihi videtur per istam criminationem tuæ doctrinæ (Perkinse) iniuria illata, esse.*

Dicunt etiam Deum pręcipere peccata: vt ostendimus cap.1.cit art. 6. Quod autem hoc blasphemum sit, ita docet Beza in Respons. ad Acta Colloq. Montisbel. pag. 182. *Deũ præcipere quæ nolit, punire quæ præcipiat, malorum authorem esse, certè omnia sunt horrendæ impietatis & blasphemiæ plena.* Et Zanchius in depuls. Calumn. tom. 7. col. 255. *Dicere, Deum mandare hominibus vt peccent, perpetuò docui esse blasphemiam.* Dicunt Deum impellere & tẽtare ad peccatum, vti ostendimus cap. 1.cit.art. 7. Atqui Caluinus in Respons. ad Nebul. pag. 732. citatus inquit: *Ambiguane blasphemia fuit, Deum ad peccandum impellere?* In primam Ioan. 3. v. 8. *Diabolo proprium est, vt ad peccandum impellat.* Et de Prædestinat. pag.711. *Si vnquam diuini Spiritus instinctu factum esse dixissem, vt se à Deo primus homo abalienaret, meritò fortè mihi insultaret Pighius.* Beza de Prædestinat. vol. 1. Theol. pag. 404. *Tentationis nomen Deo non conuenit, cum nihil aliud declaret, quàm solicitationem ad malum: quæ cadere in Deo nullo modo potest.* Et in Matthæi 3. vers. 3. *Tentationes, quæ nos ad malum solicitant, non nisi à Satana proueniunt.*

Blasphemum: Deũ præcipere peccatum.

Blasphemum: Deũ tentare & impellere ad peccatum.

Et in Responſ. ad Acta Montisbel. parte 2. pag. 186. *Neque bonum creatum ad malum impellere potuit ipſe ſumme bonus.*

Melancthon apud Schuſſelburg. lib. 1. Theol. Caluin. art. 8. fol. 31. *Ratiocinantur: Deum impellere mentes & corda hominum vt ſceleratè faciant, hic error execrandus eſt:* Et lib. de cauſa peccati to. 2. pag. 257. *Repudianda eſt cyclopica cauillatio quorundam, qui dicunt non ideo peccare Deum quia impellat ad mala, quia Deo non ſit lex poſita: Hæc Cyclopica imaginatio execranda eſt.* Vvitakerus ad Rationem 8. Campiani pag. 34. *Dauidi ac Iudæ non nouos admouit ſtimulos ad peccandum. Abſit, vt id quiſquam Chriſtianus vel cogitaret.* Hutterus in Analyſi cit. pag. 683. *Deũ eſſe peccati cauſam efficientem, impellentem, inclinantem, ſine ſummo impietatis & blaſphemiæ ſcelere dici aut cogitari nequit.*

Blaſphemum: Deũ imponere neceſſitatem peccandi.

Dicunt Deum neceſſitatem imponere ſeu cogere ad peccandum, vt oſtendimus cap. 1. citat. art. 8. Hoc blaſphemum eſſe ita fatetur Vvitakerus lib. 8. contra Duræum ſect. 7. *Deum homines ad peccandum cogere atque impellere, & voluntates eis impias inijcere, tanquam blaſphemum ſemper refugimus.* Kemnitius etiam in locis parte 1. pag. 169. damnat hãc propoſitionem: *Deus cogit ad peccandum.* Et Molinæus in fugis Arnoldi pag. 50. ait: *Deum impellere & neceßitare ad peccandum, eſt horribilis & diabolica doctrina.*

Blaſphemum: Deũ iuſtificare impium manentem talem.

Dicunt Deum iuſtificare impium, manentem impium, ſicut oſtendimus cap. 1. art. 10. Quod blaſphemum eſſe agnoſcit his verbis Tilenus in Syntagmate cap. 41. pag. 442. *Non negamus etiam fieri & eſſe iuſtum eum quem Deus pronunciat iuſtum, quod vtique poſtulat iuſtiſſimi iudicis δικαιοκρισία, cuius iudicium ſecundum veritatem eſt.*

Blaſphemum: Deũ non curare bona opera.

Dicunt eum non curare bona opera, vt oſtenſum eſt cap. 1. art. 13. De qua doctrina ita Melancthon in Reſponſ. ad artic. 24 Bauaric. fol. 375. *Quàm tetra ac barbarica vox hæc eſt.* Et Kemnitius in locis parte 2. tit. de bonis Operibus pag. 18 vocat *fanaticum paradoxum.*

Blaſphemum: Deũ nolle omnes ſaluos fieri.

Dicunt Deum non velle omnes ſaluos fieri, nec omnes vocare ad ſe, vt oſtendimus cap. 1. art. 19. & 21. Et nihilominus Liber Concordiæ cap. 11. pronunciat hæc dogmata eſſe *falſa, horrenda & blaſphema: Quod Deus nolit, vt omnes*

homines

homines pœnitentiam agant & Euangelio credant: Quando Deus nos ad se vocat, quod non serio hoc velit, vt omnes homines ad ipsum veniant. Quòd nolit Deus vt omnes saluentur, sed quòd quidam, non ratione peccatorum suorum, verùm solo Dei consilio, proposito, voluntate, ad exitium destinati sint, vt prorsus salutē consequi non possint. Eadem dogmata blasphema esse censet Herbrandus in Compendio theol. loco de Electione p.327. Gerlachius to. 2. disp.16. p.633. ait: *Impia, blasphema, & saluti hominum perniciosa sunt sequentia pronunciata: Deū non velle vt singuli homines salui fiant: Falsum esse, quòd Deus totum genus humanum non alio quam saluationis fine condiderit: Deum non vocare homines ad salutem.* Grauerus in absurdis Caluinisticis c.5. sect.31. *Hæc opinio Caluinianorum: quod Deus non velit omnes homines saluos fieri, est extremè impia & blasphema.* Similiter Iacobus Andreæ in Colloq. Montisbel. p.421. & 422.

Blasphemū Deum ex se velle mortem hominum.

Dicunt Deum ex se ipso velle mortem & damnationem hominum, vt ostendimus c.1. art.22. Atqui Adamus Francisci in Margarita Theol. loco 17. damnat, vt blasphemas has opiniones Sacramentariorum: *Quod Deus maximam multitudinem hominum mero volūtatis suæ beneplacito ad æternam damnationem destinarit. Quod ad æternam damnationem destinatos nūquam dilexerit: Quod primi Parentes lapsi sunt Deo volente, decernēte, ac ordinante: Quod Christus mortuus sit tantùm pro electis, Quod meritū passionis eius pertineat tantùm ad electos: Quod promissiones Euangelij non sint vniuersales: Quod Deus reprobos non serio vocet per Euangelium: Quod reprobi non possunt conuerti: Quod electi ruentes in grauia peccata retineāt gratiam.* Gerlachius etiam disp. 16. cit. ait esse *blasphema pronūciata: Reprobos reprobatos esse absque vllo suo merito, Deū interdū verbo significare se velle, quod reuera non velit, & nolle, quod reuera velit: Euāgelium promulgari quibusdā, vt indurentur.* Homius in disp.60. pa. 391. inquit: *Si quis doceret Deum decreuisse sine vllo respectu peccati, ex absoluta voluntate, homines damnare, & æternis cruciatibus punire, ille procul dubio manifestam iniustitiam Deo blasphemè attribueret.* Et Remonstrātes in Collatione Hagæ postquam retulissent hanc sententiā Cōtra Remōstrantium: Quod Deus quosdam reprobet non ob peccata sed ob suam voluntatem, *ita vt noluerit illis Christū*

& fidem dare, vt eos per infidelitatem, vt huius reprobationis fructum, ad finem suum certo perduceret, subiungunt p.128. *Opponimus, hanc sententiã per se esse adeo absurdã & horribilem, vt ad eius horribilitatem probandam & refutandam, penè sufficiat illam modò indicare.*

Blasph mũ: Deum damnare non ob peccata.

Dicunt Deum non damnare homines ob peccata, vt ostendimus c.1.art.23. Ita tamẽ censet Vrsinus in Miscellaneis p.87. *Hoc impiũ & absurdum dogma, quo aliud non minus falsum & absurdum, concludit: Impios quotquot periere, aut pereũt, ac peribunt, nõ propter peccata sua sed propter solam incredulitatem periisse, ac perire, & perituros esse.* Et Beza in 2. parte Resp. ad Acta Mõtisb. p.215. ait, quòd sit *intolerabilis vox: Homines non damnari propter peccata.* Demum dicunt Deum per suam omnipotentiam efficere non posse, vt corpus Christi simul sit in multis locis. Et nihilominus Liber Concordiæ c.5.p.603. ait: *esse horrendũ dictu & auditu: Deum ne quidem vniuersa sua omnipotentia efficere posse, vt corpus Christi vno eodemque tempore in pluribus quam vno tantùm loco substãtialiter præsens sit.* Hæc de eorum blasphemiis in Deum ipsum.

Blasphemũ: Deum non posse ponere corpus Christi in pluribus locis.

De Christo dicũt, quòd humanitas eius nõ est adoranda aut inuocanda, vt ostendimus l.1.c.2.art.3. Quod autẽ hoc blasphemũ sit, ita docet Hutterus in Analysi Confess. August. art.3.p.294. *Facessat impia Danæi vox, humanã Christi naturam adorationis & religiosæ fiduciæ, quantumuis in vnione personali constitutam & permanentem, minimè participem esse, blasphemo ore asserentis.* Gerlachius to.2. disp.5.p.91. *Nunc omnibus fidelibus constat de execrandra impietate Caluinistarum, sceleratè blasphemantiũ, Christum, qua homo est, nõ esse adorandum vel inuocandum:* Reineccius to.2. Armat. ca.37 p.113. ait impietatẽ Danæi negantis humanitatem Christi religioso cultu esse adorandam, *non voce, sed fulmine, imo igne infernali refutandam esse.*

Blasphemũ: quod humanitas Christi non sit adoranda.

Dicunt humanitatem Christi, seu Christum, quà *homo est, nõ habere vim viuificandi, remittendi peccata, aut faciendi miracula*, vt retulimus c.2.art. 4. Quod blasphemum esse docet his verbis Hutterus in analysi citat. art.3.p.300. *Neq; enim (vt gens sacramentaria impiè concẽdit) miraculorum ἐνεργεία soli diuinitati Christi, sed toti personæ, ac proinde vtrique naturæ simul est ascribẽda.* Ger-

Blasphemũ: humanitatem Christi non habere vim viuificandi, &c.

lachius to.2.disp.4.p.75. *Ex his nunc constare potest de impietate Caluinistarum, hi enim detrahunt carni Christi virtutem viuificandi.* Musculus apud Hospin. parte 2. Hist. fol. 323. *Remittere peccata, communicatum esse finitæ humanitati Christi, non est nisi planè impius & atheus qui negare possit.* Dicunt etiam Christum fuisse desperatione obrutũ, vt ostendimus c.2.cit.art. 11: Quod blasphemum esse fatetur Zuinglius in historiam Passionis to.4.p. 383. vbi ita loquitur: *Facessat ex Ecclesia Christi eorum doctrina, qui affirmant Christum in cruce desperasse.* Et Tilenus in Syntagmate cap.65.pag.785. *Summè infideles sunt, qui de salute sua desperant.* Dicunt Christum mortuum pro solis electis, prout ostensum est cap.2.art.18. Quod blasphemum esse his verbis docet Lobechius in disp.6. pag. 127. *Caluiniani affirmant Christum pro solis electis, & non pro omnibus hominibus mortuum esse. Qua blasphemia, non solùm Christum honoris & Ecclesiam consolationis maxima parte spoliant, verùm etiam Spiritui sancto in os contradicunt.* Idem censet Adamus Francisci loco 17. cit. & Gerlachius etiam disp.16.cit.& Grauerus in Absurdis Caluin. ca. 5.§.58. ait esse *absurdum & blasphemum dogma Caluinianum.* Iacobus Andreæ apud Bezam in Respons. ad Acta Montisbel. pag.212. inquit: *Horrenda doctrina Bezæ: Christum non esse pro totius mundi peccatis mortuum.*

Blasphemũ: Christum fuisse desperatione obrutum.

Blasphemũ Christum fuisse mortuum pro solis electis

Dicunt præterea sanguinem Christi, quo nos redemit, computruisse, nec iam esse amplius in rerum natura, vt ostendimus c.2.cit.art.20. De quo dogmate ita pronunciat Schusselburg. lib.1. theol. Caluin. art.2, fol. 84. *Hæc est horrenda blasphemia, contumeliosa in sanguinem Filij Dei, quo sumus redempti.*

Blasphemũ: Christi sanguinem cõputruisse.

De Scriptura dicunt, quòd potest intelligi sine Spiritu S. vt ostendimus ca.4.art.2. Quod dogma ita damnat Casaubonus Exercitat. 16. contra Baronium sect. 215. *Addit Baronius: scripturas sine Dei ope non posse intelligi, & hoc testimoniis aliquot Patrum confirmat: quasi esset aliquis inter Christianos, qui hoc vel negaret, vel in dubium vocaret.*

Blasphemũ Scripturã intelligi sine Spiritu sancto.

De Ecclesia: dicunt eam non perpetuo durare, sicut ostensum est capite 7. artic. 4. Quod blasphemum esse fatetur Vvitakerus Contro.2.qu.3.c.2. his verbis. *Qui negat aut dubitat*

Blasphemũ: Ecclesiam non perpetuo durare.

Ecclesiam esse in æternum fundatam, & perpetuo duraturam esse, is non est Christianus.

Blasphemũ posse baptizari sine aqua.

De Baptismo dicunt, aqua deficiente posse baptizari alio liquore, vt ostendimus cap. 9. artic. 1. Hoc blasphemum esse, ita censet Hutterus in Analysi Confess. Augustanæ pagin. 456. *Blasphemus est Beza, qui à Christi consilio & voluntate nihil alienum facere affirmat, eum, qui vel in administrando baptismo, lacte aut alio quouis liquore; vel qui in illis regionibus vbi nullus est vini vsus, aut qui natura abstemius fuerit, in cæna Domini participanda, alio potionis genere vtatur.* & pagin. 490. *Sacrilega fuerit licentia, quam sibi ausu proprio sumit Beza, scribens: Desit aqua, & tamen baptismus alicuius differri cum ædificatione nec possit, nec debeat, ego certè quouis alio liquore, non minùs rite quàm aqua baptizarim.* Similiter censet Grauerus in Absurdis Caluinisticis c. 4. §. 6. & seqq.

Blasphemũ: infantes esse in gratia ante baptismum.

Dicunt Baptismum non conferre gratiam, & infantes fidelium esse in gratia Dei antequam baptizentur, cap 9. cit. art. 7. & 9. De quo dogmate ita Hutterus in Analysi citat. artic. 13. pag. 473. alias. 437. *Furor est gentis Sacramentariæ, contendentis non per sacramentorum vsum conferri regenerationis gratiam, sed iam, ante, illam adesse fidelium & electorum liberis.* Similiter censet Grauerus loco iam citato §. 10. & seqq.

Blasphemũ: quod Eucharistia non sit corpus Christi.

De Eucharistia dicunt, quòd non sit corpus Christi lib. 1. cap. 10. art. 1. Quod blasphemum esse censet Hutterus in Analysi cit. pag. 536. his verbis: *Extremæ impudentiæ, profligatæ audaciæ, horrendæ blasphemiæ est, verbis institutionis Christi opponere contradictoriam, Christus enim affirmat:* Hoc quod vobis *manducandum præbeo est corpus meum: Sacramentarij negant, dicentes:* Hoc *quod nobis manducandum offers, non est corpus tuum.* Similiter etiam censet Musculus Art. 1. citato.

Blasphemũ: quod Christus non sit in cæna.

Dicunt etiam Christum non esse in cæna, vt videre licet cap. 10. artic. 1. citat. Et nihilominus ita scribit Beza apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 301. *Nonnulli existimant nos velle Christum à cœna excludere: quod quidem est manifestè impium. Tantum abest, vt dicamus Iesum Christum à cœna abesse, vt illi blasphemiæ omnium hominum maximè repugnemus.*

De fide dicunt, quòd non sit simpliciter necessaria ad salutem, vt videre licet lib. 1. cap. 12. artic. 15. Quod blasphemum esse scribit Lutherus in Genes. 47. to. 6. fol. 633. his verbis. *Zuinglius nuper scripsit, Numam* Pompilium, Herculem, *Scipionem;* He*ctorem frui æterna beatitudine in paradiso cum Petro & alijs sanctis. Quod nihil aliud est, quàm apertè fateri, quòd sentiant nullam esse fidem, nullum Christianismum.* Idemque censet Beza lib. de puniendis hæreticis. *Blasphemũ: quod quis posset salvari sine fide.*

De bonis operibus, negant ea necessariò esse præsentia in actu iustificationis, vti ostendimus lib. 1. cap. 13. articul. 12. Et nihilominus Ministri Electorales in Colloq. Aldeburgico pag. 343. dicunt, *Esse horribilem Dei contumeliam & barbaricum dogma, profiteri in ipso articulo & actu iustificationis, non tantùm excludi meritum, sed etiam necessitatem præsentiæ bonorum operum.* *Blasphemũ quod opera non sint necessaria in actu iustificationis.*

Dicunt etiam omnia iustorum bona opera esse peccata & meras iniquitates, vt videre licet cap. 13. citat. artic. 2. De quo dogmate ita censet Zuinglius in Exposit. fidei tom. 2. fol. 558. *Ex nostris quidam, paradoxῶs asseruerunt omne opus nostrum esse abominationem.* *Paradoxũ: quod omnia bona opera sint peccata.*

Dicunt præterea non licere benè facere ob retributionem, vt ostensum est cap. 13. cit. art. 19. Qua de re ita scribunt Remonstrantes in Collatione. Hagæ pag. 95. *Qui negat fidelibus licere facere bona opera ex intuitu mercedis operibus nostris debitæ, ille naturam fidei, omnis religionis, legislationis diuinæ, vitæ & mortis æternæ peruertit & negat.* *Blasphemũ: quod non liceat benefacere ad retributionem.*

De peccatis dicunt, quòd non excutiunt gratiam in fidelibus, vt vidimus cap. 15. articul. 5: Hutterus in Analysi citat. p. 560. ita inquit: *Mendacij apertè arguunt ipsum Apostolum, qui omnem scortatorem, immundum, aut auarum regni cælorum expertem esse, sonora voce pronuntiat, & Christum Seruatorem, qui in sui abnegatores hanc fert sententiam: Quisquis negauerit me,* &c. *Blasphemũ Peccata nõ excutere gratiam.*

Dicunt etiam homines non damnari propter peccata operum, sed ob solam incredulitatem. vt retulimus cap. 15. citat. artic. 9. Beza tamen in secunda parte Respons. ad Acta *Blasphemũ: homines damnari ob solam incredulitatẽ.*

Colloq. Montisbel. pag. 218. Postquam retulisset hæc dogmata Iacobi Andreæ. *Sola incredulitas damnat homines: Non ideo damnantur quod peccauerint*, subdit: *Ecquis vnquam antehac tam falsum, tam monstrosum, tam abominandum dogma ausus est tam impudenter in Ecclesiam Dei inuehere?* & pagin. 215. *Certe nobis intolerabilis vox vestra visa est*: Homines non *damnari propter peccata*, Similiter censet Vrsinus in Miscellaneis pag. 84. supra cit.

Blasphemū: Iustificatū non posse excidere à gratia.

De Iustificatione, dicunt, quòd iustificatus non potest excidere à gratia per quoduis peccatum quod committit: capit. 16. artic. 12. Atqui ita Vvitembergenses apud Schusselburg. lib. 1. theol. articul. 7. fol. 29. *Ingens furor est Anabaptistarum & aliorum fanaticorum, qui contendunt renatos non posse labi aut certè non effundere Spiritum Sanctum, & rursus fieri reos iræ Dei, etiamsi violent præcepta Dei contra conscientiam.* Hutterus in Analysi citata pag. 562. *Blasphema vox est Zanchi: asserentis remissionem peccatorum semel impetratam per insequentes lapsus non posse fieri irritam, & Spiritum sanctum, semel renato datum, cum eo manere in æternum: & Bezæ scribentis* Petrum *abnegantem Christum, & Dauidem ruentem in Adulterium, non amisisse* Spiritum *sanctum.* Adamus Francisci loco 6. *Caluinistæ horribili furore fingunt renatos non posse labi in peccata mortalia: & si labuntur, nihilominus retinere gratiam Dei Spiritum Sanctum, & fidem.* Confessio etiam Augustana cap. 11: *damnat Anabaptistas, qui negant semel iustificatos iterum posse amittere Spiritum Sanctum.*

Blasphemū: Hominem conuerti vt truncum.

Dicunt prætereà peccatorem non cooperari suæ conuersioni, sed iustificari vt truncum & rebellem: cap. 16. cit. art. 15. de quo dogmate ita Vvittēbergenses apud Schusselburg. tom. 5. Catal. Hæret. pag. 528. *Toto pectore abhorremus ab oratione illa contumeliosa in Deum & plena blasphemiis aduersus filium Dei:* Homo *non solum vt truncus sed repugnans conuertitur, & affirmamus stabiliri tali oratione non solum securitatem & profanationem contemnentem Deum, sed horribilia hominum scelera.*

De Libero Arbitrio negāt hominem liberè agere in bo-

nis & malis, vt ostensum est cap. 20. art. 2. Melanchon tamen lib. de causa peccati to. 2. p. 237. ita scribit: *Nec applaudamus Stoicis & Manichæis furoribus, qui sunt cõtumeliosi in Deũ & perniciosi vitæ, qui fingunt hominem necessario scelera facere.* *Blasphemum: Hominem necessario peccare.*

Denique Iacobus Andreæ in Colloq. Montisbel. multas doctrinas Bezæ blasphemię damnauit, vt pag. 381. Quod electi grauiter peccantes retineant Spiritum S. Pag. 393. Quod soli electi infantes in baptismo adoptentur. Pag. 447. Quòd Christus non sit mortuus pro peccatis totius mundi. Pag. 422. Quòd Deus vult aliquos perire. Et pag. 423. Quòd Deus quorundam hominum non vult misereri, & quosdam creauit in eum finem vt in eis iram suam ostenderet. Vorstius etiam in Parasceue. capite 1. 2. 3, & alibi sæpe doctrinam Piscatoris blasphemiæ damnat. Neque ferè quisquam est Protestantium, qui in alium Protestantem calamum stringit, quin eum blasphemiæ accuset.

Sit ergo hoc vigesimum quartum argumentum. Quorum plurima dogmata non solum ita directè pugnant cum expressis Scripturæ verbis, vt vidimus in præcedenti libro, verum etiam ita blasphema sunt, vt partim ipsimet, partim alij Protestantes id fateantur, ea contradicunt germano sensui Scripturæ: At huiusmodi sunt plurima Protestantium dogmata: Ergo.

CAPVT XXV.

Quod Protestantes frustrentur fines aduentus seu passionis Christi.

VIgesimum quintum argumentum, quo probabimus Protestantes vero sensui Scripturæ repugnare, erit, quia eorum dogmata frustrantur ipsos fines aduentus seu passionis Christi.

Vnus enim finis illius erat, vt peccata nostra tolleret & exhauriret 1. Ioan. 3. vers. 5. Et *scitis, quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret.* Et Hebræ. 9. vers. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*, Protestantes autem, vt ostendimus cap. 16. articul. 5. docent, quòd *Protest. dicunt Christum non tollere nec exhaurire peccata.*

peccatum perpetuo hæret in renatis ac iustificatis, adeòque iuxta ipsos Christus non assecutus est eum finem cuius gratia in hunc mundum venit, ac passus est: nempe vt peccata nostra tolleret & exhauriret.

Alius finis aduentus & passionis Christi erat, vt destrueret, destitueret, & dissolueret peccatum: Hebr. 6. v. 6. *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrò non seruiamus peccato.* Et cap. 9. vers. 26. *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Et 1. Ioan. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli:* Protestantes autem docent peccatum non destrui in renatis, & illos seruire peccato, vt retulimus lib. 1. capit. 16. artic. 5. & cap. 15. artic. 4.

Non mundare nos à peccato.

Tertius finis erat, vt mundaret nos à peccato Tit. 2. v. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.* Et 1. Ioan. 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Protestantes autem affirmant iustificatos manere immundos, impuros, pollutos, sordidos, sicut retulimus lib. 1. capite. 16. artic. 4.

Non efficere nos sanctos in conspectu Dei.

Quartus finis erat, vt essemus verè sanctificati, ac sancti & immaculati in conspectu Dei. Ioan. 16. v. 19. *Et pro ijs ego sanctifico me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate.* Ephesios 1. v. 4. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius.* Protestantes autem negant iustificatos esse verè sanctificatos, sanctos, & immaculatos in conspectu Dei, vti ostensum est cap. 16. cit. art. 3.

Non facere nos sectatores bonorum operum.

Quintus finis erat, vt sectaremur bona opera Tit. 2. v. 14. *Vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Protestantes verò negant bona opera iustificatorum esse verè bona, imo affirmant ea esse merè peccata; vt ostensum est lib. 1. cap. 13. art. 2 & 4.

Non iuste & pie viuere.

Sextus finis erat, vt iustè & piè viuamus in sanctitate & iustitia coram Deo. Lucæ 1. v. 74. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Et Tit. 2. vers. 12. *Apparuit*

gratia

gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hæc sæculo. Protestantes autem (vt ostendimus cap. 13. cit. art. 5.) negant vitam seu opera iustorum esse pietatem, sanctitatem, aut iustitiam coram Deo.

Septimus finis aduentus Christi fuit, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Rom. 8. v. 3. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* At Protestantes, vt ostendimus lib. 1. cap. 18. artic. 1. dicunt legem non posse impleri in nob is sed in Christo tantum. *Non facere vt iustificatio legis impleatur in nobis.*

Octauus finis Christi fuit prædicare diem retributionis Lucæ 4. v. 19. *Euangelizare pauperibus misit me, prædicare annum acceptabilem & diem retributionis.* Protestantes autem negant mercedem & retributionem, & tantum admittunt merum donatiuum ex pura liberalitate profectum, vti ostendimus lib. 1. cap. 17. art. 1. & 2. His addo, quòd ita scribat Perkinsus in 1. Galat. v. 3. tom. 2. col. 12. *Sæculi nostri vitium est: Omnes Christũ vt profiteantur, attamen multi non admittunt Christum sed propria sua figmenta; nempe Christum quendam quem esse oportet Seruatorem ad liberandum eos ab inferno, sed non Dominum ad dandum mandata: id concedere non possunt.* Atqui Protestantes, vt monstrauimus lib. 1. cap. 2. artic. 7. negant Christum esse legislatorem seu dominum ad dandum mandata, adeoque ex sententia Perkinsi non Christum sed propria sua figmenta admittunt. *Non prædicare diem retributionis.* *Protest. volunt figmenta sua pro Christo.*

Sic ergo conficio vigesimum quintum argumentum: Quorum doctrina non solum in tot tantisque rebus pugnat cum expressis Scripturæ verbis, eisque ex professo dictis vt sententiam suam deijs rebus exprimeret, verum etiam tot tantosque fines aduentus ac passionis Christi frustratur, ea contradicit vero ac germano sensui Scripturæ: Talis autem est Protestantium doctrina: Ergo.

O o o

CAPVT XXVI.

Quod Protestantes tollant incitamenta virtutis, imo omnem virtutem è mundo, ac ponant incitamenta vitiorum ac tollant eorum impedimenta.

VIgesimum sextum argumentum, quòd Protestantes pugnent cum genuino sensu Scripturæ, erit, quia tollunt incitamenta virtutis, imo omnem virtutem è mundo, & ponunt incitamenta peccati ac tollunt obstacula eiusdem.

Protestant. tollunt incitamenta virtutis.

Tollunt quidem incitamenta virtutis, quia vt ostendimus lib. 1. cap. 1. art. 13. docent, quòd Deus non curat bona opera. Artic. 14. Non eis colitur. Art. 16. Non eis placatur. Et capit. 13. Artic. 6. Non est in eis vlla dignitas. Art. 7. Non eis promittitur merces. Art. 10. Omnia opera sunt æqualia apud Deum. Artic. 12. & 13. Non sunt necessaria ad iustificationem vel salutem. Artic. 14. Nec vtilia ad iustitiam vel salutem. Artic. 15. Non causa salutis. Art. 16. Nec testimonium iustitiæ vel salutis. Artic. 18. Non debemus ea facere. Cap. 16. artic. 15. Peccator non cooperatur suæ iustificationi. Cap. 17. artic. 1. Salus non est merces vel retributio. Art. 2. Non corona iustitiæ. Art. 3. Est ex sola fide. Et cap. 20. art. 2. Voluntas non est libera in moralibus. Art. 3. Non cooperatur gratiæ Dei ad actus bonos. Quis autem negare potest, quin fauor Dei erga bona opera, eorum dignitas ac merces, efficacia etiam ac necessitas erga iustificationem & salutem, hominis etiam libertas & cooperatio ad actus virtutis & salutem suam, sint magna incitamenta ac stimuli ad virtutem? Quæ tamen omnia & alia similia Protestantes tollunt, vti ostensum est locis iam citatis.

Tollunt omnẽ virtutẽ è mũdo.

Tollunt etiam è mundo omnem virtutem. Primùm enim tollunt speciales virtutes, nempe fidem, virtutum omnium radicem, quam dicunt esse vitiosam & indignam nomine virtutis, vt ostendimus lib. 1. c. 12. art. 12. Tollunt etiam excellentissimam castitatem, nempe virginitatem c. 14. art. 1. & 2. ac supremum gradum temperantiæ, scilicet ieiunium ibidem

art. 5. ac delectum omnem ciborum ar. 7. Tollunt etiam orationem pro omnibus artic. 8. & votum artic. 14. & vitam eremiticam art. 20. Præterea tollunt omnem iustitiam inhærentem cap. 16. art. 8. & negant quòd iustificati sint verè iusti ibidem articul. 3. vel mundi articul. 4. sed quod retineant peccata, articulo quinto. Demum tollunt omnem omnino virtutem. Nam dicunt omnia bona opera siue peccatorum siue iustorum hominum esse peccata, imò mera peccata cap. 13. art. 1. & 2. & esse sordes, stercora, & fœtere coram Deo. art. 3. Si autem omnia bona opera sunt peccata & merè peccata, manifestum est, quòd nulla est vera virtus in mundo. Vnde Vvitakerus lib. 2. de Peccato Originali cap. 14. pagin. 676. *Tu nos doce, quemadmodum peccata possunt esse bona opera*; Quod multò magis verum est, si sint mera peccata, prout Protestantes asserunt. Ponunt etiam incitamenta ad peccatum. Vt enim ostendimus cap. 1. artic. 1. docent, quòd Deus vult peccatum. Artic. 2. Deo placet peccatum. Art. 4. Deus facit peccatum. Art. 5. Prædestinat ad peccatum. Art. 6. Mandat peccare. Artic. 7. Tentat ad peccatum. Art. 8. Necessitat ad peccatum. Articul. 10. Iustificat impium manentem impium. Art. 17. Non vult sua præcepta seruari. Et cap. 2. artic. 11. Christus fuit vere peccator. cap. 3. artic. 1. Etiam Angeli in Cœlo peccant. cap. 12. articul. 17. Fides existens sola iustificat. art. 23. Fides nunquam amittitur.. Capite 15 articul. 3. Peccatum non debet vinci à fidelibus. art. 12. Ipse electus non peccat. ar. 15. Omnis vsura non est peccatum. Et cap. 18. art. 1. Lex Dei non est possibilis. art. 2. Nemo eam custodiuit. art. 3. Nemo Deum dilexit toto corde. Quis autem sanæ mentis inficiari potest, quin hæc axiomata: peccatum Deo placere, Deum velle, facere peccatum, prædestinare, mandare, necessitare, tentare ad peccatum, nolle sua præcepta seruari, Christum & Angelos in Cœlo esse peccatores, impium manentem impium iustificari, idque per fidem solitariam, eamque nunquam amitti, peccatum non debere vinci à fidelibus, eosque ipsos nunquā peccare, & similia, sint maximi stimuli & incitamenta ad peccandū?

Ponunt incitamenta ad peccatū.

Tollant impedimenta peccati.

Tollunt etiam fræna, obstacula seu impedimenta peccati, dum docent, vt ostendimus libro 1. capit. 1. art. 3. quòd Deus non odit peccatum. Art. 9. Non odit fideles operantes iniquitatem. Artic. 11. Non irascitur fidelibus, dum peccant. Artic. 12. Non punit eos ob peccata facta. Artic. 23. Non damnat ob peccata. Et capit. 2. artic. 7. Quòd Christus non est legislator, Art. 8. Non est iudex, Cap. 4. art. 3. Euangelium promittit salutem sine conditione operum. Art. 4. Non arguit peccata. Cap. 9. art. 8. In baptismo omnia peccata prȩterita, prȩsentia, & futura remittuntur. Cap. 15. art. 1. Peccata non imputantur fidelibus. Artic. 2. Non sunt illis mortalia. Artic. 4. Seruientes carni possunt seruire Deo. Artic. 5. Nulla peccata excutiunt gratiam. Art. 6. Possunt simul esse cum iustitia. Art. 8. Abstinere à peccatis non est necessarium ad salutem. Artic. 9. Peccata non sunt causa damnationis. Art. 10. Non est reddenda ratio illorum. Cap. 11. art. 12. Iustificatio nunquam amittitur. Art. 13. Iustificato non est timendum ne cadat. Art. 16. Nulla pœna est illi luenda. Cap. 17. art. 4. Fideles non sunt iudicandi. Art. 7. Infernus non est locus. Art. 8. Illius ignis, non est verus. Et cap. 18. art. 6. Lex Dei est abrogata fidelibus. Manifestissimum autem est, quod ablata, ira, odio, & punitione Dei erga peccata & fideles illam perpetrantes; ablata etiam Christi legislatione ac iudicio; ablato etiam ab hominibus omni timore iudicij diuini, damnationis, iræ, atque odij Dei, aut amissionis iustitiæ ac salutis; ac posita securitate quod homines etiam grauissimè peccantes sunt certi de amore Dei, de iustitia, & salute æterna, & immunitate ab omni pœna quacumque, auferuntur omnia fræna seu impedimenta peccandi quæ ad Deum spectant: & si quis hæc credens à peccato retrahatur, id aliunde non fit quam ex ingenita synderesi atque horrore peccati, aut pudore vel timore hominum.

Protest. fatentur aliqua dogmata Protest. incitare ad peccandum

Negatio cooperationis in conuersione. Negatio amissionis fidei.

Imo ita est euidens, quòd multa dogmata Protestantica sint incitamenta peccandi, vt nonnulli Protestantes id apertè fateantur. Vvittembergenses enim supra citati cap. 24. dicunt, quòd negare hominem cooperari suæ conuersioni *stabilit horribilia scelera*. Id tamen negant Protestantes, vt vi-

dimus lib.1.cap.16.art. 15. Remonstrantes apud Homium in Specimine controuers. Belgicarum p. 126. *dicunt doctrinam de perseuerantia in fide eorum qui semel crediderunt, sua natura atque indole idoneam esse ad ingenerandam hominibus securitatẽ, vt in medio cursu peccatorũ ipsis sit loco puluinaris.* Item, *Ex se veræ pietati & bonis moribus noxia est.* Ita tamen docent Protestantes vt retulimus lib.1.ca.12.art.23. Schuselburg.to.7.Catal.Hære. pag. 447.ita inquit: *Condonare peccata futuri temporis, quæ quis adhuc patrare meditaretur, verè est dare epicuream peccandi licentiam.* Et nihilominus ita docent Protestantes, vt ostendimus lib.1.cap. 9.art.8. Melãcthon apud Cocleum in art. 6. Confess. Augustanæ sic loquitur: *Nunc vulgare est vociferari de fide; & intelligi, quid sit fides, non potest, nisi prædicata pœnitentia. Planè vinũ nouum in vtres veteres infundunt, qui fidem sine pœnitentia, sine doctrina timoris Dei, sine doctrina legis prædicant, & ad carnalẽ quãdam securitatem assuefaciunt vulgus. Ea securitas est deterior quã omnes errores antea sub Papa fuerunt.* Et tamen Protestantes dicunt, quod Euangelium non arguit peccata, nõ prędicat pœnitentiam, sed promittit salutem sub conditione solius fidei: vt ostendimus lib.1.c.4.art. 3. & 4. Hutterus in Analysi confess. Augustanæ pag. 571. inquit, E*rror Anabaptistarum negangantium semel iustificatos posse amittere Spiritum Sanctũ, ad quoduis flagitij genus perpetrandum sub absoluta semel sanctificatorum perseuerantia, licentiam summam concedit.* Hæc tamen doctrina est multorum Protestantium lib.1.cap. 16. art.12. Alij etiam Protestantes apud Zanchium de Perseuerantia Sanctorum to.7.col.159. dicunt, quod opinio quæ docet fideles non posse excidere à gratia, *tollit pœnitentiam, laxat fræna cupiditatibus, reddit hominem securum, vt audeat etiam contra conscientiam peccare.* Et liber Cõcordiæ Lutheranorum cap. 4. de bonis operibus pag. 705. *Falsa & epicurea illa opinio grauiter redarguenda est, quòd quidam fingant fidem & acceptam iustitiam atque salutem non posse vllis peccatis aut sceleribus, tametsi omnino voluntariè perpetrentur, amitti.* Prætereaalij Protestantes, vt refert Gualterus in Præfat. Ep[illegible] Rom. *cum serio pietatis sensu afficiuntur, metuunt* [illegible] *nis fingamus salutis viam, & ne doctrina hæc p*[illegible] *gignat, & hominibus ne-*

Condonatio peccatorum futurorum.

Prædicatio fidei sine pœnitentia.

Negatio amissionis gratia.

quam quiduis audendi fenestram aperiat. Nonnulli etiam fatentur quòd homines occasionem capiant peccandi ex ipsorum doctrina, vt Lutherus in Galat. 6. to. 5. fol. 433. Iacobus Andreæ in 21. Lucæ Concione 4. Perkinsus de Sermone Domini to. 2. col. 249. & ibidem in Galat. 5. v. 13. & alij apud Erasmum in Epistola ad Fratres inferioris Germaniæ. Demum Lutherus in Postilla domestica Domin. 1. Aduentus ita inquit: *Proh dolor! Mundus ex hac doctrina indies deterior euadit.* Et Castalio apud Caluinum li. de Prouidentia p. 749. *Hæc sunt, Caluine, quæ aduersarij tui de doctrina tua perhibent: admonentque homines, vt de doctrina ista ex fructu iudicent. Dicunt autem te & tuos discipulos, ferre multos fructus Dei tui, esse plerosque litigatores, vindictæ cupidos, iniuriæ tenaces & memores, cæterisque vitiis, quæ Deus tuus suggerit, præditos.*

Mundus indies deterior ex Protestantismo, vt fatetur Lutherus.

Sic ergo vigesimo sexto loco argumentor: Quorum doctrina non solùm ita pugnat cum expressis Scripturæ verbis, prout lib. superiore vidimus, verùm etiam tollit incitamenta virtutis, imo omnem virtutem è mundo: ac tollit impedimẽta peccati, & ad idem fræna laxat, pugnat etiam cum germano sensu Scripturæ, quæ passim incitat ad bona opera & virtutes, & reuocat à peccatis & vitiis: Huiusmodi autem est doctrina Protestantium: Ergo.

CAPVT XXVII.

Quod Protestantes careant omni infallibili sacræ Scripturæ interpretatione.

VIgesimum septimum argumentum, ad probandum Protestantes contradicere vero sensui Scripturæ sacræ, erit, quia non habent vllam infallibilem interpretationẽ eiusdem. Antequam autem probemus eos carere omni infallibili interpretatione sacræ Scripturæ, breuiter probandum erit quòd Scriptura (saltem in aliquibus rebus fidei) opus habet interpretatione; nimirum, vel quia quasdam fidei veritates nusquam ita clarè tradit, vt sola ipsius verba sufficiant captiuare intellectum in obsequium fidei: vel quia etsi alicubi satis clare tradat quasdam veritates fidei, alibi tamen ita videatur contrarium docere, vt incertum sit vtrumnam censeat. Quòd igitur Scriptura non clarè doceat omnes omnino veritates

fidei, probatur primò ex Scriptura ipsa, quia pius Eunuchus legebat verba Scripturæ de Christi passione Actor. 8. & tamen cum interrogaretur à Philippo an intelligeret quæ legebat, respondit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi*: Vides quòd Scriptura non ita clarè prædicebat passionem Christi: vt pius vir per illius verba eam potuerit sine interprete intelligere. Lucę vltimo. v. 23. *Christus incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis de omnibus Scripturis quæ de ipso erant*, & v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Si autem ipsi Christi discipuli non intelligebant Scripturas quæ de Christo loquebantur, & Apostoli opus habebant vt Christus illis sensum aperiret ad intelligendum Scripturas, manifestum est, quòd Scripturæ non adeo clare per se ipsas docent omnes res fidei, vt opus non habeant alterius interpretatione, ad hoc vt etiam à pijs & fidelibus intelligantur. Præterea 2. Petri vltimo dicitur: quòd in Epistolis Pauli *sunt quædam difficilia intellectu.* Quod autem hæc difficilia complectantur etiam dogmata, patet, tum quia gratis limitarentur ad alia; tum etiam, quia additur quòd indocti & instabiles deprauant hæc difficilia ad suam ipsorum perditionem, huiusmodi autem potissimū sunt fidei dogmata. Accedit, quòd si Scriptura ita clarè doceret omnes res fidei, vt in eis non egeret interprete, sequeretur donum interpretationis superfluè datum esse Ecclesię ad exponendam Scripturam in vllis rebus ad fidem spectantibus.

Quod Scriptura egeat interpretatione in aliquibus rebus fidei.

Secundò probatur hoc ex Patribus, breuitatis autem gratia vno S. Augustini testimonio contentus ero. Is libro de Vtilitate credendi cap. 7. cuidam dicenti, *Cum legerē* (Scripturas) *per me ipse cognoui*, ita respondet. *Itane est? Nulla imbutus poëtica disciplina, Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta posit intelligi, tu in eos libros sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam,*

Tertiò probatur ex ipsa confessione Protestantium. Nā ita Vvitakerus Controuers. 1. qu. 4. cap. 1. pag. 335. *Cum Bellarminus hunc statuit esse quæstionis statum; Vtrum Scriptura*

Protest. fatentur Scripturam nō sufficere ad omnes res fidei.

per se ita aperta sit, vt sine interpretatione sufficiat ex se ad omnes controuersias fidei terminandas ac dirimendas, *pugnat sine aduersario; nos enim certe hac in re aduersarios non habet.* Item: *Nos sentire dicunt, sed falsò: Omnia esse in Scripturis aperta, easque sine interpretatione ad omnes controuersias dirimendas sufficere.* En quam apertè negat Protestantes sentire, quod Scriptura sine interpretatione ex se ipsa sufficiat ad omnes fidei controuersias terminandas. Idemque vult Iunius lib. 3. de verbo Dei cap. 3. cum inquit: *Scriptura eget interprete.* Kemnitius in 1. parte Exam. pag. 104. vbi ait, *Opus habet dono interpretationis & adminiculo.* Et Magdeburgenses Centuria 1. lib. 2. cap. 4. col. 52. cum inquiunt: *Senserunt Apostoli Scripturas non posse intelligi sine Spiritu sancto & interprete*, & alij etiam Protestantes, qui admittunt Scripturas esse obscuras, aut donum interpretationis necessarium esse ad eas exponendas. Nam proculdubio id intelligunt, tam de locis in quibus res fidei traduntur, quàm de alijs: idque satis indicat Caluinus 4. Institut. cap. 17. §. 25. vbi catholicis excipientibus se habere verbum, quo palam facta est Dei voluntas circa Eucharistiam respondet: N*empe, si illis conceditur donum interpretationis ex Ecclesia profligare.* Censet igitur esse in Ecclesia donum interpretationis etiam ad explicandam Scripturam de rebus necessariò credendis, qualis, Eucharistia est. Præterea Plessæus lib. de Ecclesia cap. 3. pag. 72. ait, quòd quæstio Schismatis propriè è Scripturis decidi non potest, eoquòd sit potius quæstio facti, quàm iuris. Si igitur Scriptura per se solam nec quæstionem Schismatis, nec omnes controuersias fidei potest decidere, manifestè patet, quòd necessaria est alicuius interpretatio, eaque etiam infallibilis; quoniam fallibilis interpretatio nō sufficiet vt infallibiliter aliquid credamus. Ac necessariò quidem Protestantes dicere debent, quòd Scriptura per se ipsam non sufficiat dirimere omnes controuersias fidei; tum quia alias diremisset controuersias fidei inter ipsosmet ortas, seu inter quoscunque moderatos & minimè pertinaces fideles: tum etiā quia vix in vllis omnino cōtrouersijs inter nos ac ipsos agitatis, Scriptura vel specie tenus videtur directè & immediatè pro ipsis pronunciare sed

Protest. dicunt Scripturam opus habere interprete.

Scriptura non potest decidere quæstionē schismatis.

Cur Protest. debeant dicere scripturam opus habere interprete.

ſed vt ſua dogmata quoquomodo ex Scriptura eruant, opus habent & Scripturæ loca conferre, & iis principium aliquod humanum adiungere, & ratiocinationem contexere: quæ locorum collatio, principij humani adiunctio, & ratiocinatio, cum non à Scriptura ipſa, ſed à Proteſtantibus per ipſorum interpretationem fiât, omnino neceſſe eſt, vt dicant, quòd ad pleraſque, & pene omnes controuerſias fidei quæ inter nos & ipſos verſantur decidendas, Scriptura interpretatione indigeat. Atque hanc ob cauſam, tametſi quando nobis imponunt onus probandi, ſoleant clamare: Nihil credēdum, quod non expreſſum eſt in Scriptura: tamē quando ipſis onus probationis incumbit, ſufficere volunt ad rem fidei, quòd per bonam conſequentiam ex Scriptura deducatur. Sic enim docēt Lutherani in Colloquio Ratisbon. ſeſſ. 3. & 13. Kemnitius in 1. parte Exam. p. 320. Beza in Reſp. ad Acta Montisbel. parte 2. p. 46. & l. de Notis Eccleſiæ, Danæus Controu. 1. pa. 86. Paræus l. 1. de Iuſtific. c. 16. Piſcator de Iuſtificat. l. 2. c. 5. Riuettus in Controu. tract. 1. ſect. 18. & alij paſſim. Cum igitur hæc deductio per bonam conſequentiam non fiat à Scriptura ipſa, ſed à Proteſtantibus per ipſorum interpretationem, neceſſe eſt, vt dicant, quòd ad res omnes fidei cognoſcendas præter Scripturam ipſam opus etiam ſit alicuius interpretatione.

Quando Proteſt. dicunt ſufficere conſequentiam ex Scriptura.

Quòd verò Proteſtantes non habeant vllam infallibilem interpretationem Scripturæ, patet. Primò quià ipſi fatentur, quòd nullum habent infallibilem interpretem Scripturæ. Paræus in Collegio theol. 2. diſputat. 1. *Scriptura Dei ferre non poteſt authenticum interpretem, niſi ipſum Deum qui Scripturam inſpirauit.* Secundò, quia cum negent integrum ſenatum Patrum, Eccleſiam Catholicam, vel Concilia generalia habere donum infallibiter interpretandi Scripturas ſacras in omnibus quæſtionibus fidei, ridiculè donum iſtud ſibi ipſis arrogarent. Et cum aſſerant omnes Paſtores ſimul, totamque veram Eccleſiam (quæcumque illa ſit) errare poſſe in rebus fidei, nec ſuæ Eccleſiæ, nec omnibus Paſtoribus ſuis ſimul vendicare poſſunt donum infallibiliter exponendi Scripturam in rebus omnibus ad fidem ſpectantibus. Tertiò, quia ſi infallibiliter Scripturam interpretantur in omnibus fidei rebus,

Quod Proteſt. non habeant infallibilem interpretationem.

Quia non habent infallibilem interpretem.

Quia negant Eccleſiam infallibiliter interpretari poſſe.

aut id faciunt per media, aut ſine mediis. Non ſine mediis, quia huiuſmodi interpretatio eſſet prophetica ex immediata reuelatione diuina, ſeu potiùs enthuſiaſtica ex illuſione diabolica. Vnde VVitakerus Controu. 2. quæſt. 4. cap. 3. pag. 490 *Si ſine mediis doceat Spiritus ſanctus Eccleſiam iſtos locos interpretari, hoc enthuſiaſticon eſt, & Anabaptiſticum, & extraordinarium. Spiritus enim nunc per media tantùm docet: nec debemus nos iam nouas inſpirationes ſeu reuelationes expectare*, Et controuerſ. 1. qu. 5. cap. 9. pag. 361. *Nunc de mediis inueniendi ſenſum Scripturæ diſſerendum eſt. Nam quando Scriptura non habet viuam vocem, quam audiamus, vtendum eſt quibuſdam mediis quibus inueſtigemus quis ſit ſenſus, quæ mens Scripturarum.* Item: *Eccleſia in Scripturis interpretandis ſemper mediis quibuſdam vſa eſt.* Si autem exponant Scripturam per media, tunc (ex ipſorum ſententia) ſi media fallibilia ſunt, fallibilis etiam erit eorum interpretatio. Ita enim VVitakerus pag. 490. cit. *Si per media, tum qualia illa media ſunt, talem ipſam interpretationem eſſe, neceſſe eſt.* Atqui media Proteſtantium ſunt humana & fallibilia, quià (iuxta ipſos) non alia ſunt media quibus vſa eſt Catholica Eccleſia, ſancti Patres, aut Concilia generalia. Sic enim ait VVitakerus pag. 490. cit. *At media* (Eccleſiæ) *interpretãdi loca obſcura, ſunt incerta, dubia, & ambigua.* Ac neceſſario ita debent dicere, quia aliter fateri eos oporteret, Catholicam Eccleſiam in omnibus rebus fidei infallibilem eſſe. Secundo, quia media Proteſtantium ſunt hæc: Ponderatio circunſtantiarum, ſtyli, ac phraſis Scripturæ, collatio locorum, inſpectio Græci & Hebraici codicis, oratio, & ſimilia, vt videre licet apud Rainoldum in ſuo Colloquio cap. 2. diuiſ. 2. pag. 506. & 62. Confeſſ. Heluet. cap. 2. VVitakerum Controuerſ. 1. qu. 5. cap. 9. pagin. 361. Humfredum ad Rationem 1. Campiani pag. 112. & alios. Atqui hæc omnia media humana ſunt, quia ſunt noſtra ponderatio, noſtra collatio, noſtra inſpectio, noſtra oratio. Humana autem omnia fallibilia ſunt, ſicut omnis homo mendax. Tertiò, quià nuſquam in Scriptura promittitur infallibilis aſſiſtentia Spiritus ſancti vtentibus his mediis. Si autem dicas promiſſum eſſe orationi quicquid petimus: hoc pacto ſolam orationem facies infallibile medium, non autem alia prædicta. Deinde non ſufficit quomodocumq; petere, ſed oportet etiam be-

Proteſt. requirunt media ad interpretandum.

Media Proteſt: fallibilia, quia talia dicũt eſſe media Eccleſiæ.

Media Proteſt. humana.

nè & perseueranter petere: quia Iacobi 4. v. 3. dicitur: *Petitis & non accipitis, eo quòd male petitis.* Non benè autem petitur, vt priuatus quisque per se ipsum Scripturam intelligat: quin potius male, cum Scriptura dicat Malachiæ 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et Ephes. 4. *Dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum.* Quartò quià omnes vtuntur his mediis, Catholici, Hæretici & Iudæi, nec tamen omnes per ea, assequuntur rectum Scripturæ sensum. Quintò, quia Protestantes non obscurè indicant media hæc fallibilia esse. Vvitakerus enim præter verba iam citata addit Controuers. 1. qu. 5. cap. 9. & 10. Quòd *oportet his mediis legitimè vti*, adeoque indicat media hæc sine legitimo eorum vsu infallibilia non esse, nec tamen modum quo legitimè eis vti debeamus, præscribit. Et cap. 10. pa. 362. inquit omnia hæc media *deberi ad fidei regulam accommodari.* Quod satis indicat ea ex seipsis infallibilia non esse. Rainoldus etiam loco citat. pag. 58. ait: *Omnia ipsorum media vana esse, nisi Dominus det oculos ad videndum.* Sexto, media hæc non solum fallibilia sunt, sed etiam insufficientia. Nam non solum oportet conferre loca, sed etiam conferre ea quæ conferenda sunt, & non alia, & cum iis locis quibuscum conferenda sunt & non cum aliis. Præterea scire oportet, quomodo collatio sit instituēda. Rectè enim Tertullianus de Præscript. cap. 4. *Quasi non liceat omnibus malè examinatis* (collatis) *in electionem alicuius mali impingere per errorem.* Prædicta autem media nos hæc non docent. Demum, quia media hæc non sunt vniuersalia omnibus qui fidem habent. Sic enim scribit Vvitakerus c. 9. cit. p. 362. *Imperiti his mediis rectè vti nesciunt.* Et Rainoldus l. cit. c. 5. diuis. 1. pa. 140. *Quoniam infirmorum & imperitorum Christianorum genus peritiā non habet discernendi rectum Scripturæ sensum à falso, accōmodat se* (Vincentius) *eorū infirmitati, præbetq; illis externa sensibilia media* (antiquitatis, successionis, cōsensus) *eum cognoscendi.* Peto igitur, an imperiti Protestātes rectè intelligāt sensum Scripturę per media, aut sine mediis: Si sine mediis, erūt enthusiastæ: si per media, erunt alia media intelligēdi Scripturā, quàm quæ à Protestantibus assignantur. Mitto hic, quòd Lutherani dicāt Sacramentar. accepisse suā expositionē Scripturæ à Diabolo, ac Lutherus profiteatur se Diabolo magistro vsū esse.

Non omnes vtentes mediis Protest. rectè interpretantur.

Protest. non docent quis sit legitimus modus vtendi ipsorum mediis.

Media Protest. nō inseruiunt imperitis.

CAPVT XXVI.

Quod Protestantes tollant incitamenta virtutis, imo omnem virtutem è mundo, ac ponant incitamenta vitiorum ac tollant eorum impedimenta.

VIgesimum sextum argumentum, quòd Protestantes pugnent cum genuino sensu Scripturæ, erit, quia tollunt incitamenta virtutis, imo omnem virtutem è mundo, & ponunt incitamenta peccati ac tollunt obstacula eiusdem.

Protestant. tollunt incitamenta virtutis.

Tollunt quidem incitamenta virtutis, quia vt ostendimus lib. 1. cap. 1. art. 13. docent, quòd Deus non curat bona opera. Artic. 14. Non eis colitur. Art. 16. Non eis placatur. Et capit. 13. Artic. 6. Non est in eis vlla dignitas. Art. 7. Non eis promittitur merces. Art. 10. Omnia opera sunt æqualia apud Deum. Artic. 12. & 13. Non sunt necessaria ad iustificationem vel salutem. Artic. 14. Nec vtilia ad iustitiam vel salutem. Artic. 15. Non causa salutis. Art. 16. Nec testimonium iustitiæ vel salutis. Artic. 18. Non debemus ea facere. Cap. 16. artic. 15. Peccator non cooperatur suæ iustificationi. Cap. 17. artic. 1. Salus non est merces vel retributio. Art. 2. Non corona iustitiæ. Art. 3. Est ex sola fide. Et cap. 20. art. 2. Voluntas non est libera in moralibus. Art. 3. Non cooperatur gratiæ Dei ad actus bonos. Quis autem negare potest, quin fauor Dei erga bona opera, eorum dignitas ac merces, efficacia etiam ac necessitas erga iustificationem & salutem, hominis etiam libertas & cooperatio ad actus virtutis & salutem suam, sint magna incitamenta ac stimuli ad virtutem? Quæ tamen omnia & alia similia Protestantes tollunt, vti ostensum est locis iam citatis.

Tollunt omnẽ virtutẽ è mũdo.

Tollunt etiam è mundo omnem virtutem. Primùm enim tollunt speciales virtutes, nempe fidem, virtutum omnium radicem, quam dicunt esse vitiosam & indignam nomine virtutis, vt ostendimus lib. 1. c. 12. art. 12. Tollunt etiam excellentissimam castitatem, nempe virginitatem c. 14. art. 1. & 2. ac supremum gradum temperantiæ, scilicet ieiunium ibidem

art. 5. ac delectum omnem ciborum ar. 7. Tollunt etiam orationem pro omnibus artic. 8. & votum artic. 14. & vitam eremiticam art. 20. Præterea tollunt omnem iustitiam inhærentem cap. 16. art. 8. & negant quòd iustificati sint verè iusti ibidem articul. 3. vel mundi articul. 4. sed quod retineant peccata, articulo quinto. Demum tollunt omnem omnino virtutem. Nam dicunt omnia bona opera siue peccatorum siue iustorum hominum esse peccata, imò mera peccata cap. 13. art. 1. & 2. & esse sordes, stercora, & fœtere coram Deo. art. 3. Si autem omnia bona opera sunt peccata & merè peccata, manifestum est, quòd nulla est vera virtus in mundo. Vnde Vvitakerus lib. 2. de Peccato Originali cap. 14. pagin. 676. *Tu nos doce, quemadmodum peccata possunt esse bona opera*; Quod multò magis verum est, si sint mera peccata, prout Protestantes asserunt. Ponunt etiam incitamenta ad peccatum. Vt enim ostendimus cap. 1. artic. 1. docent, quòd Deus vult peccatum. Artic. 2. Deo placet peccatum. Art. 4. Deus facit peccatum. Art. 5. Prædestinat ad peccatum. Art. 6. Mandat peccare. Artic. 7. Tentat ad peccatum. Art. 8. Necessitat ad peccatum. Articul. 10. Iustificat impium manentem impium. Art. 17. Non vult sua præcepta seruari. Et cap. 2. artic. 11. Christus fuit vere peccator. cap. 3. artic. 1. Etiam Angeli in Cœlo peccant. cap. 12. articul. 17. Fides existens sola iustificat. art. 23. Fides nunquam amittitur.. Capite 15 articul. 3. Peccatum non debet vinci à fidelibus. art. 12. Ipse electus non peccat. ar. 15. Omnis vsura non est peccatum. Et cap. 18. art. 1. Lex Dei non est possibilis. art. 2. Nemo eam custodiuit. art. 3. Nemo Deum dilexit toto corde. Quis autem sanæ mentis inficiari potest, quin hæc axiomata: peccatum Deo placere, Deum velle, facere peccatum, prædestinare, mandare, necessitare, tentare ad peccatum, nolle sua præcepta seruari, Christum & Angelos in Cœlo esse peccatores, impium manentem impium iustificari, idque per fidem solitariam, eamque nunquam amitti, peccatum non debere vinci à fidelibus, eosque ipsos nunquã peccare, & similia, sint maximi stimuli & incitamenta ad peccandũ?

Ponunt incitamenta ad peccatũ.

Tollunt impedimenta peccati.

Tollunt etiam fræna, obstacula seu impedimenta peccati, dum docent, vt ostendimus libro 1. capit. 1. art. 3. quòd Deus non odit peccatum. Art. 9. Non odit fideles operantes iniquitatem. Artic. 11. Non irascitur fidelibus, dum peccant. Artic. 12. Non punit eos ob peccata facta. Artic. 23. Non damnat ob peccata. Et capit. 2. artic. 7. Quòd Christus non est legislator, Art. 8. Non est iudex, Cap. 4. art. 3. Euangelium promittit salutem sine conditione operum. Art. 4. Non arguit peccata. Cap. 9. art. 8. In baptismo omnia peccata preterita, præsentia, & futura remittuntur. Cap. 15. art. 1. Peccata non imputantur fidelibus. Artic. 2. Non sunt illis mortalia. Artic. 4. Seruientes carni possunt seruire Deo. Artic. 5. Nulla peccata excutiunt gratiam. Art. 6. Possunt simul esse cum iustitia. Art. 8. Abstinere à peccatis non est necessarium ad salutem. Artic. 9. Peccata non sunt causa damnationis. Art. 10. Non est reddenda ratio illorum. Cap. 11. art. 12. Iustificatio nunquam amittitur. Art. 13. Iustificato non est timendum ne cadat. Art. 16. Nulla pœna est illi luenda. Cap. 17. art. 4. Fideles non sunt iudicandi. Art. 7. Infernus non est locus. Art. 8. Illius ignis, non est verus. Et cap. 18. art. 6. Lex Dei est abrogata fidelibus. Manifestissimum autem est, quod ablata, ira, odio, & punitione Dei erga peccata & fideles illam perpetrantes; ablata etiam Christi legislatione ac iudicio; ablato etiam ab hominibus omni timore iudicij diuini, damnationis, iræ, atque odij Dei, aut amissionis iustitiæ ac salutis; ac posita securitate quod homines etiam grauissimè peccantes sunt certi de amore Dei, de iustitia, & salute æterna, & immunitate ab omni pœna quacumque, auferuntur omnia fræna seu impedimenta peccandi quæ ad Deum spectant: & si quis hæc credens à peccato retrahatur, id aliunde non fit quam ex ingenita synderesi atque horrore peccati, aut pudore vel timore hominum.

Protest. fatentur aliqua dogmata Protest. incitare ad peccandum

Negatio cooperationis in conuersione.

Negatio amissionis fidei.

Imo ita est euidens, quòd multa dogmata Protestantica sint incitamenta peccandi, vt nonnulli Protestantes id apertè fateantur. Vvittembergenses enim supra citati cap. 24. dicunt, quòd negare hominem cooperari suæ conuersioni *stabilit horribilia scelera*. Id tamen negant Protestantes, vt vi-

dimus lib.1.cap.16.art. 15. Remonstrantes apud Homium in Specimine controuers. Belgicarum p. 126. *dicunt doctrinam de perseuerantia in fide eorum qui semel crediderunt, sua natura atque indole idoneam esse ad ingenerandam hominibus securitatẽ, vt in medio cursu peccatorũ ipsis sit loco puluinaris.* Item. *Ex se veræ pietati & bonis moribus noxia est.* Ita tamen docent Protestantes vt retulimus lib.1.ca.12.art.23. Schuselburg.to.7.Catal.Hære. pag. 447. ita inquit: *Condonare peccata futuri temporis, quæ quis adhuc patrare meditaretur, verè est dare epicuream peccandi licentiam.* Et nihilominus ita docent Protestantes, vt ostendimus lib.1.cap. 9. art.8. Melãcthon apud Cocleum in art. 6. Confess. Augustanæ sic loquitur: *Nunc vulgare est vociferari de fide; & intelligi, quid sit fides, non potest, nisi prædicata pœnitentia. Planè vinũ nouum in vtres veteres infundunt, qui fidem sine pœnitentia, sine doctrina timoris Dei, sine doctrina legis prædicant, & ad carnalẽ quãdam securitatem assuefaciunt vulgus. Ea securitas est deterior quã omnes errores antea sub Papa fuerunt.* Et tamen Protestantes dicunt, quod Euangelium non arguit peccata, nõ prędicat pœnitentiam, sed promittit salutem sub conditione solius fidei: vt ostendimus lib.1.c.4.art. 3. & 4. Hutterus in Analysi confess. Augustanæ pag. 571. inquit, *Error Anabaptistarum negantium semel iustificatos posse amittere Spiritum Sanctũ, ad quoduis flagitij genus perpetrandum sub absoluta semel sanctificatorum perseuerantia, licentiam summam concedit.* Hæc tamen doctrina est multorum Protestantium lib.1.cap. 16. art.12. Alij etiam Protestantes apud Zanchium de Perseuerantia Sanctorum to.7.col.159. dicunt, quod opinio quæ docet fideles non posse excidere à gratia, *tollit pœnitentiam, laxat fræna cupiditatibus, reddit hominem securum, vt audeat etiam contra conscientiam peccare.* Et liber Cõcordiæ Lutheranorum cap. 4. de bonis operibus pag. 705. *Falsa & epicurea illa opinio grauiter redarguenda est, quòd quidam fingant fidem & acceptam iustitiam atque salutem non posse vllis peccatis aut sceleribus, tametsi omnino voluntariè perpetrentur, amitti.* Præterea alij Protestantes, vt refert Gualterus in Præfat. Epistolæ ad Rom. *cum serio pietatis sensu afficiuntur, metuunt, ne facilem nimis fingamus salutis viam, & ne doctrina hæc peccandi licentiam gignat, & hominibus ne-*

Condonatio peccatorum futurorum.

Prædicatio fidei sine pœnitentia.

Negatio amissionis gratiæ.

quam quiduis audendi fenestram aperiat. Nonnulli etiam fatentur quòd homines occasionem capiant peccandi ex ipsorum doctrina, vt Lutherus in Galat. 6. to. 5. fol. 433. Iacobus Andreæ in 21. Lucæ Concione 4. Perkinsus de Sermone Domini to. 2. col. 249. & ibidem in Galat. 5. v. 13. & alij apud Erasmum in Epistola ad Fratres inferioris Germaniæ. Demum Lutherus in Postilla domestica Domin. 1. Aduentus ita inquit: *Proh dolor! Mundus ex hac doctrina indies deterior euadit.* Et Castalio apud Caluinum li. de Prouidentia p. 749. *Hæc sunt, Caluine, quæ aduersarij tui de doctrina tua perhibent: admonentque homines, vt de doctrina ista ex fructu iudicent. Dicunt autem te & tuos discipulos, ferre multos fructus Dei tui, esse plerosque litigatores, vindictæ cupidos, iniuriæ tenaces & memores, cæterisque vitiis, quæ Deus tuus suggerit, præditos.*

Mundus indies deterior ex Protestantismo, vt fatetur Lutherus.

Sic ergo vigesimo sexto loco argumentor: Quorum doctrina non solùm ita pugnat cum expressis Scripturæ verbis, prout lib. superiore vidimus, verùm etiam tollit incitamenta virtutis, imo omnem virtutem è mundo: ac tollit impedimẽta peccati, & ad idem fræna laxat, pugnat etiam cum germano sensu Scripturæ, quæ passim incitat ad bona opera & virtutes, & reuocat à peccatis & vitiis: Huiusmodi autem est doctrina Protestantium: Ergo.

CAPVT XXVII.

Quod Protestantes careant omni infallibili sacræ Scripturæ interpretatione.

VIgesimum septimum argumentum, ad probandum Protestantes contradicere vero sensui Scripturæ sacræ, erit, quia non habent vllam infallibilem interpretationẽ eiusdem. Antequam autem probemus eos carere omni infallibili interpretatione sacræ Scripturæ, breuiter probandum erit quòd Scriptura (saltem in aliquibus rebus fidei) opus habet interpretatione; nimirum, vel quia quasdam fidei veritates nusquam ita clarè tradit, vt sola ipsius verba sufficiant captiuare intellectum in obsequium fidei: vel quia etsi alicubi satis clare tradat quasdam veritates fidei, alibi tamen ita videatur contrarium docere, vt incertum sit vtrumnam censeat. Quòd igitur Scriptura non clarè doceat omnes omnino veritates

fidei, probatur primò ex Scriptura ipsa, quia pius Eunuchus legebat verba Scripturæ de Christi passione Actor. 8. & tamen cum interrogaretur à Philippo an intelligeret quæ legebat, respondit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi*: Vides quòd Scriptura non ita clarè prædicebat passionem Christi: vt pius vir per illius verba eam potuerit sine interprete intelligere. Lucę vltimo. v. 23. *Christus incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis de omnibus Scripturis quæ de ipso erant*, & v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Si autem ipsi Christi discipuli non intelligebant Scripturas quæ de Christo loquebantur, & Apostoli opus habebant vt Christus illis sensum aperiret ad intelligendum Scripturas, manifestum est, quòd Scripturæ non adeo clare per se ipsas docent omnes res fidei, vt opus non habeant alterius interpretatione, ad hoc vt etiam à pijs & fidelibus intelligantur. Præterea 2. Petri vltimo dicitur: quòd in Epistolis Pauli *sunt quædam difficilia intellectu.* Quod autem hæc difficilia complectantur etiam dogmata, patet, tum quia gratis limitarentur ad alia: tum etiam, quia additur quòd indocti & instabiles deprauant hæc difficilia ad suam ipsorum perditionem, huiusmodi autem potissimũ sunt fidei dogmata. Accedit, quòd si Scriptura ita clarè doceret omnes res fidei, vt in eis non egeret interprete, sequeretur donum interpretationis superfluè datum esse Ecclesię ad exponendam Scripturam in vllis rebus ad fidem spectantibus.

Quod Scriptura egeat interpretatione in aliquibus rebus fidei.

Secundò probatur hoc ex Patribus, breuitatis autem gratia vno S. Augustini testimonio contentus ero. Is libro de Vtilitate credendi cap. 7. cuidam dicenti, *Cum legerẽ* (Scripturas) *per me ipse cognoui*, ita respondet. *Itane est? Nulla imbutus poëtica disciplina, Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, Donatus & alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta poßit intelligi, tu in eos libros sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam,*

Tertiò probatur ex ipsa confessione Protestantium. Nã ita Vvitakerus Controuers. 1. qu. 4. cap. 1. pag. 335. *Cum Bellarminus hunc statuit esse quæstionis statum; Vtrum Scriptura*

Protest. fatentur scripturam nõ sufficere ad omnes res fidei.

per se ita aperta sit, vt sine interpretatione sufficiat ex se ad omnes controuersias fidei terminandas ac dirimendas, pugnat sine aduersario; nos enim certe hac in re aduersarios non habet. Item: *Nos sentire dicunt, sed falso Omnia esse in Scripturis aperta, easque sine interpretatione ad omnes controuersias dirimendas sufficere.* En quam apertè negat Protestantes sentire, quod Scriptura sine interpretatione ex se ipsa sufficiat ad omnes fidei controuersias terminandas. Idemque vult Iunius lib. 3. de verbo Dei cap. 3. cum inquit: *Scriptura eget interprete.* Kemnitius in 1. parte Exam. pag. 104. vbi ait, *Opus habet dono interpretationis & adminiculo.* Et Magdeburgenses Centuria 1. lib. 2. cap. 4. col. 52. cum inquiunt: *Senserunt Apostoli Scripturas non posse intelligi sine Spiritu sancto & interprete*, & alij etiam Protestantes, qui admittunt Scripturas esse obscuras, aut donum interpretationis necessarium esse ad eas exponendas. Nam proculdubio id intelligunt, tam de locis in quibus res fidei traduntur, quàm de alijs: idque satis indicat Caluinus 4. Institut. cap. 17. §. 25. vbi catholicis excipientibus se habere verbum, quo palam facta est Dei voluntas circa Eucharistiam respondet: N*empe, si illis conceditur donum interpretationis ex Ecclesia profligare.* Censet igitur esse in Ecclesia donum interpretationis etiam ad explicandam Scripturam de rebus necessariò credendis, qualis, Eucharistia est. Præterea Plessæus lib. de Ecclesia cap. 3. pag. 72. ait, quòd quæstio Schismatis propriè è Scripturis decidi non potest, eoquòd sit potius quæstio facti, quàm iuris. Si igitur Scriptura per se solam nec quæstionem Schismatis, nec omnes controuersias fidei potest decidere, manifestè patet, quòd necessaria est alicuius interpretatio, eaque etiam infallibilis; quoniam fallibilis interpretatio nõ sufficiet vt infallibiliter aliquid credamus. Ac necessariò quidem Protestantes dicere debent, quòd Scriptura per se ipsam non sufficiat dirimere omnes controuersias fidei; tum quia alias diremisset controuersias fidei inter ipsosmet ortas, seu inter quoscunque moderatos & minimè pertinaces fideles: tum etiã quia vix in vllis omnino cõtrouersijs inter nos ac ipsos agitatis, Scriptura vel specie tenus videtur directè & immediatè pro ipsis pronunciare sed

Protest. dicunt Scripturam opus habere interprete.

Scriptura non potest decidere quæstionẽ schismatis.

Cur Protest. debeant dicere scripturam opus habere interprete.

ſed vt ſua dogmata quoquomodo ex Scriptura eruant, opus habent & Scripturæ loca conferre, & iis principium aliquod humanum adiungere, & ratiocinationem contexere: quæ locorum collatio, principij humani adiunctio, & ratiocinatio, cum non à Scriptura ipſa, ſed à Proteſtantibus per ipſorum interpretationem fiãt, omnino neceſſe eſt, vt dicant, quòd ad pleraſque, & pene omnes controuerſias fidei quæ inter nos & ipſos verſantur decidendas, Scriptura interpretatione indigeat. Atque hanc ob cauſam, tametſi quando nobis imponunt onus probandi, ſoleant clamare: Nihil credẽdum, quod non expreſſum eſt in Scriptura: tamẽ quando ipſis onus probationis incumbit, ſufficere volunt ad rem fidei, quòd per bonam conſequentiam ex Scriptura deducatur. Sic enim docẽt Lutherani in Colloquio Ratisbon. ſeſſ. 3. & 13. Kemnitius in 1. parte Exam. p. 320. Beza in Reſp. ad Acta Montisbel. parte 2. p. 46. & l. de Notis Eccleſiæ, Danæus Controu. 1. pa. 86. Paræus l. 1. de Iuſtific. c. 16. Piſcator de Iuſtificat. l. 2. c. 5. Riuettus in Controu. tract. 1. ſect. 18. & alij paſſim. Cum igitur hæc deductio per bonam conſequentiam non fiat à Scriptura ipſa, ſed à Proteſtantibus per ipſorum interpretationem, neceſſe eſt, vt dicant, quòd ad res omnes fidei cognoſcendas præter Scripturam ipſam opus etiam ſit alicuius interpretatione.

Quando Proteſt. dicunt ſufficere conſequentiam ex Scriptura.

Quòd verò Proteſtantes non habeant vllam infallibilem interpretationem Scripturæ, patet. Primò quià ipſi fatentur, quòd nullum habent infallibilem interpretem Scripturæ. Paræus in Collegio theol. 2. diſputat. 1. *Scriptura Dei ferre non poteſt authenticum interpretem, niſi ipſum Deum qui Scripturam inſpirauit.* Secundò, quia cum negent integrum ſenatum Patrum, Eccleſiam Catholicam, vel Concilia generalia habere donum infallibiter interpretandi Scripturas ſacras in omnibus quæſtionibus fidei, ridiculè donum iſtud ſibi ipſis arrogarent. Et cum aſſerant omnes Paſtores ſimul, totamque veram Eccleſiam (quæcumque illa ſit) errare poſſe in rebus fidei, nec ſuæ Eccleſiæ, nec omnibus Paſtoribus ſuis ſimul vendicare poſſunt donum infallibiliter exponendi Scripturam in rebus omnibus ad fidem ſpectantibus. Tertiò, quia ſi infallibiliter Scripturam interpretantur in omnibus fidei rebus,

Quod Proteſt. non habeant infallibilem interpretationem.

Quia non habent infallibilem interpretem.

Quia negant Eccleſiam infallibiliter interpretari poſſe.

aut id faciunt per media, aut sine mediis. Non sine mediis, quia huiusmodi interpretatio esset prophetica ex immediata reuelatione diuina, seu potiùs enthusiastica ex illusione diabolica. Vnde Vvitakerus Controu. 2. quæst. 4. cap. 3. pag. 490 *Si sine mediis doceat Spiritus sanctus Ecclesiam istos locos interpretari, hoc enthusiasticon est, & Anabaptisticum, & extraordinarium. Spiritus enim nunc per media tantùm docet: nec debemus nos iam nouas inspirationes seu reuelationes expectare*, Et controuers. 1. qu. 5. cap. 9. pag. 361. *Nunc de mediis inueniendi sensum Scripturæ differendum est. Nam quando Scriptura non habet viuam vocem, quam audiamus, vtendum est quibusdam mediis quibus inuestigemus quis sit sensus, quæ mens Scripturarum.* Item: *Ecclesia in Scripturis interpretandis semper mediis quibusdam vsa est.* Si autem exponant Scripturam per media, tunc (ex ipsorum sententia) si media fallibilia sunt, fallibilis etiam erit eorum interpretatio. Ita enim Vvitakerus pag. 490. cit. *Si per media, tum qualia illa media sunt, talem ipsam interpretationem esse, necesse est.* Atqui media Protestantium sunt humana & fallibilia, quià (iuxta ipsos) non alia sunt media quibus vsa est Catholica Ecclesia, sancti Patres, aut Concilia generalia. Sic enim ait Vvitakerus pag. 490. cit. *At media* (Ecclesiæ) *interpretãdi loca obscura, sunt incerta, dubia, & ambigua.* Ac necessario ita debent dicere, quia aliter fateri eos oporteret, Catholicam Ecclesiam in omnibus rebus fidei infallibilem esse. Secundo, quia media Protestantium sunt hæc: Ponderatio circunstantiarum, styli, ac phrasis Scripturæ, collatio locorum, inspectio Græci & Hebraici codicis, oratio, & similia, vt videre licet apud Rainoldum in suo Colloquio cap. 2. diuis. 2. pag. 506. & 62. Confess. Heluet. cap. 2. Vvitakerum Controuers. 1. qu. 5. cap. 9. pagin. 361. Humfredum ad Rationem 1. Campiani pag. 112. & alios. Atqui hæc omnia media humana sunt, quia sunt nostra ponderatio, nostra collatio, nostra inspectio, nostra oratio. Humana autem omnia fallibilia sunt, sicut omnis homo mendax. Tertiò, quià nusquam in Scriptura promittitur infallibilis assistentia Spiritus sancti vtentibus his mediis. Si autem dicas promissum esse orationi quicquid petimus: hoc pacto solam orationem facies infallibile medium, non autem alia prædicta. Deinde non sufficit quomodocumq; petere, sed oportet etiam be-

Protest. requirunt media ad interpretandum.

Media Protest: fallibilia, quia talia dicũt esse media Ecclesiæ.

Media Protest. humana.

nè & perseueranter petere: quia Iacobi 4. v. 3. dicitur: *Petitis & non accipitis, eo quòd malè petitis.* Non benè autem petitur, vt priuatus quisque per se ipsum Scripturam intelligat: quin potius malè, cum Scriptura dicat Malachiæ 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et Ephes. 4. *Dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum.* Quartò quià omnes vtuntur his mediis, Catholici, Hæretici & Iudæi, nec tamen omnes per ea, assequuntur rectum Scripturæ sensum. Quintò, quia Protestantes non obscurè indicant media hæc fallibilia esse. Vvitakerus enim præter verba iam citata addit Controuers. 1. qu. 5. cap. 9. & 10. Quòd *oportet his mediis legitimè vti*, adeoque indicat media hæc sine legitimo eorum vsu infallibilia non esse, nec tamen modum quo legitimè eis vti debeamus, præscribit. Et cap. 10. pa. 362. inquit omnia hæc media *deberi ad fidei regulam accommodari.* Quod satis indicat ea ex seipsis infallibilia non esse. Rainoldus etiam loco citat. pag. 58. ait: *Omnia ipsorum media vana esse, nisi Dominus det oculos ad videndum.* Sexto, media hæc non solum fallibilia sunt, sed etiam insufficientia. Nam non solum oportet conferre loca, sed etiam conferre ea quæ conferenda sunt, & non alia, & cum iis locis quibuscum conferenda sunt & non cum aliis. Præterea scire oportet, quomodo collatio sit instituẽda. Rectè enim Tertullianus de Præscript. cap. 4. *Quasi non liceat omnibus malè examinatis* (collatis) *in electionem alicuius mali impingere per errorem.* Prædicta autem media nos hæc non docent. Demum, quia media hæc non sunt vniuersalia omnibus qui fidem habent. Sic enim scribit Vvitakerus c. 9. cit. p. 362. *Imperiti his mediis rectè vti nesciunt.* Et Rainoldus l. cit. c. 5. diuis. 1. pa. 149. *Quoniam infirmorum & imperitorum Christianorum genus peritiã non habet discernendi rectum Scripturæ sensum à falso, accõmodat se* (Vincentius) *eorũ infirmitati, præbetq; illis externa sensibilia media* (antiquitatis, successionis, cõsensus) *eum cognoscendi.* Peto igitur, an imperiti Protestãtes rectè intelligãt sensum Scripturę per media, aut sine mediis: Si sine mediis, erũt enthusiastæ: si per media, erunt alia media intelligẽdi Scripturã, quàm quæ à Protestantibus assignantur. Mitto hic, quòd Lutherani dicãt Sacramentar. accepisse suã expositionẽ Scripturæ à Diabolo, ac Lutherus profiteatur se Diabolo magistro vsũ esse.

Non omnes vtentes mediis Protestant. rectè interpretantur.

Protest. non docent quis sit legitimus modus vtendi ipsorum mediis.

Media Protest. nõ inseruiunt imperitis.

Sic ergo in forma vigesimo septimo loco argumentor: Qui in multis magnisque materijs directè pugnant cum expressis Scripturæ verbis, ijsque ex professo dictis vt sensum Scripturæ patefacerent: neque habent vllam infallibilem rationem rectè interpretandi Scripturam: ij censendi sunt vero sensui Scripturæ contradicere: Sic autem Protestantes faciunt: Ergo.

CAPVT XXVIII.

Quod Protestantes cogantur recusare omnem iudicem in Ecclesia, cuius iudicio acquiescant.

VIgesimum octauum argumentum, quo probabimus Protestantes contradicere germano Scripturæ sensui, inde desumetur, quòd eorum dogmata adeo euidenter repugnent Scripturę, vt non audeant ea submittere iudicio cuiuscunque iudicis in Ecclesia, cuius iudicio ac sententiæ acquiescant. Sic enim Zuinglius tom. 1. in Explanat. art. 67. fol. 109. *Non fero iudicem hominem in negotio veritatis & fidei.* Vvitakerus controuers. 1. qu. 5. cap. 4. pag. 350. *Iudicium de Religione sibi Deus vni reseruauit, nulli homini permisit.* Et Controuers. 4. qu. 1. cap. 2. pag. 520. *Nullus nunc est in terris iudex infallibilis, qui modò homo sit*: Vorstius in Antibellarm. pag. 80. *Probauimus solum Christum siue Spiritum S. in Scripturis apertè loquentem, pro supremo isto controuersiarum fidei iudice agnoscendum esse.* Paræus in Colleg. Theol. 4. disput. 2. *Interpretationum Scripturæ & controuersiarum fidei iudex summus, à quo non detur appellatio, post tempora Apostolorum, & hodie, nullus datur humanus, neque Ecclesia, neque Concilium,* &c. Lutherani in Colloquio Ratisbon. sess. 9. p. 272. *Hoc probes, quod præter legem scriptam, alius quoque sit constituendus iudex visibilis.* Idem docet Academia Nemausiensis in Respons. ad Iesuitas Tournonios pag. 563. Eliensis in Respons. ad Apolog. Bellarmini cap. 14. Fieldus lib. 4. de Ecclesia cap. 13. & 16. Molinæus in suo scuto articul. 3 sect. 6. pag. 24, & 38. & alij Protestantes communiter.

Protest. nolunt iudicem hominem.

Nullum Iudicem visibilem.

Quòd autem necessariò admittendus sit iudex in Eccle-

sia cuius iudicio standum sit probatur. Primò ex Scriptura, quia Deuter. 17. dicitur: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Leuitici generis & ad iudicem qui fuerit illo tempore & facies quodcũque dixerint tibi qui præsunt loco quem elegerit Dominus — Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille.* En iudicem à Deo institutum in Ecclesia Israelitica, eumque audiendum sub pœna mortis. Præterea Christus Math. 18. v. 17. inquit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et Actorum 15. Quando Christiani dissentiebant de obseruatione legalium *statuerunt, vt ascenderent Paulus & Barnabas & alij ex alijs ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione*, acquieueruntque omnes verè fideles illorum iudicio, & Paulus præcepit eorum decreta obseruari. Eadem praxis perpetuò deinceps seruata est in Ecclesia, & fideles acquieuerunt iudicio legitimi Concilij, & semper pro hæreticis habiti sunt, qui non assenserunt. *In Ecclesia Apostolorum.*

Secundò probatur ex patribus. Ita enim Cyprianus Epist. 55. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus ad tempus in Ecclesia sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* En vt negare iudicem in Ecclesia vice Christi, sit occasio hæresum & Schismatum. Similia habet Epist. 79. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 33. *Quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sacra Scriptura demonstrat.* *Negatio iudicis, origo hæresum & schismatum.*

Tertiò, quia mos fuit hæreticorum negare iudicem in Ecclesia. Donatistæ apud Augustinum in breuiculo collationis cap. 11. *Dicunt huius causæ Christum iudicem esse debere, inuidiam facientes Catholicis quod hominem petiuerant iudicem.*

Quartò probatur ratione: quia euidens indicium est deploratæ causæ, quòd eiusdem Patroni non audeant eam sententiæ cuiusuis iudicis in republica submittere. Præterea nulla pax esse potest in vlla republica aut societate, nisi præter leges sit etiam iudex aliquis, qui lites orientes com- *Damnat suam causam qui recusat omnẽ iudicem.*

ponat, cuiusque iudicio parere oportet. Et qui tales iudices tollunt, vel malam causam fouent, vel pacem non amant, sed lites interminabiles quærunt.

Protest. aliquando fatentur esse Iudicem.

Propter hæc & similia argumenta Protestantes aliquando saltem verbotenus admittunt debere esse iudicem in Ecclesia. Ita enim Vvitakerus Controu. 1. qu. 5. cap. 4. pag. 349. *Fateor, in quauis republica iudices esse debere, qui lites inter homines dirimant, & earum finem faciant.* Et cap. 7. pag. 356. *Reliquit quidem Deus iudicem Ecclesiæ suæ, sed quis ille sit iam quæritur, & inter nos ac Papistas controuertitur.* Eliensis cap. 14. cit. *At præter legem iudice alio loquente opus. Quis negat?* Melanchon in Respons. ad Artic. Bauar. to. 3. fol. 364. *Nos palam fatemur oportere in Ecclesia iudicia esse* Cæterùm iudicem hunc volunt esse Scripturam. Zuinglius in disput. 1. to. 2. fol. 621. *Iudices alios præter Scripturas sacras, nullos vnquam admittam.* Veruntamen hoc est nomine iudicem statuere, re tollere. Nam Scriptura est lex seu ius Christianum: non igitur iudex, qui est iuris index. Et Lutherani in Colloquio Ratisbonensi sess. 1. cum dixissent Scripturam *esse regulam & normam fidei*, postea pag. 38. dicunt: *Aliud est iudicem demonstrare, aliud normam.* Vbi apertè distinguunt iudicem à Scriptura. Præterea Scripturæ, Patrum testimonia, & rationes allatæ probant debere esse in Ecclesia iudicem loquentem, qui distinctus sit à lege seu Scriptura. Deinde stultum est talem constituere iudicem, eumque vnicum, qui & surdus sit & mutus, atque ita nec posset audire litigantes, nec sententiam dicere, neque authoritatem habeat cogendi homines vt suæ sententiæ pareant. Accedit, quòd (vt sæpe diximus) in plerisque controuersijs inter nos & Protestantes, Scriptura nec vel speci etenus videri potest secundum Protestantes sententiam ferre, nisi ab ipsis & conferatur, & cum principio humano iungatur, ac in ratiocinationis formam redigatur. Iudex autem talis esse debet, vt per se ipsum sine ope alterius partis litigantium sententiam possit proferre. Ad hæc: Sententia Iudicis, maxime illius à quo non licet appellare, debet esse tam clara, vt nemo possit dubitare pro vtra parte litigantium pronuntiauerit. Huiusmodi au-

Sed nullum nisi Scripturam.

Protest. nolunt alium Iudicem, quam surdum & mutum.

tem non est sententia scripturæ in plurimis materijs. Item controuertitur inter nos de quibusdam libris, qui vtrum sint partes Scripturæ nec ne, ipsa Scriptura non dicit. Ergo saltem non est iudex omnium controuersiarum fidei. Adde etiam, quòd Ecclesia ante Moysen non habuerit Scripturam vllam, & aliquot annis post Christum non habuit Scripturam noui testamenti, & tamen nunquam caruit iudice. Demum, quia (vt capite præcedente vidimus) Protestantes fatentur Scripturam per se ipsam non sufficere ad omnes fidei controuersias dirimendas; ergo nec ad omnes iudicandas. His & similibus de causis, aliqui Protestantes videntes quàm absurdum sit dicere Scripturam esse vnicum iudicem in Ecclesia, dicunt quòd Christus seu Spiritus S. loquens in Scriptura sit iudex. Vvitakerus cap. 7. citat. pag. 356. *Nos dicimus hunc iudicem esse Spiritum S. in Scripturis loquentem.* Sic etiam Confessio Heluet. cap. 11. Academia Nemausiensis, Vorstius locis citatis. Lutherani in Colloq. Ratisbon. sess. 9. pag. 271. 274. & alij. Cæterùm cum Christus seu Spiritus S. non aliter sit in Scriptura quàm vt in signo suæ voluntatis, dicere Spiritum S. prout est in Scriptura esse iudicem, reipsa non est aliud quam dicere Scripturam esse iudicem. Et sicut Rex prout est in suis legibus scriptis, non est idoneus iudex Reipublicæ, quia alioquin etiã ipse mortuus posset esse iudex, sed præterea opus est iudice viuo, audiente, & loquẽte, qui & audiat litigantes & sententiam pronuntiet, ita nec Spiritus S. vt est in Scriptura est idoneus iudex.

Protest. interdum admittunt iudicem loquentem.

Alij igitur fatentur opus esse iudice loquente seu homine. Ita Eliensis loco supra citato, vbi addit: *Iamdudum ergo liberam legitimamque Synodum omnes poscimus.* Et Lutherani in Colloq. cit. sess. 9. pag. 278. *Profitemur ministerio & doctoribus Ecclesiæ omnino aliquam à Deo potestatem concessam esse, diiudicandi etiam controuersias religionis.* Cæterum reipsa veram iudicis naturam tollunt. Aut enim nolunt esse talem iudicem cui tenemur parere, vt liquet ex eo, quod & Pastores omnes, & Ecclesiam vniuersalem, & Concilia generalia doceant posse errare. Imo Molineus in præfatione sui scuti, ait quòd *non potest esse maior temeritas, quam velle vt*

Sed non talem à quo non liceat prouocare.

homines peccatores sint Iudices infallibiles de sensu legis. Et Lutherani sess. cit. pag. 280. dicunt: *Simpliciter & absolute certum est, quod possit errare ministerium.* Hoc autem reuera est iudicem tollere, quia finis iudicis est pacem statuere ac lites componere: quod præstare non potest, nisi homines illius sententię teneantur parere; & authoritates omnes ac rationes prædictæ quę probant esse iudicem in Ecclesia, probant etiam eum talem esse, à quo non licet prouocare.

Dandus est Iudex à quo non licet prouocare.

Vnde Vvitakerus ipse Controu. 1. qu. 5. cap. 4. p. 350. inquit: *Respondeo verba ista* (Deuteron. 17. cit.) *intelligenda esse de authoritate definiendi difficiles lites ac cõtrouersias, siue Ecclesiasticas illas quidem per ministrum, siue politicas & forenses per magistratum, vt esset semper in vtrisque aliquis à quo prouocare non liceat: alioquin enim nullus esset litigandi finis.* Aut certè si nolunt vt prouocetur à iudice in foro externo, volunt tamen posse ab eo prouocari in foro interno seu conscientiæ. Sic enim Vvitakerus cap. 4. cit. pag. 350. *Pondus magnum iudicij fuit in sacerdote, & quod ille semel statuisset, id ratum in externo foro fuit, vt hoc modo controuersiæ litesque tollerentur.* Et Controuers. 4. qu. 1. cap. 2. pag. 520. *Possunt quidem controuersiæ ad externum forum deferri & ibi definiri, sed conscientia in eo foro non acquiescit.* Sed hoc facilè refellitur, tum quia in hac materia gratis confingitur hæc distinctio fori: tum etiam, quia pax Ecclesiæ sita est potissimum in foro interno scilicet in fide, ergo non licet in eo foro prouocare à iudice Ecclesiæ, alioquin nunquam pax esset conscientiæ: tum prætere a quia praxis Ecclesiæ in Concilio Apostolorum & aliorum generalium Conciliorum planè declarat, quòd iudex Ecclesię habet potestatem dirimendi lites in foro conscientiæ: tum demum, quia si quis teneretur obedire iudicio Ecclesię in foro externo, & non in interno, teneretur aliquando silentio sepelire veritatem Dei eamque non confiteri coram hominibus, nempe si Ecclesia sententiam ferret contra Dei veritatem. Accedit, quòd potestas Ecclesiæ est Spiritualis & in animas ipsas, ergo potestas illius iudicandi se extendit etiam ad forum internum.

Neque in foro externo nec in interno.

Sit ergo Vigesimum octauum argumentum huiusmodi:

Quorum

Quorum doctrina in multis maximisque materijs ita pugnat cum expressis Scripturæ verbis, vt nullum audeant in Ecclesia iudicem admittere, cuius sententiæ acquiescant, ij censendi sunt vero Scripturæ sensui aduersari: Eiusmodi autem est doctrina Protestantium. Ergo.

CAPVT XXVIIII.

Quod Protestantes interdum fateantur sua dogmata reuera contradicere Scripturæ.

VLtimum genus probationis, quo vtemur ad probandum quòd Protestantes contradicunt vero sensui Scripturę, desumemus ex ipsorummet confessione, qua id aliquando tacitè & obscurè, aliquando clarè & expressè confitentur. Tacitè id fatentur multis modis. Primùm quidem, dum agnoscunt se nescire quomodo sua dicta concilient cū Scriptura. Lutherus de seruo Arbitrio tom. 2. fol. 466. *Ita quomodo hoc iustum sit, vt immeritos damnet, incomprehensibile est modo; creditur tamen donec reuelabitur filius hominis.* Et fol. 486. *In lumine gratiæ est insolubile, quomodo Deus damnet eum qui non potest vllis suis viribus aliud facere quam peccare & reus esse. Hic tam lumen naturæ, quam lumen gratiæ dictant culpam esse non miseri hominis, sed iniqui Dei.* Tomo 1. fol. 390. *Mirum est problema: Quod Deus remuneret iustitiam, quam ipse reputet iniquitatem.* Melancthon in Rom. 9. editionis 1. *Est hoc mysterium, inexplicabile: nempe quod Deus & velit peccata, & tamen ea verè odio habeat.* Petrus Martyr in locis Classe 1. cap. 16. §. 9. *Quod vero minus intelligere possumus, quomodo non pugnet cum diuina iustitia punire peccata, & ad illa tentando impellere, id non est mirum, plus enim potest Deus facere, quam nos intelligere.* Caluinus 1. Institut. cap. 18. §. 3. *Pro mentis nostræ imbecillitate, quomodo* (Deus) *idem diuerso modo nolit fieri & velit, non capimus.* Item: *Vbi non capimus quomodo fieri velit* (Deus) *quod facere vetat, veniet nobis in memoriam nostra imbecillitas.* Idq. repetit l. de Prouid. p. 739. & 743. Et 3. Inst. c. 24. §. 17. Cum dixisset Deum velle, quòd Deus profitetur se nolle, subdit: *Quāuis multiplex sit Dei voluntas quoad sensum nostrum, non tamen is hoc & illud in se vult, sed pro sapientia sua variè mul-*

Incomprehensibile: Quo modo Deus immeritos damnet.

Quomodo damnet eum qui nō potest non peccare.

Quomodo velit peccata & tamen ea odio habeat.

Quomodo puniat peccata & ad ea impellat.

Quo modo idem velit & nolit.

Quo modo fieri velit quod vetat.

Quomodo velit quod aduersatur eius voluntati.

Quomodo iustificet eos qui sunt iniusti.

Quomodo præordinet lapsum hominis.

Quomodo decernat peccata, nec tamen sit author eorum.

Quomodo Christus habuerit votum inconsideratum.

tiplici attonitos reddit sensus nostros, donec cognoscere nobis dabitur mirabiliter eum velle, quod nunc videtur esse eius voluntati aduersum. Et ibid. cap. 11. §. 11. *Hæc est mirabilis iustificandi ratio, vt Christi iustitia tecti non exhorreant iudicium quo digni sunt, & dum seipsos meritò damnant, iusti extra se censeantur.* De Prædestinat. pag. 704. *Arcanum Dei consilium, quo præordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate procul adoret fides nostra.* Et pag. 711. *Quomodo Dei præscientia & decreto statutum fuerit quod de homine futurum erat, neque tamen in culpæ societatem trahendus sit Deus, quasi transgreßionis vel author sit vel approbator, cum longè altius humanæ mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat.* In Ioann. 12. v. 27. *Sed videtur hoc parum decere filium Dei, quòd votum illi inconsideratum effluit, cui statim renunciandum est vt Patri obediat. Fateor* (inquit) *certè hanc esse stultitiam crucis, quæ scandalo est superbis hominibus.* Imò verò non stultitia crucis, sed impietas Caluini est, tribuere Christo votum inconsideratũ. Et in Matth. 26. v. 39. *Si quis excipiat, primum motum, quem frænari, antequam longiùs excurreret, oportuit, non fuisse temperatum vt decebat, respondeo* (inquit) *non posse in hac natura nostræ corruptione perspici affectuum feruorem cum temperie qualis in Christo fuit, sed hunc dandum esse honorem filio Dei, ne eum æstimemus ex nobis*, Scilicet, commenta Caluini Dei verbo non tantùm destituta, sed etiam contrarià, credi debẽt licet intelligi nequeant: Catholica dogmata de Eucharistia & similia, licet clarissimo Dei verbo innixa, credi non debẽt, quia intelligi non possunt. Beza in explicat. Christianismi ca. 3. vol. 1. Theol. pag. 779. *Deo miro & incomprehensibili modo placet, vt id quoque, quod quatenus peccatum est, non probat, non sine voluntate sua eueniat.* De Prædestinat. contra Castell. ibidem pag. 340. cum dixisset Deum decernere causas damnationis, & decreto eius neminem posse resistere, quærit: An non penes *Deum tota culpa resideat?* & respondet: *Hic nodus ille est hominibus inexplicabilis.* Item: *Qui non sit Deus in culpa, si damnationis causas ordinat, nos cum Apostolo quæstionem inexplicabilem esse humanis sensibus arbitramur.* Et in Colloq. Montisbel. pag. 427 *Nulla pars doctrinæ Christianæ est, à qua sensus & ratio humana magis abhorreat.* Paræus libro secundo de Amissione Gratiæ

Quomodo Deus velit id quod nõ probat.

Quomodo decernat causas dãnationis nec tamen sit in culpa.

Quomodo ordinet causas damnationis sine culpa.

capit. 13. cum dixisset pag. 358. *Deum impellere ad mala, quæ sunt occulta Dei iudicia*, subdit pagina 363. *Quòd modus est inexplicabilis.* Esset quidem hæc eorum excusatio de rei inexplicabilitate, tolerabilis, si verbum Dei clarè diceret eam ita se habere prout illi asserunt. Cæterùm cum nec clarè ita doceat, vti liquet ex Catholicorum responsionibus, imo ita apertè doceat contrarium, vt Protestante fateantur se nescire quomodo sua tot ac tanta dogmata cum ipso concilient, hæc ipsorum confessio magnum indicium est, quòd reuera ipsorum dogmata cum Dei verbo pugnent. *Quo modo impellat ad mala.*

Alius modus, quo tacitè fateantur sua dogmata contradicere Scripturæ, est, quia agnoscunt quòd in multis magnisque materiis controuersis verba Scripturæ, eaque ex professo de illis materiis dicta, planè nobis faueāt, aut saltem magis quàm ipsis, iisque videantur dura, seque valdè torqueant. Lutherus postilla in Dominicam 9. post Trinitatem fol. 305. *Hodiernum Euangelium, si absque spiritu nuda ratione introspiciatur, planè est Papisticum.* Zuinglius in lib. de vera & falsa religione, to. 2. ca. de merito: *Nemo inficiatur, in sacris literis ferme plura esse, quæ operibus nostris tribuunt meritum, quàm quæ negent.* Et in Explanat. ar. 20. *Loca Scripturæ Merito aliquid prima facie tribuere videntur.* Bullingerus Decade 3. sermone 9. fol. 150. *Agnoscimus Scripturam passim bonis operibus in speciem tribuere vitam & iustitiam.* Rainoldus in suo Colloquio cap. 2. sect. 1. pag. 23. *Quid si in illo altero loco specie vobis magis Scriptura quàm nobis fauerit?* Et addit, *se vel maximè dare, verborum Scripturæ speciem aliquando pro nobis magis quàm pro ipsis facere.* Item: *Concedam verba Christi. Hoc est corpus meum, specie fauere magis reali vestræ præsentiæ, quàm sacramentali illi quam nos tuemur.* Et pag. 25. *Verborum specie tenus videtur Seruator promisisse soli Petro claues.* Herbrandus etiam in Compend. Theol. p. 340. (prout supra retulimus) ait quòd si τὸ ῥητὸν vrgeatur in illis verbis Danielis: *Peccata tua eleemosynis redime*, pugnant cum ipsorum doctrina. Ideq; docet Hunnius de Iustific. p. 198. de illis verbis Tobiæ. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Et id ipsum cōstat ex innumeris locis Scripturæ, quę Protestātes cogūtur figuratè exponere, quia verborū proprietas pro nobis facit.

Euangeliū planè verbo tenus Papisticum. *Plura in Scriptura pro merito quam contra.* *Scriptura prima specie fauet meritis & operibus.* *De Eucharistia species verborum magis fauet Catholicis.* *De primatu Petri.*

Difficillimum Sacramentariis torquere verba Cœnæ.

Zuinglius epistola ad Matthæum Rutlingensem tom. 2. fol.155. *Restat nunc, quod est in hac re multò difficillimum, videlicet, quònam simus Christi verba, quæ consecrationis appellant, detorsuri Hic mehercule omnes fidei nerui sunt intendendi.* Et Resp. ad Billican.fol. 261. ait, quòd adhibeat trocleas & torcularia ad exprimendum sensum verborum cœnæ. Et addit: *Negamus guttulam sinceram saltem, purã ac meram stillaturã ex eis esse, nisi aliorum locorum pondere presseris.* Et ib.p. 268. inquit: *Quot ante annos aliquot habuimus, qui digne scirent hæc Christi verba expedire: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. ac orationis figuram ostẽdere. At fraudi non fuit verbo commode expedire nesciuisse.* Caluinus 3. Instit. c.2.§.11. *Scio quibusdam durum videri, vbi fides reprobis tribuitur.* Et in Lucæ 13. v.9. *Quod ad meritum spectat, soluẽdus est nodus qui plerosque impedit: Nam Scriptura toties operibus mercedem promittens, videtur meritum aliquod eis tribuere.* Petrus Martyr in Danielis 4. Homil.21. fol. 43. *Torquent se interpretes* (Protestantes) *in eo quod Daniel videtur redemptionem vel remissionem peccatorum tribuere iustitiæ humanæ & operibus misericordiæ. Id enim pugnare cum capite religionis nostræ, rectè monent.* Danæus in c.67. Enchyridij Augustini: *Torquet hodie multos* (dictũ Iacobi quòd non iustificamur fide tantùm) *ita vt epistolam Iacobi quidam expunxerint, alij stramineã appellauerint.* Kemnitius in locis to.2. tit. de Argumentis p.98. *Dictum Danielis* 4. (peccata tua eleemosynis redime) *valdè durum videtur contra gratuitam imputationem.* Tertius modus quo Protestantes seu tacitè seu expresse agnoscunt sua dogmata repugnare Scripturæ, est quià nonnunquam, quando iis expedit, negãt se quamplurima eorũ docere, quæ reuera docent. Et quia hoc ita frequenter faciunt, vt opus non sit id multis probare, pauca tãtùm exẽpla afferam. De Deo ita Paræus Colleg. theol. 9. disp. 32. *Calumniosum est quòd simpliciter asseramus Deum voluisse ac decreuisse vt primi homines laberẽtur.* Vid.l.1.c.1 art.1. De Scriptura Vvitakerus contr.1.q.4.c.1.p.335. *Nos nunquã diximus in Scriptura omnia esse facilia, perspicua & expedita, nihil esse obscurũ, nihil intellectu difficile:* Quod tamen disertè dicunt, vt ostẽdimus l.1.c.4.art.1. De Ecclesia. Idem Contr.2.q.3.ca.1. p.469. *Hanc sententiã nobis tribuunt aduersarij, quasi nos diceremus* Catholicam *Ecclesiã deficere posse, quod tamen est falsissimum.* Id tamẽ apertè

Verba Scripturæ dura protestantibus.

Nodos habent.

Torquent Protestantes.

Ita torquẽt vt cogant quosdam ea reiicere.

Videntur dura.

Negant sua dicta.

De Scriptura.

De Ecclesia

docent, vt patet lib. 1. cap. 7. artic. 4. Idem Quæst. 3. cit. cap. 2. pag. 472. *Calumniantur aduersarij, cum dicunt nos talem Ecclesiam constituere quæ aliquando nusquam sit & à nullis videri possit.* Id tamen dicunt, vt probatur c. 7. cit. art. 5. De Eucharistia sæpe negant se multa docere quæ alias apertissimè docent, vt videlicet lib. 1. cap. 8. artic. 1. Nam ita Eliensis in Respon. ad Bellarminum cap. 1. pag. 11. *Nobis vobiscum de obiecto conuenit, de modo lis omnis est — præsentiam, inquam credimus, nec minus, quàm vos, verã.* Perkinsus in Cath. reform. Contr. 10. c. 1. *Credimus ac docemus realem præsentiã corporis & sanguinis Christi in sacramento Cænæ, eamque non confictam, sed veram & realem.* Argentinenses apud Hospin. parte 2. Histor. fol. 17. *Qui nihil hic exhiberi nobis quàm signum & figuram volunt, anathema sunto.* Et Hospinianus ipse fol 95. *Non enim vnquam negarunt nostri corpus Christi verè adesse in sua cæna.* Beza libro Quæstionum p. 337. ait esse calumniam, quòd excludant Christum è cœna. Gratianus Anti-Iesuita p. 140. *Minimè est controuersum, in Eucharistiæ sacramento verum corpus & sanguinẽ Domini contineri.* Et Riuettus tract. 3. sect. 12. *Quæstio inter nos non est simpliciter an corpus & sanguis Christi sint realiter & verè in hoc Sacramento.* M. Ant. de Dominis lib. contr. Suarem ca. 1. nu. 39. *Eucharistiam esse vnam carnem & vnum sanguinem Dom. Nost. I. C. quis negat?*

De Eucharistia.

De fide ita scribit Petrus Martyr in locis loco 3. §. 24. *Fidem, spem, & charitatem, tres res diuersas ponimus nec eas permiscemus, vt aduersarij nos insimulant.* Contrarium vide lib. 1. cap. 12. art. 6. De bonis operibus ita Tilenus cap. 46. pag. 513. *Atrox est calumnia aduersariorum, vbi fingunt nos docere omnia iustificatorum opera propriè & simpliciter esse peccata.* Et Riuettus tract. 3. sect. 31. *Nemo nostrum dicit absolutè, quòd omnia opera sunt peccata, nec dicimus quòd sunt mixta peccato absolutè.* Et tamen apertè ita docent, vt libro 2. capite 13. articulo 2. monstraui. De bonis operibus in particulari ita Riuettus tractatu 1. sect. 73. *Nos reiicimus hanc conclusionem: quòd sit vna ex conditionibus necessariis ad Episcopum vt sit coniugatus,* Quod tamen apertè docent, vt l. 1. c. 14. ar. 4. ostẽdi. De mercede ita Riuet. tract. 3. sect. 39. *Nos non negamus mercedem bonorũ operum:* Quam tamen apertè negant, vt l. 1. c. 13. art. 1. probaui. De libero arb. ita Serranus lib. 3.

De Fide.

De bonis operibus.

De mercede.

contra Hayum pag. 511. *Ecquis nostrum aut negat aut negauit vnquam non regeneratos prona & libera voluntate ruere ad malum*? Id tamen negant multi eorum vt lib. 1. cap. 20. Art. 2. videre est.

De libero arbitrio.

Expresse etiam fatentur multa dogmata Protestantica contradicere Scripturæ, prout obiter notauimus de nonnullis in primo libro, quibus ista addimus.

Deum velle peccatum est contra Scripturam

De Deo docent, quòd vult peccatum seu iniquitatem, vt ostensum est lib. 1. cap. 1. art. 1. Hoc autem repugnare Scripturę agnoscit Confessio Saxonica cap. 1. his verbis: *Deus nec vult peccatum, nec approbat, nec adiuuat, sicut scriptum est. Cum mendacium loquitur Diabolus, ex proprio loquitur.* Et 1. *Ioan.* 3. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* Gerlachius tom. 2. disput. 15. pag. 627. *Impossibile: vt peccatum Deus velit, de quo psalmo* 5. *non Deus volens &c.* Et Polanus in Disput. priuatis pag. 235. *Malum culpæ seu peccatum propriè acceptum Deus nec vult nec velle potest psalmo.* 5. *vers.* 5. Et ex eodem loco Paræus Collegio Theol. 1. disput. 2. probat, quòd voluntas Dei non sit causa efficiens lapsus. Quod tamen Protestantes docent, vt vidimus cap. cit. art. 4. Docent etiam, quòd Deus pręcipiat peccare, & tentet ad peccatum: quod esse contra Scripturam ita fatetur Riuettus tract. 3. sect. 33. *Scriptura expresse dicit, quod Deus non vult iniquitatem, quod nemini præcipit malefacere, quod non potest tentare ad malum.* Et Molinæus in suo scuto pag. 97. *Deus non incitat homines ad male agendum, sicut dicitur psalmo* 45. *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem.* Docent Deum non irasci fidelibus operantibus iniquitatem: vt ostensum est lib. 1. cap. 1. artic. 9. Quod repugnare Scripturę agnoscunt Protestantes apud Zanchium in sua supplicatione tom. 7. col. 58. his verbis: *Deus iram suam omnibus transgressionibus legis suæ minatur.* Et citant illud psalmi 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Docent, quòd Deus non vult omnes saluos fieri, vt retulimus lib. 1. cap. 1. artic. 19. Quod aduersari Scripturæ agnoscit Hemingius in Enchyridio classe. 3. pag. 220. *Deum mendacij arguit, quicunque Deum quorundam salutem nolle putat, quantum scilicet ad cōsilium creationis attinet.* Gesnerus in Compendio loco 30. *Scri-*

Deum præcipere peccatum, aut ad id tentare, est contra Scripturam.

Deum non irasci omnibus operantibus iniquitatem: contra Scripturam.

Deum non velle omnes saluos fieri, est contra Scripturam.

ptura luculenter testatur, *Deum serio velle omnes homines saluari.* Affelmannus de Prædest. §. 36. *Deum velle omnes homines saluos fieri testatur Scriptura verbis, iuramento, annunciatione, & oblatione.* Docent quòd Deus non vocet omnes ad se, neque offerat gratiam omnibus, vt retuli c. 1. art. 21. De quo ita Illyricus in sua claue parte 2. tract. 4. col. 370. *Quidam, studio malè intellectæ prædestinationis, solent noxiè vniuersales Euangelij promissiones ac vocationes restringere, easque efficere particulares: quo suo errore funditus euertunt* Euangelium *Christi.* Gerlachius to. 2. disput. 15. pag 726. *Voluntatem Dei vniuersalem probant aperta testimonia Scripturæ.* Hemingius apud Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. artic. 11. fol. 38. *Qui negant gratiam esse vniuersalem, corrumpunt doctrinam* Euangelij, *& Christo se opponunt, & misere seipsos & alios seducunt conclusiunculis suis perperam ex Scripturis constructis capti.* Idem docet Schusselburg. ibidem fol. 39.

Deum non vocare omnes, est contra Scripturam.

Vniuersales Euangelij promissiones restringere, est Euangelium funditus euertere.

De Christo dicunt, quòd eius humanitas non potest inuocari aut adorari, vt ostendimus cap. 2. art. 3. De qua re ita Caluinus Admonitione vlt. ad Vvestphalum pag. 831. *Obtendunt, nusquam extare præceptum de adorando Christi corpore. Certè de Christo homine propriè dicitur: Exaltauit illum Deus & dedit ei &c. Itaque merito hinc colligit Augustinus adorandam esse Christi carnem in mediatoris persona.* Idem docet Iacobus Andreæ in Colloquio Montisbel. Dicunt humanitatem Christi non habere vim viuificandi: vt videre licet cap. 2. artic. 4. de qua re ita Hutterus in Analysi confess. Augustanæ pag. 293. *Vim viuificandi carni Christi communicatam esse qui negare ausus fuerit, cum ipsi seruatori Christo hanc vim carni suæ cap. Ioan. 6. aliquoties διαρρήδην adscribenti, dicam scribere manifestum est.* Docent Christum non condidisse nouum testamentum diuersum à veteri: vt videre est cap. 2. art. 5. Qua de re ita Gerlachius tom. 2. disput. 14. pag. 597. *Hoc nihil est aliud, quam Apostolo contradicere.* Et Schusselb. lib. 1. Theol. Caluin. artic. 17. fol. 59. *Verbum Dei docet duo fœdera seu testamenta esse, non vnum & idem substantia.* Idem fatetur Illyricus præfat. in Comment. in nouum testamentum. Docet Christum non redemisse nos suo sanguine seu morte corporea, vt

Christi humanitatem non esse adorandam est cōtra Scripturam.

Eam non habere vim viuificandi, est contra Scripturam.

Christum non condidisse aliud testamentum, est cōtra Scripturam.

Christum non redemisse nos sanguine suo, est contra Scripturam.

lib. 1. cap. 2. art. 17. ostensum est. De qua re ita scribit Serranus contra Hayum parte 3. pag. 256. *Scriptura affirmat nos Christi sanguine purgari, peccata nostra planè expiari, Deum illo pretio pro nobis soluto verè placari.* Caluinus in Respons. ad Sadoletum pag. 125. *Percurre quicquid habemus oraculorum Dei, si vnicus Christi sanguis vbique pro satisfactionis pretio, pro pacificatione, pro ablutione proponitur, qua confidentia tantum honorem ad tua opera transferre audeas?* Idem docet Tractat. de Cœna pag. 5. in sua Confess. pag. 109. cont. Seruetum pag. 607. Et in Coloss. 1. v. 14. Molineus in suo scuto pag. 154. & seq. ait quod sit *summa Euangelij, quod mors Christi fuerit plena & integra satisfactio.* Sic etiam M. Ant. de Dominis cont. Suarem cap. 2. nu. 22. Docent Christum non esse mortuum pro damnatis: vt monstrauimus cap. 2. art. 18. De quo ita Gerlachius tom. 2. disput. 15. pag. 628. *Expressè in Scripturis asseritur Christum esse mortuum etiam pro ijs qui damnantur.* Hunnius de Iustificat. pag. 59. *Directè prædicatur Christus mortuus etiam pro his qui damnantur.* Docent Christum non esse mortuum pro omnibus ex cap. 2. art. 19. De qua re ita Hutterus in Analysi Confess. August. art. 3. pag. 310. *Falsum, quod gens Caluiniana fingit, passionis & mortis Christi sacrificium non pro omnibus sed pro aliquibus duntaxat esse præstitum: Cuius dogmatis impietatem vniuersa Scriptura grauiter refellit.* Gerlachius tom. 2. disput. 15. pag. 622. *Horrendum mentiuntur, Deum Patrem satisfactionem filij sui pro aliquibus tantum destinasse: Huic blasphemiæ opponimus clarissima Scripturæ verba.* Et Polanus parte 3. thesium pag. 681. *Christus pro omnibus est mortuus.* Rom. 5. v. 2. Corinth. 5. 15. Docent sanguinem Christi quo redempti sumus computruisse, nec iam amplius esse in rerum natura: vt retulimus cap. 2. artic. 20. Quod repugnare Scripturæ probat Schusselburg. lib. 1. Theol. Caluin. artic. 20. fol. 85. Negant animam Christi descendisse ad inferos: vt videre licet lib. 1. cap. 2. art. 21. Id autem repugnare Scripturæ docet Lobechius disput. 6. pag. 131. his verbis. *Credimus, & simplici fide vt verum & Scripturæ ac Symbolis consonum amplectimur, quod Christus reuera descendit ad inferos.* Et Lutherus in psalmum 16 tom. 3. fol. 279. ait, quod *iuxta Prophetæ verba, anima*

Christum non esse mortuum pro damnatis, est contra Scripturam.

Eum non esse mortuum pro omnibus, est contra Scripturam.

Sanguinem Christi computruisse, est contra Scripturam.

Non descendisse ad inferos, est contra Scripturam.

Christi

Christi secundum substantiam descendit ad inferos.

Docent, quòd Christus non sit ingressus ad Discipulos ianuis clausis: vt ostensum est cap. 2. art. 23. Quod repugnare Scripturæ ita docet Lutherus in defens. verborum cœnæ tom. 7. fol. 394. *Testimonia Scripturæ manifesta sunt, quòd Christus ad discipulos suos per fores clausas transierit.* Et Zuinglius in historiam resurrectionis tom. 4. pag. 396. *Fores fuisse clausas, Iesumque foribus clausis introijsse, Euangelista Ioannes testatur.* Docent Christum in Cœlo non orare pro nobis: vt ostensum cap. 2. art. 25. Quod repugnare Scripturæ agnoscit Melancthon in Respons. ad articulos Bauaricos tom. 3. fol. 376. his verbis: *Detestandus est, qui negat Christum nunc pro nobis interpellare; cum manifestè Scriptum sit ad* Hebræos: *Semper viuens vt interpellet pro nobis.* Et Kemnitius in Examine parte 3. cap. de Inuocat. Sanctorum pag. 299. ait *hoc repugnare Scripturæ & deijcere Christum à parte sui sacerdotij.*

Christum non ingressum esse ianuis clausis, est contra Scripturam.

Non orare pro nobis in cœlis, est contra Scripturam.

De Angelis & sanctis dicunt, quòd omnium Sanctorũ gloria sit æqualis: vt videre licet cap. 3. artic. 3. Hoc autem Scripturæ aduersum esse, ita docet Caluinus in 1. Corinth. 15. v. 41 *Diuersos fore honoris & gloriæ Sanctis gradus verissimum est, & Scripturæ testimonijs probatur.* Negant Angelos & Sanctos in cœlis orare pro nobis: vt retulimus cap. 3. artic. 4. Quod esse contrarium Scripturæ, ita testatur Caluinus in Zachariæ 1. v. 12. *Testatur Scriptura Angelos coram Deo suppliciter pro nobis deprecari. Dicit Zacharias Angelum precatum esse: Domine exercituum &c,*

Omnium sanctorum gloriam esse æqualem, est cõt. Scrip.

Angelos nõ orare pro nobis, est contra Script.

De Scriptura dicunt, quòd nihil in ea sit difficile intellectu: vt retulimus cap. 4. art. 1. Hoc autem contrarium esse Scripturę fatetur Christianus ad Portum l. cõtra Verron. to. 5. Iesuiticæ doctrinæ impress. Rupellæ p. 47. *Ingenuè cum Apostolo Petro confitemur, sicut in epistolis Paulinis, ita etiam in reliqua Scriptura multa esse δυσνόητα, id est, difficilia intellectu.* Idem fatetur Pareus in Galat. 2. lectione 25. Dicunt, quòd lex sit cõtraria Euãgelio: vt ostẽdimus c. 4. art. 5. De quo ita Serranus cõtra Hayum part. 3. p. 354. *Crassiore & periculosiore rei ignoratione, legẽ Mosaycam & legem Euangelicam tanquam duo Manichæi principia, committit, quasi inter se contrarias.*

Nihil esse difficile in Script. est contra Scripturam.

Legem esse contrariam Euangelio, est cont. Scripturam.

Ecclesiam nõ esse fundatam super Petrum est cõt. scripturam.

De Sancto Petro negant, quòd Ecclesia fundata sit super ipsum, vt retulimus cap. 5. artic. 2. Quod tamen esse contra Scripturam multi Protestãtes, vt ibidem vidimus agnoscunt. Idem ostendimus art. 3. & 4. cum dicunt claues non fuisse datas Petro, & fidem eius defecisse. Negant Apostolos fuisse fundamenta Ecclesiæ, vt videre licet capite 5. art. 5. Quod aduersari Scripturæ ita agnoscit Rainoldus in suo Colloquio cap. 2. sect. 1. *Apostoli duodecim fundamenta vocantur* Apocalypsis 21. v. 14. Eliensis in Respons. ad Bellarminum cap. 8. *Ostendo ædificium, cuius duodecim fundamenta, &c.* citat Apoc. 21. Et Serranus contra Hayum parte 3. pag. 100. *Omnes Prophetæ & Apostoli appellantur* (in Scriptura) *fundamenta Ecclesiæ.*

Apostolos nõ esse fundamenta Ecclesiæ, est contra scripturam.

De Pastoribus Ecclesiæ negant eos semper esse, vt liquet ex lib. 1. cap. 6. art. 1. Qua de re ita censet Melancthon apud Lutherum to. 1. fol. 483. *Vbi est Ecclesia, ibi necesse est iustam ordinationem ministrorum esse, quia ordinatio ministrorum est inter dona Ecclesiæ propria, iuxta illud Ephesios 4. dedit Pastores, &c.* Kemnitius in Exam. parte 2. titulo de Sacramento ordinis p. 192. *Ministerium docentium Euangelium ipse filius Dei perpetua vocatione vult in Ecclesia conseruari. Sic Paulus ait, Ephesios 4.* Et Calu. in Ephesios 4. v. 13. *Hic admonet* (Paulus) *vsum ministerij non esse temporalem, sed perpetuum quandiu in mundo versamur.*

Pastores nõ semper esse, contra scripturam.

De Ecclesia negant eam perpetuo durare, vt videre licet lib. 1. cap. 7. art. 4. Et nihilominus Vvitakerus Controu. 2. qu. 3. cap. 2. pag. 470. ita inquit: *Qui negat aut dubitat Ecclesiam esse in æternum fundatam & perpetuo duraturam esse, is non est Christianus.* Negant etiam eam esse perpetuò visibilem, vt liquet cap. 7. cit. art. 5. De quo ita censet Danæus lib. de Visibili Ecclesia pag. 1604. *Qui negat veram Ecclesiam Dei, eamque visibilem ab initio mundi extitisse, ille procul dubio se vel primæ sacrorum bibliorum paginæ ignarum ostendit.* Et Reineccius to. 4. Armat. c. 3. p. 26. *Testimonia Scripturæ docent cœtum visibilem nunquam penitus intercidere.* Docent Ecclesiam posse errare, etiam in fundamentalibus articulis fidei, vt videre est cap. 7. cit. art. 6. Et nihilominus ita scribit Caluinus 4. Institution. cap. 1. §. 10. *Quibus verbis* (1. Timoth. 3. 15.) *significat Paulus, ne intercidat veritas Dei in mundo, Ecclesiam esse fidam eius custodem.*

Qui negat Ecclesiam perpetuò duraturam non est Christianus.

Eam non esse semper visibilem, cont. Scrip.

Eam posse errare in fundamento, contra Scriptur.

De Baptiſmo: negant vel aquam, vel inuocationem Trinitatis eſſe neceſſariam ad Baptiſmum, vt oſtenſum eſt c. 9. art. 1. & 2. Attamen ita Reineccius to. 4, Armat. c. 18. pa. 201. *Beza, deficiẽte aqua, alium liquorem aſſumi licere, vaniſſimè opinatur*, idq; probat ex multis Scripturæ locis. Et Beza ipſe l. quæſt. & reſponſ. vol. 3. theol, p. 348. *Si quiſpiam in Trinitatem non baptizaret, aut pro aqua (præſertim ſciens prudens) neſcio quid aliud vſurparet prorſus diuerſum, non eſſet hic certè baptiſmus à Chriſto inſtitutus*. Paræus etiam in Colleg. Theol. 9. Diſp. 22. *Baptiſmum aquæ tantùm in nomine Patris, &c. iuxta Chriſti inſtitutionem adminiſtrari debere, nemo quidem Chriſtianus ambigit.* Negant etiam Baptiſmum neceſſarium eſſe infantibus, vt liquet ex capit. 9. cit. art. 4. Qua de re ita iudicat Melanchthon in Cathecheſi to. 3. fol. 24. *Reſpondeo: infantibus Baptiſmum neceſſarium eſſe, quia mandatum Chriſti eſt vniuerſale, Ioannis 3. Niſi quis, &c.* Vrbanus Regius in Epiſtola ad Heminges to. 2. fol. 87. *Eccleſia Catholica ex Scripturis rectè credit, quòd Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem.* Et in Catechiſmo minore tom. 1. fol. 104. 107. idem habet: ſic etiam Hutterus in ſua Analyſi pag. 394. Adamus Franciſci in Margarita loco 14. Negant etiam quòd liberi fidelium ſint in ſtatu damnationis antequam baptizentur, vti patet ex cap. 9. cit. art. 9. De quo ita Schuſſelburg. lib. 1. theol. Calu. art. 18. pa. 65. *Fidelium liberos ab vtero matris non eſſe ſanctos, multis rationibus ex verbo Dei demonſtrari poteſt.* Dicunt etiam quòd Baptiſmus non eſt lauacrum animæ, nec abluit peccata, prout retulimus cap. 9. citat. art. 7. Et nihilominus ita Beza in præfation. 2. partis reſponſ. ad Colloquium Montisbel. pag. 11. *Baptiſmũ eſſe lauacrum regenerationis (quod expreſſis verbis teſtatur Apoſtolus) ecquis vnquam Chriſtianus eſt inficiatus?* Et Schuſſelburg. lib. 1. theol. Caluin. art. 18. fol. 61. *Hanc blaſphemiam Caluiniſtarum* (quòd Baptiſmus non abluat peccata) *Spiritus S. in multis locis refutat.* Sic etiam Grauerus in Abſurdis Caluiniſticis cap. 14. ſect. 10.

Baptiſmo non eſſe neceſſariam aquam & inuocationem Trinitatis, cont. Script.

Baptiſmus ſine aqua non eſt baptiſmus à Chriſto inſtitutus.

Baptiſmũ non eſſe neceſſarium infantibus, cont. Scrip.

Infidelium liberos naſci in ſtatu ſalutis, contra Script.

Baptiſmũ non lauare peccata, cont. Scrip.

De Euchariſtia, negant quòd ſit corpus Chriſti, vt liquet lib. 1. cap. 10. art. 1. Quod tamen, vt ibidem vidimus, Muſculus fatetur eſſe contra Scripturam. Beza etiam apud Hoſpin. parte 2. fol. 300. cum interrogaretur, an improbaret, quod quis

Euchariſtiam non eſſe corpus Chriſti, cõtra Script.

diceret: *Panis cœnæ est corpus Christi*, respōdit: *Minimè: sunt enim verba Christi*. Et Hospinianus ipse fol. 156. *Non negamus panem & vinum esse corpus & sanguinem Christi. Ipse enim Christus dixit. Hoc est corpus meum*. Dicunt etiam quod verba illa. *Hoc est corpus meum*, ita exponi debent; *Hoc significat corpus meum*. De qua expositione ita Musculus apud Schusselburg. li. 1. Theol. Caluin. art. 22. fol. 102. *Cauenda est expositio illa, qua verba Christi idem esse putantur, ac si dixisset: hoc significat corpus meum: Nam hoc non agit Christus, vt ostendat panem hunc significare corpus suum*. Negant Christum dedisse nobis suum corpus ad edendum & sanguinem ad bibendum, vt liquet ex cap. 10. cit. art. 2. & 3. De quo ita censet Caluinus lib. de necessitate Reform. Ecclesiæ pag. 56. *Christus Apostolis clara voce pronunciauit suum illis corpus se dare*. Et Beza Epistola 5. *Ego verò respondeo, perinde hoc esse, ac Christum mendacij arguere; vt qui claris & perspicuis verbis dicat se illud ipsum corpus dare quod traditum est pro nobis*. Et Apologia prima contra Saintem pa. 292. *Negare omnem carnis manducationem, esset ipsa Christi verba manifestè inficiari*. Negant quod Calix Eucharistiæ sit nouum testamentū, vt retulimus ca. 10. art. 4. Et tamen Simlerus (vt ibidem vidimus) fatetur, quòd sit *genuinus sensus verborum Christi, quòd poculum sit nouum testamentum*. Et Iacobus Andreæ in Colloquio Montisbel. pa. 38. *Mihi prorsus nouum & inauditum videtur, quod cæna Domini testamentū Christi esse negetur, contra aperta verba ex Luca recitata*. Musculus etiam in locis tit. de Cæna p. 361. *In Luca & Paulo prædicatur de hoc poculo, quod sit nouum testamentum*. Negant etiam, quòd calix Eucharisticus fuerit fusus pro nobis, vt ostendimus ibidem articulo 6. Et tamen ita scribit Illyricus in Lucæ 22. versu 20. *Quod pro vobis effunditur, in Græco est τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: quod necessario refertur ad poculum*.

Hoc est, significare, hoc significat, contra Scripturā.

Nos non manducare corpus Christi, contra Scripturā.

Quod Calix non sit fusus pro nobis, contra Scripturā.

De Matrimonio, negant quòd sit sacramentum, vt ostendimus capit. 11. artic. 5. Ita tamen censet Confessio Vvirtembergica capit. de coniugio. *Fatemur coniugium esse genus vitæ diuinitus institutum & approbatum, & esse mysterium, vt vulgo exponi solet, Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia, sicut Paulus ait*.

Matrimonium non esse Sacramentum cont. Scrip.

De fide, negant quòd possit esse sine bonis operibus, vt liquet ex c.12.art.8. De qua re ita Schusselb.li.1. Theol. Caluin. art.15. fol.69. *Aretius asserit fidem & bona opera coniuncta esse vt species & sua proprietas, vt homo & sua ratio: Nos vero ex verbo Dei docemus & discimus id dogma esse falsum.* Negant etiam, quod fides ipsa imputetur nobis ad iustitiam: vt videre licet c.12.citat.art.19 Atqui ita censet Vrbanus Regius in locis fol. 46. *Fides non simulata in misericordiam Dei & Iesum Christum, ipsissima est iustitia nostra; credenti imputatur fides ad iustitiam. credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad iustitiam.* Negant fidem Hæmorrhoyssæ fuisse puram cap.12.cit.art.25 Attamen ita Bullingerus in Marci 5. fol.13. *Singulariter veræ fidei virtus explicatur hac historia* Hæmorrhoyssæ.

Fidem & opera semper esse simul, contra Scripturã.

Ipsam fidẽ non imputari ad iustitiam, cõtra Script.

Fidẽ Hæmorroissæ non fuisse puram, cõtra Script.

De operibus, negant quod sint necessaria ad salutem capite 13.art.14. Ita tamen Piscator in thesibus loco 10. *Scriptura tradit bona opera ad salutem necessaria esse.* Sic etiam Electorales in Colloq. Aldenburgico. Negant etiam, quòd sint causa salutis capite 13.cit.articulo 15. Vbi tamen, vt vidimus, Illyricus fatetur Scripturam hoc illis tribuere. Negant etiam, quòd sint meritoria art. 8. Apologia tamen Confess. August. loco 3. Melãcthonis fol.78. *Cum opera sint quædam impletio legis, rectè dicuntur meritoria, rectè dicitur eis deberi merces.* Et fol. 79. ait quod *Textus* (Scripturæ) *ait operibus reddi vitã æternam.* Quod illi negant c.cit.art 7.

Opera non esse necessaria ad salutem, cont. Scrip.

Negant etiam, quòd sint facienda propter Deum, vt videre est capite 13. citat. articulo 20. De qua re ita Kemnitius in locis titulo de Bonis operibus parte 2. pagina 18. *Testimonia scripturæ manifestissimè docent, quod bona opera propter Deum sunt facienda.*

Non esse facienda propter Deũ cont. Scrip.

De Virginitate, negant quod consulitur in Scriptura capite decimo tertio, articulo vndecimo. Ita tamen Vrbanus Regius in locis tomo primo folio 372. *Virginitas consulitur in Euangelio, non præcipitur.* Et in interpretatione locorum, folio quadragesimo nono *Virginitas consilium tantùm, non præceptum est.*

Virginitatẽ præcipi non consuli, cõtra Script.

De peccato, dicunt quòd posset manere cum iustitia, vt

cap. 15. artic. 6. patet. Ita tamen pronunciat Lutherus in Galat. 5, tom. 5. fol. 336. *Ista ex diametro pugnant: Christianum esse iustum & amari à Deo, & tamen simul esse peccatorem.* Item: *Quomodo simul vera sunt ista duo contradictoria? Habeo peccata & sum dignissimus ira & odio diuino, & Pater amat me.* Negant etiam peccatum eijcere hominem è gratia vt cap. 15. cit. art. 5. videre est. Hemingius tamen in Enchyridio classe 2. pag. 188, ita censet: *Si conuersus labitur contra conscientiam, vt Dauid adulterio & homicidio, excutit Spiritum S. & reus fit iræ Dei, & nisi rursus agat pœnitentiam, ruit in æternam pœnam*: Horrenda insania est dicere tales retinere Spiritum S. cum Paulus apertè dicat Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, talia facientes Regnum Dei non possidebunt.* Negant etiam, quòd Viduæ Paulinæ peccabant nubendo vt cap. 15. cit. art. 14. retulimus: Ita tamen Bullingerus in 1. Timoth. 5. pag. 452. *Sanè nubere per se quidem vitio caret: Quia vero fidem & Christo sponso & Ecclesiæ dederunt semel, & sese sua sponte abdicarunt connubio, hinc nuptiæ earum in ignominiam vergunt Christi, id quod Paulus dicit lasciuire aduersus Christum.* Et Bucerus lib. 2. de Regno Christi cap. 23. *Habent quidem, qui primam fidem Deo de vita cælibe obstrictā reiecerint, κρίμα, id est, iudicium, & reprehensionem.* Caluinus etiam in hunc locum ait, quod hæ viduæ *se abdicabant nubendi libertate, coniugij vinculo se in totam vitam soluebant, & priuabant se nubendi libertate.* Quidni igitur peccarūt nubendo. De Iustificatione dicunt quod nunquā amittitur vt c. 16. art. 12. retuli: Hoc autem esse contra Scripturam agnoscit Confess. Saxonica cap. 11. his verbis. *Ex dicto Lucæ 11. Vadit & assumit alios spiritus &c. & similibus dictis manifestum est aliquos renatos contristare & excutere Spiritum S. & rursus abijci à Deo, ac fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum.*

Peccatum manere cum iustitia, cont. Script.

Peccatum non excutere gratiam, cont. Script.

Viduas Paulinas non peccasse nubendo, cont. Scripturam.

Iustificationem non amitti, contra Script.

De vita æterna, negant quod sit merces, vt retulimus lib. 1. cap. 17. art. 1. Et tamen ita habet Apologia Confess. Augustanæ apud Melancthonem tom. 3. fol. 78. *Scriptura vitam æternam vocat mercedem.* Item: *Nomen mercedis hac ratione conuenit vitæ æternæ, quia vita æterna compensat bona opera.* Similiter docent Electorales Ministri in Colloq. Aldeburg. Scripto 6. pag. 110. De Inferno, negant quòd sit locus vt c.

17. art. 7. patet. Quod aduersari Scripturæ agnoscit Bucanus loco 40. pag. 451. his verbis: *Infernus est certus locus abditus & horribilis, damnatis hominibus & Angelis malis ad pœnam æternam à Deo destinatus* Numerer. 16. 30. 33. *Matth.* 8. 12. & 28. 41. 2. *Thessalon.* 1. 9. Et Piscator lib. 1. loco 22. *Quod damnati cruciatus istos perpessuri in inferno seu gehenna, loco scilicet subterraneo supplicijs illorum destinato, passim testatur Scriptura.* Et Regius in locis tit. de Peccato: *Scriptura duo animabus loca deputat expresse, cælum pijs, infernum impijs.*

Infernum non esse locum, cont. Script.

De Lege Dei, negant nos orare vt eam impleamus vt c. 18. art. 5. retuli: Ita tamen Perkinsus in Explicat. orationis Dominicæ tom. 1. col. 936. *Fiat: hoc est, obedientia præstetur ei, illa perficiatur ab omnibus.*

Nos non orare vt impleamus legem, cõt. Scripturam.

De voluntate hominis, negant quòd sit libera in malis cap. 20. art. 2. Sic tamen scribit Vrbanus Regius in locis titulo de Peccato fol. 302. *Asserere cum Manichæo, hominem peccatum vitare non posse: hic error, hæresis est.*

Hæc, & huiusmodi alia multa dogmata Protestantica, Protestantes ipsi fatentur contradicere Scripturæ. Quidni igitur concludamus quòd Protestantes germano sensui sacrosanctæ Scripturæ contradicant: cum, præter omnia supradicta argumenta, ipsimet id de quamplurimis ipsorum dogmatibus expressè fateantur: quod huius operis finis ac scopus fuit.

Hominem non posse vitare peccatum, contra Scripturam.

PERORATIO AD LECTOREM.

VIdisti (Lector) in hoc opusculo, quanto Catholici superiores sint Protestantibus, etiam quoad expressũ verbum Dei scriptum seu Scripturam ipsam. Vidisti Catholicam fidem in ducentis quinquaginta articulis controuersis expresso verbo Dei niti; cùm Protestantica doctrina humanis principijs, humanis collationibus, humanis ratiocinationibus, hoc est verbo hominis nitatur. Vidisti Scripturam in his omnibus articulis, verbis expressis ac disertis, & ex professo dictis, & in sensu perspicuo atque obuio, & quo ab hominibus talia verba & dici & intelligi solent, pro catho-

lica fide sententiam ferentem; & doctrinam Protestanticam damnantem: qua sententia nulla ferri potest à Scriptura clarior aut manifestior. Vidisti, quàm varias, quàm voluntarias, quàm fœdas & verborum & sensus Scripturæ corruptiones ac deprauationes Protestantes cogantur excogitare, ne per Scripturæ sententiam clarè damnati videantur. Habent iam iudicem ad quem vnum prouocarunt, ipsum audiant, ipsius sententiæ acquiescant; clarè loquitur, disertè loquitur, ex professo loquitur, & (vt dixi) in sensu perspicuo & obuio, & in quo talia verba vsitatè ab hominibus & dici & intelligi solent, vt non dicam etiam in sensu in quo à sanctis Patribus & Ecclesia Catholica intelligitur. Iam omnis & vuicus Protestantium fucus de Scriptura detersus est. Quis enim nisi voluntarie cœcus non videt, quin ij à Scriptura clarissimè damnentur, qui in tot tantisque articulis, talibus verbis, & in tali sensu damnantur, quodque inanis tãtùm tergiuersatio sit, talem tantamque sententiæ seu iudicij Scripturæ claritatem, humanis glossis atque expositionibus (quales nulli vnquam hæretico defuerunt aut deerunt) obscurare. Clamarunt sæpius Protestantes, Scripturam esse vnicam regulam ac fundamentum fidei, fidem Scriptura sola niti: quod vtinam in his ducentis quinquaginta articulis præstarent, ac suas glossas, suasque consequentias, quæ in Scriptura non reperiuntur, missas facerent, ijsque se adiungerent, qui expressum verbum Dei contra verba hominum proferunt. Quod quidem tametsi per se æquissimum sit, quia tamen libentius id sequentur, quando à suis magistris suaderi vident, nonnullas ipsorum hac de re sententias apponam. Sic igitur Lutherus Postilla in festo Assumptionis B. Virginis fol. 434. *Semper ijs vos addicite, quæ Scripturis clarè prodita sunt, & quod in Scripturis non manifestam authoritatem habet, eo minimè nitimini.* Similia habet in sua Confessione. Principes Protestantici in Prefat. libri Concordiæ: *In vera fidei simplicitate, verbis apertissimis Christi firmiter insistent: quæ ratio tutißima & erudiendis imperitis hominibus accommodatißima est.* Melancthon in Actis Vormatiensibus to. 4. pag. 798. *Cum τὸ ῥητὸν perspicuum est, manifestum est ab eo discedendum non esse.*

Protest. consulunt sequi eos qui proferunt expressum Dei verbum.

esse. In respons. ad Staphylum ibid. pag. 815. *Nec dubium est*, τὸ ῥητὸν, *vbi nulla est obscuritas & ambiguitas, anteferendum esse omnibus omnium hominum decretis*. Item: *Vbi* τὸ ῥητὸν *manifestum & sine obscuritate aut ambiguitate, contrarium docere aut sentire impietas est*. Et apud Schusselburg. lib. 2. Theol. Caluin. cap. 10. & Hospinian. part. 2. Histor. fol. 115. *Quid fiet in tentatione, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesia. Tunc ista verba: Hoc est corpus meũ, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta, quibus scriptis, qua voce Dei muniet se, ac sibi persuadebit, necesse fuisse hic interpretandam Metaphoram. Non satis periti videntur horum certaminum isti, qui sic delectantur ingenio, vt magis admirentur vafrè cogitatas rationes, quàm verba Scripturæ*. Zuinglius l. de Authoribus seditionum to. 2. fol. 132. *Quoties Christiani nominis Doctores inter se pugnare & dissidere conspicis, illius partibus temetipsum adiungito, qui clarum, euidens, & expressum oraculum Dei adducit*. Sadeel lib. de Humanitate Christi pag. 199. *Non possum satis istos mirari, qui ex illis quæ non extant in Scriptura, volunt ea tollere quæ certissimis & manifestissimis Scripturæ testimonijs comprobantur*. Et de vera peccatorum remissione p. 100. *Nullum dogma, quod pugnat cum expressis Scripturæ locis est Theologicum*. Et pag. 107. *Omnem interpretationem, quæ pugnat* ἀντιφαντικῶς *cum expressis ac dilucidis Scripturæ locis, reijciendã esse, pij ac veri Theologi omnes agnoscunt*. Vorstius in amica Collatione sect. 101. *Qui hæc omnia ita simpliciter asserunt, ita sonant, ij coram Deo securi sunt, quia sub præsidio S. Scripturæ tutò se recipere possunt; qui vero negant aut mirabilibus glossis obscurant atque adulterant, ij nusquam inueniunt vbi securè consistere queant. Nihil videtur tutius, quàm verbo Dei claro per se ipsum exposito simpliciter inhærere, nihil contra periculosius, quàm vel minimum de nostro addere aut detrahere, maximè in rebus tanti momenti*. Hæc Protestantium magistri, quæ si vel ipsi secuti fuissent, vel eorum discipuli adhuc sequerentur, finem controuersiarum cito videremus.

Vtinam Protest. modò hæc serio cogitarent.

Qua confidentia (bone Deus) comparebunt Catholici coram Dei tribunali, responsuri pro fide quam contra Protestantes defendunt: cum eam in tot, tantisque articulis assertã videant, expressissimis ipsius Dei verbis iisque ex professo ab

ipſo dictis vt nobis exprimeret quid de his rebus ſentiret, & in claro atq; obuio ipſorum ſenſu, quem ipſa manifeſtè præ ſe ferunt, & in quo eiuſmodi verba ab hominibus & dici & intelligi ſolent, ita vt niſi Deus ipſe vel fallatur vel fallat, Catholici in his rebus errare non poſſint? Quâ vero diffidentia imo deſperatione comparebunt Proteſtantes, cùm eam fidẽ deſeruerint, quam eiuſmodi expreſſiſſima Dei verba cõprobant: eam amplectantur, quam illa diſertiſſimè damnant, ſolæque humanæ conſequentiæ, humanæ gloſſæ, humanæ argutiæ in pleriſque ſuffulciunt? Tunc huiuſmodi verba Dei (vt aiebat Melancthon) *Fulmina*, *vel* (vt loquitur S. Auguſtinus) *tonitrua & cæleſtia fulgura erunt*: Proteſtãtium figuræ ac gloſſæ in nihilum abibunt. Tunc clarè apparebit, quòd Proteſtãtes nullo verbo Dei, nulla authoritate diuina nixi, ſed ſola temeritate humana freti, ſuas ratiunculas, ſuas conſequentias, ſuas figuras & argutias expreſſo Dei verbo prætulerint, & ne viderentur pręferre, genuinum verbi Dei ſenſũ, in figuratum, alienum & violẽtum commutarint. Et putabimus nos, quòd eiuſmodi homines ſint Euangelici, Euangelij inſtauratores, vel à Deo miſſi, eorumque doctrina Euangelica, ac purum putum Euangelium, cum reuera nulla vnquam doctrina magis fuerit Euangelio contraria, nulli vnquam extiterint qui in tot tantiſque rebus expreſſo Dei verbo ſe tam manifeſte oppoſuerint, nec oppoſuerint modò, verùm etiam multorum horrendorum criminum condemnauerint? Proh audaciam hominum, qui hoc in expreſſum Dei verbum auſi fuerint! Proh impudentiam eorum, qui huiuſmodi doctrinam pro Euangelio venditauerint! Proh etiam illorum hominum cæcitatem ſeu amentiam, qui ab huiuſmodi hominibus in re tam manifeſta ſibi imponi patiuntur! O faſcinati & excæcati homines: tandem aliquando expergiſcimini, oculos aperite, conditionem veſtram circunſpicite, ſcrutamini ſcripturas hic a nobis propoſitas, eaſque cum doctrina veſtrorum magiſtrorum conferte, ac videte num qui in tot tantiſque rebus tam contraria verba loquuntur, poſſint eodem ſpiritu loqui, eadem ſentire. Magiſtros veſtros interrogate, qua diuina authoritate, quo expreſſo Dei verbo freti, verbis & modis lo-

Lib. 1. contra Parmen. c. 2.

quendi Scripturæ contrariis, de tot tantisque rebus loqui ausi sint; quo iure diuino, quo perspicuo verbo Dei muniti, de tot tantisque rebus aliter sentiant, quàm expressa Dei verba, eaq; ex professo dicta vt mentē eius de iis rebus exprimerent, iuxta eorum communem, vsitatum, & quo ab hominibus dici intelligique solēt, quemque ipsa manifestè præ se ferunt, sensum, sentire nos docent: Quo demum iure ac verbo diuino nixi, hunc manifestum verborum Dei sensum, in figuratum, inusitatum, violentum, imo oppositum sensum, quem nec ipsa præ se ferunt, nec in quo ab hominibus dici aut intelligi solent, transmutarint.

Si nullam expressam authoritatem diuinam, nullum expressum Dei verbum proferant, (vt certe proferre non possunt, imo in plerisque articulis nec speciem vllam expressi verbi Dei) sed tantùm suas glossas, suas collationes, suas consequentias, suas ratiunculas obtendant, nolite hoc fallacissimo ac nugacissimo prætextu humano, à tam expressis Dei verbis & tam manifesto eorundem sensu abduci. *In Dei rebus* (ait S. Augustinus) *Dominum audiamus, non coniecturas suspicionesq; mortalium.* Quod autē Deus hominibus loquēs, more humano loquēs, de rebus diuinis, quæ nō nisi per eius verba cognosci possunt, loquens, & ex professo loquēs vt mentem suā de illis rebus nobis patefaceret, toties & in tot tantisq; rebus aliter sentiat, quā loquatur, seu aliter sentiat, quàm verba eius præ se ferūt, & quàm homines eiusmodi verba dicere & intelligere solent, & tamen nusquā alibi contrariū expressè asserat, non Dei verbum est, sed cōiecturæ & suspiciones, imò imposturę & mendacia mortaliū. In hoc ergo consistit Cardo penè totius deliberationis, num Catholici vel Protestātes in rebus fidei sequendi sint: nempe, vtrum in rebus diuinis, quæ non nisi per expressa Dei verba certò sciri possunt, expressis Dei verbis ex proposito dictis vt mentem Dei nobis exprimerent, iuxta eorum perspicuum & vsitatum sensum apud homines, potius quàm quorundam paucorum, nouorum, & ab inuicem dissentientium hominum glossis, consequentiis, & ratiunculis adhærendum sit. Qua deliberatione nulla potest esse facilior aut expeditior. Si enim vel in rebus, quæ sub sen-

Lib. 1. de peccat. mer. cap. 20.

Cardo deliberationis vtrum Catholici vel Protest. doctores sequendi sint.

ſum aut rationem cadunt, expreſſum Dei verbum quorumuis hominum rationi anteponendum ſit : quantò magis in rebus quæ omnem ſenſus aut rationis captum longiſſimè excedunt, paucorum, nouorum, & diſcordium hominum ratiunculis præferendum erit? Vincat, Viuat, floreat illa fides, cui, in rebus diuinis, non niſi per clarum Dei verbum cognoſcendis, expreſſa Dei verba, dicta ex propoſito vt mentem Dei nobis aperirent, in ſenſu quem & manifeſtè præ ſe ferunt, & in quo ab hominibus dici & intelligi ſolent, & cui ſenſui nulla alia expreſſa Dei verba directè repugnant, ſuffragantur: & cadat, iaceat, pereat illa fides, ſeu potius perfidia, quæ in pluſquam ducentis quinquaginta articulis ab expreſſis Dei verbis in huiuſmodi ſenſu condemnatur, & in pleriſque non niſi humanis conſequentijs & ratiunculis ſuffulcitur.

Hæc ſunt (Lector) quæ, ex primo libro ſumpta, animo tuo inculcata ac penitus infixa eſſe cupio : quæque adhuc multò acriora ac fortiora erunt, ſi ea adiunxeris quæ in ſecũdo libro tibi ante oculos poſuimus: Ibi enim oſtendimus, ſacroſanctam Scripturam adeo directè ac manifeſtè Proteſtantium doctrinam damnare, vt, quod ad literam ſeu verba eiuſdem ſpectat, cogantur quędam palam reijcere, quædam clam eradere, quædam in dubium vocare, alia addere, alia perperam transferre, aliorum ordinem inuertere : Quoad propoſitiones eiuſdem; cogantur dicere alias non fuiſſe certò cognitas ab ipſo Deo, alias non eſſe dictas ex eius ſententia, alias dictas ironicè, mimeticè, hyperbolicè, per fictionem & amplificationem, & mutare vniuerſales propoſitiones in particulares, illimitatas in limitatas, abſolutas in conditionales, dictas ſimpliciter in dictas ſecundum quid, & dictas de vno tempore in dictas de alio : Quoad ſimplicia eius verba : cogantur ea quæ ſignificãt effectionem rei, exponere de conatu eam faciendi : quæ ſignificant cauſam, exponere de via aut medio ad terminum; quæ ſignificant aliquid actu eſſe, intelligere per debere eſſe: quæ denotant rem veram, interpretari de apparentia aut ſignificatione eiuſdem; exponere verba per diuerſa, diſparata & oppoſita; commi-

Quo modo Proteſt. tractant literam Scripturæ.

Quo modo Propoſitiones.

Quo modo verba ſimplicia.

nisci omnia genera figurarum quando verbi proprietas illis obest, excogitare nouas & antea inauditas distinctiones: reijcere vnanimem expositionem Patrum, Ecclesiæ, & Conciliorum: frustrari fines aduentus seu passionis Christi: tollere è mundo omnem veram virtutem, & aperire viam ad omnia scelera: fateri se tueri dogmata olim à Sanctis Patribus & Ecclesia damnata; agnoscere quædam ipsorum dogmata esse manifestè blasphema: & demum (quod huius operis scopus ac finis est) directè contradicere Scripturę. Qui (inquam) in ducentis quinquaginta articulis controuersis, non solum pugnant cum expressis Scripturę verbis, dictis ex professo vt Dei mentem de rebus diuinis omnem rationis captū superantibus aperirent, in eo sensu quem & ipsa clarè præ se ferunt, & in quo ab hominibus communiter dici & intelligi solent, & cui nulla alia expressa Dei verba directè aduersantur, sed etiam sacræ literæ violentas manus inferunt, omnia ferè genera propositionum illius mutant, sensum verborum impiè deprauant, Patrum, Ecclesiæ & Conciliorum expositionem reijciunt, fines passionis Christi frustrantur, omnem virtutem tollunt, & vitia introducunt, ac demum fatentur quædam ipsorum dogmata blasphema, ac Scripturæ directè contraria esse, non solum tanquam hæreseos & læsæ Maiestatis diuinæ rei à Scriptura sacra, Patribus, & Ecclesia damnati: sed tanquam propriè hæretici, hoc est, etiam suo iudicio condemnati, censendi, cauēdi, ac fugiendi sunt.

NOTA AD LECTOREM.

QVoniam in hoc opusculo componendo, vsus sum penè omnibus ijsdem editionibus librorum Protestanticorum, quibus vsus eram in contexendo opusculo de Authore Protestanticæ Ecclesiæ & Religionis anno 1619. edito, cui indicem earum editionum apposui: aut si quando (quod raro accidit) alia editione vtebar, id in hoc opusculo indicaui, superfluum putaui eum indicē hic repetere: prout etiam superfluum censui repetere leges illas, quas in eo opusculo præscripsi illi qui respondere voluerit. Ibi eas consulat, atq. obseruet, si quis seriò huic operi respondere statuerit.

FINIS.

Laus Deo & Deiparæ Virgini.

INDEX CAPITVM ET ARTICVLORVM IN PRIMO LIBRO CONTENTORVM.

CAPVT PRIMVM DE DEO.

Articulus.

CAPVT SECVNDVM DE Christo. Articulus.

CAPVT TERTIVM DE ANGELIS & Sanctis in Cœlo. *Articulus.*

CAPVT IIII. DE VERBO DEI siue Scriptura. *Articulus.*

CAPVT V. DE SANCTO PETRO & Apostolis, *Articulus.*

CAPVT VI. DE PASTORIBVS Ecclesiæ, *Articulus.*

CAPVT VII. DE ECCLESIA *Articulus.*

CAPVT VIII. DE TEMPLIS SEV Ecclesijs materialibus, *Articulus* I.

CAPVT IX. DE BAPTISMO. *Articulus* I.

CAPVT X. DE EVCHARISTIA *Articulus* I.

CAPVT XI. DE ALIIS SACRAmentis, *Articulus* I.

CAPVT XII. DE FIDE *Articulus* I.

CAPVT XIII. DE BONIS OPERIBUS in genere *Articulus* I.

CAPVT DECIMVM QVARTVM DE BONIS OPERIBVS IN particulari, *Articulus* I.

CAPVT XV. DE PECCATIS *Articulus* I.

CAPVT XVI. DE IVSTIFICAtione. *Articulus* I.

CAPVT XVII. DE SALVTE ET morte æterna. *Articulus* I.

CAPVT XVIII. DE LEGE DEI *Articulus* I.

CAPVT XIX. DE LEGE ET SVperioritate humana. *Articulus. I.*

CAPVT XX. DE LIBERO ARbitrio. *Articulus*. I.

CAPVT XXI. DE ANIMA hominis. *Articulus* I.

Omnes articuli numero ducenti quinquaginta octo.

INDEX CAPITVM SE-cundi Libri.

EXTRAICT DV PRIVILEGE du Roy.

PAR Grace & Priuilege du Roy, Il est permis à Iean Laquehay Imprimeur & Libraire à Paris, d'imprimer & vendre vn liure intitulé *Collatio doctrinæ Catholicorum, ac Protestantium cum expressis S. Sacræ verbis, duobus libris comprehensa, in qua per Richardum Smitheũ Lincolinensẽm S. Theologiæ Doctorẽ*, &c. Et defence à tous autres quels qu'ils soyent, pendant six ans du iourd'huy, à peine de confiscation & de quinze cens liures d'amende, moytié au Roy, & moytié audit Laquehay, ainsi qu'il est plus amplement contenu ausdites lettres,

Données à Paris le 8. Septembre, 1621. Signées par le Conseil,

PIGRAY,

Et scelées en cire iaune.



9-3-3